This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



SILAS WRIGHT DUNNING
BEQUEST
UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

DB
204
.H152

WENCESLAI HAGEK A LIBOCZAN

ANNALES BOHEMORUM

E BOHEMICA EDITIONE LATINE REDDITI
ET QUIBUSDAM NOTIS ILLUSTRATI

A

P. VICTORINO A S. CRUCE E SCHOLIS PIIS

NUNC

PLURIMIS ANIMADVERSIONIBUS HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICIS, NEC NON DIPLOMATIBUS, RE GENEALOGICA, NUMARIA, VARIIQUE GENERIS ANTIQUIS ÆRI INCISIS MONUMENTIS AUCTI

A

P. GELASIO A S. CATHARINA
EJUSDEM INSTITUTI SACERDOTE.

PARS IV.

QUÆ

BOHEMIÆ HISTORIAM

AB ANNO DCCCCXXXVII. USQUE AD ANNUM MIV.
COMPLECTITUR.

CUM

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS
PRIVILEGIO.

PRAGÆ,
TYPIS JOHANNÆ SOPHIÆ CLAUSERIN, REG. TYPOGR. FACTORE FRANCISCO CAROLO UNGER. ANNO MDCCLXXII.

Hoc perſuaſum habui: arti oratoriæ convenire eloquentiam, Poeticæ fabularum figmenta, hiſtoriæ veritatem. *Procop. l.* I. *c.* I. *de bello Perſico.*

Si qua eſt ullius gentis, aut ævi hiſtoria, quæ ad poſterorum memoriam tranſmitti mereatur, ea eſt profecto Slavicæ gentis illius, quæ ab exilibus principiis orta, in validiſſimam nationem excreſcens, late circumquaque vicinos orientis & occidentis populos in jus ſuum ita traduxit, ut a primæva illa feritate ad meliorem cultum translata Græcam Latinamque Eccleſiam toto orbe diffuſam in ſe una videatur complecti. *Joſeph. Simon. Aſſemanus in Kalendariis eccleſiæ univerſæ Tomo IV. in Dedicatione.*

Dunning
Baer
6-18 40
40835

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

EUGENIO

E S. R. I.

COMITIBUS

DE

WRBNA ET FREUDENTHAL

DOMINO

DYNASTIARUM

HORZOWITZ, KOMAROW, ET WALDEK.

SACRÆ CÆSAREÆ ET APOSTOLICÆ MAJESTATIS

CONSILIARIO ACTUALI INTIMO

ET

CAMERARIO

CAMERÆ CÆSAREO-REGIÆ AULICÆ

NEC NON

COMMERCIORUM SUPREMIQUE ÆRARII

VICE-PRÆSIDI.

MÆCENATI SUO

REVERENTISSIME COLENDO

CUM VITÆ FELICITATE PERENNITATEM.

Quæſtum maximum ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME MAECENAS *deputavi ſemper memorem gratumque videri, ut verbis Ciceronis loquar. Sic enim perſuaſum* TIBI *velim neminem eſſe, cujus officiis pietatem meam tantum devinctam eſſe non modo confitear, verum etiam gaudeam, atque Illuſtriſſimæ Proſapiæ* TUÆ. *Quoties namque in animum redit dulciſſima recordatio Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Joſephi Franciſci olim glorioſæ memoriæ Carolo VI. Imp. ab intimis conſiliis, ſupremique in Regno Bohemiæ Judicis, longiori ævo digniſſimi Patrui* TUI, *quoties, inquam, mentem cogitatumque in Magnum illum ſcientiarum ſublimiorum Statorem, magnum illud patriæ decus & præſidium retorqueo, quidni obtutibus meis ſeſe longa ſerie objiciant tot, tanta, tamque luculenta beneficia, quibus me ab adoleſcentia cumulare ſolitus, cum paſſim autumnales ferias mihi ſumme jucundas delectabilesque reddere ſolitus, cum de vocatione mea ad Scholas Pias edoctus ita Ordinis mei præpoſitis commendavit, ut indulgentius amantiusque pater filium haud poſſet, cum me ex ipſo æſtivo ſuo voluptario ad tyrocinium vitæ religioſæ non ſine honorifico comitatu tranſmiſit, cum denique ſolertiæ meæ calcar additurus ſeſe poſtea*

ſtea ultro Theſibus meis Philoſophicis Theologicisque patronum obtulit.

TE ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME S. R. I. COMES *quanquam præmatura mors Optimi atque in magnas ſpes reipublicæ nati Patris* TUI *patriæ, ipſo pene juventutis flore eripuerit & paulo poſt meritis* TUIS *delata Auguſtalia munia terrarum ſpatiis ſejunxerint, tamen cum annis abhinc quatuor me Viennam appuliſſe intellexiſti, pro* TUA *ſumma hiſtoriæ patriæ cognitione, ejusque expoliendæ deſiderio, me primis ipſis diebus ad* TE *ultro benigne evocaſti, atque inter maxima nuſquamque merita comitatis benevolentiæque ſingularis ſigna, id ipſum indulgentiſſime conceſſiſti, ut quartam Partem Annalium meorum* ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO *inſcribere fas eſſet. Quod obſervantiæ cultusque mei officium in tam ſerum uſque tempus prolatum non pene alteri rationi moræque tribueris, quam negotiorum domeſticorum multitudini, quæ commercium pene omne cum Hiſtoria Muſisque intercludebant.*

Habe tandem etſi ſerius, tamen ex optima voluntate, MAECENAS GRATIOSISSIME *pii gratique animi mei quale quale teſtimonium, quod Clariſſimi Generis* TUI *in me cumulata beneficia, quod ipſa ſumma* TUA *humanitas beneficentiaque pridem*

a me

a me expoſcebat. Id ſi diverſis prorſus ſtudiis curisque toties interruptum non omnem expolitionem plenitudinemque ILLUSTRISSIMO NOMINE TUO *dignam aſſecutum eſt, ea certe fiducia in publicum prodire non veretur, quod a Nobiliſſimo ſanguine* TUO *veteris proſapiæ multarumque imaginum claro, quod ab omni liberali doctrina expolitiſſimo ingenio* TUO, *graviſſimoque judicio, quod denique a dignitate Auguſtalium munerum* TUORUM, *quibus hodie exſplendeſcis, plurimum ponderis lucisque ſe mutuaturum certo confidat.*

Et quidem ſi Nobilitatis TUÆ *(cui merito cum ceteris patriis de principatu certamen competit) principia, vetuſta decora, prærogativasque hic perſequi animus eſſet, facile ea præſentis Tomi univerſas explerent paginas, a qua vel olim jam Balbinus Tabularium ſuum Bohemo - Genealogicum, opus, inquam, triginta annorum labore congeſtum, auſpicatus eſt, quodque nuper multis egregiis acceſſionibus emendationibusque illuſtrare aggreſſus Eximius S. J. Vir Joannes Diesbachius. Scio & bis terve ex* TE *ipſo* EXCELLENTISSIME MAECENAS *audii, quod graviſſimum* TUUM *pro ſumma rei Criticæ cognitione ſit de familiis noſtris judicium, quæ ſeu a Czecho & Lecho, ſeu tenebris illis remotiorum ſæculorum incunabula ſua*

re-

repetunt; ſcio illi nullam vetuſtatem probari, niſi legitimis documentis veluti ad lydium lapidem examinata ſit; ſcio, inquam, & illam TIBI *cum Viris eruditiſſimis hujus ſæculi communem eſſe ſententiam: Nobilitatem avitam ſummeque illuſtrem hodie merito cenſeri, ſi a ſæculo XII. aut XIII. probationibus juſtis legitimisque fulta ſit. Atque idipſum eſt, quod nec Wrboslais, nec Zemovitis, nec Boleslais, Giricis, Przemislaisque Wrbnæis (quos ſæculis ſex ſeptemve poſterius ſine tabulis prolatos paſſim legimus) Gentis* TUÆ *primordia coram ſeveriſſimo judicio* TUO *jactare audeam. Non quod hos paſſim receptos a Genealogis Majores* TUOS *penitus rejiciam, aut Proſapiam* TUAM *ſæculo XII. vetuſtiorem eſſe inficier, ſed quod præſens delicatius, minusque credulum ſæculū ſynchronorum paulove poſteriorum auctoritates, probationes, inquam, minime dubias, ſuſpectasque requirat. Atque cum jam ex me olim defædaveris, ut primas, certas, indubitatasque Stirpis* TUÆ *clariſſimæ memorias, quasquas comperero, in adverſaria mea adnotem; ſtrictim hic perſequar ea, quæ in manus oculosque hactenus incidere, atque quæ mea ſententia ſit, breviter expromam. Probationes quoniam epiſtolis nuncupatoriis ſubjicere minime in uſu eſt, in Annales meos annosque illos ſervo, in quos primæ Illuſtriſſimæ Proſapiæ* TUÆ *memoriæ inciderint.*

Pri-

Primum quidem cum omnium rei Genealogicæ peritorum opinioni accedo: primam originem Generis TUI *ex ipſa Gallia, Franciave veteri, quod geminata clypei lilia portendunt, repetendam eſſe: non prius ejusdem certas hoc terrarum noſtrarum confinio memorias hactenus, quam ſæculo XII. in Sileſia, ſeu, ut tum adhuc nomen paſſim ferebat, Polonia deprehendi, unde eam pluribus propaginibus in Moraviam, Bohemiam, ipſamque ulteriorem Poloniam diffuſam fuiſſe merito ſtatuo. Conſtat namque ex hiſtoria Diplomatica Sileſiæ, & cum primis Ducalibus literis Boleslai Alti Sileſiæ Ducis ſæculo XII. Germanos magnis præmiis terrarumque ſpe invitatos ad Sileſiam, qui Slavorum iſthic rarius colentium ſomnolentiam, minusque politiori cultui intentum genium ſua dexteritate ſarcirent. Hac præmiorum ſpe invitati quique Franci (quos vulgus paſſim Gallos dictitabant) etiam nobilitate inclyti Viri cum ſervis ſuis colonisque non parvo numero infuſi ſunt, acciditque hoc ipſo adhuc ſæculo, ut locorum iſthic Slavica vetuſta vocabula intermori, nova a Francis novis colonis Frankenberg, Frankenſtein (quæ ipſa etiam poſtea Majorum* TUORUM *ſedes fuit) Frankenthal aliaque compluria hujus etymi, & veroſimillime ipſum Frankenfort ad Oderam enata ſint. Eo ipſo tempore Wrbna (Francis poſtea*

Wirbin

Wirbin & Wirben appellatum) *avita primaque Gentis* TUÆ *Illuſtriſſimæ in Ducatu Schwidnicenſi ſedes inclareſcere cumprimis cœpit, quam a Gallis Francisve tum habitari cœpiſſe omnes vetuſti affirmant. E qua demum domo veluti Trojano equo tot militari gloria inſignes Heroes, tot ab infulis civilibusque magiſtratibus clari, tot doctrinæ pietatisque fama conſpicui Viri effuſi. Et vero leguntur mox ſæculo ſequente Stephanus filiusque ejus Andreas de Wrbna immortali nomine celebrandi, qui anno poſt Chriſtum natum milleſimo quadrageſimo primo ſupra ducenteſimum Henrici Poloniæ & Sileſiæ Ducis caſtra adverſus Tartaros ſecuti cum eodem glorioſam mortem appetierunt. Anno poſt cladem iſtam nonniſi uno, poſtquam Anna Duciſſa Sileſiæ, mater que prædicti Henrici Monachis Opatovicenſibus Ordinis S. Benedicti in Bohemia domo contuliſſet ſilvam Griſſobor, deprehendo tres fratres ex eadem Wrbnæa domo Stephanum, Andream, & Franciſcum liberalitate ſua Andreæ quondam Abbatis Opatovicenſis conſilia adjuviſſe, ut ſilva excoleretur, & eremitoriis quibusdam inſtrueretur, quæ munificentia eorundem poſtea in monaſterium Griſſovienſe (hodie etiam Abbatiali Ordinis Divi Bernardi dignitate celebre) tranſiere. Sæculi proximi XIV. initiis magis magisque explendeſcere cœpit Wrbnæa Domus, & ad faſtigium quoddam honorum divi-*

tiarumque ascendere, præsertim cum Henricus, illustre illud episcoporum Wratislaviensium sidus, & Natalium suorum prærogativa, & insignibus ingenii dotibus, & profusa quadam ad beneficentiam liberalitate tantum sibi Ordinum universorum Silesiæ amorem demeritus est, ut Bolkonis Ducis liberis Tutor designaretur. Hæc Henrici auctoritas & postea Principum alumnorum suorum gratia genti TUÆ *ad amplissima consilia, omnesque honorum gradus aditum aperuit, quos illa meritis, virtute, divitiis & militari sua gloria ad summam amplitudinem evexit; non multo post enim dynastiæ Brunenthal, Freudenthal, Frankenstein, Megulanow, Heraltic & Hulstein illi vectigales legumtur, a quibus dominatio protensa in vicinam Moraviam, abhinc in Bohemiam, in utraque domibus, agnationum titulis, Principum Regumque præmiis, nec non emptionum jure terræ aliæ atque aliæ accessere. Non est hujus loci singula persequi, historiamque Illustrissimi Generis* TUI *texere, nec enim gravissimas ab avo ad Reges Principesque obitas legationes, nec Heroica belli facinora, nec pro patriæ salute utilissima data consilia gestaque negotia, nec amplissimarum dignitatum prærogativas, nec denique cum primis vetustissimisque patriæ Familiis inita conjugia; ac proinde sanguinem illum avitum clarumque nonmodo perpe-*

tuo

tuo intemerate fotum, ſed etiam magis magisque illuſtrem reditum multa verborum ambage enarrare libet.

Ad TE ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME MÆCENAS *redeat oratio, quo graviorem intelligentioremque arbitrum præſens opus ſibi exoptare haud potuit. Cum enim natura minime inclemens, minime noverca* TIBI *obtigit,* TE *acuto excellentique ingenio liberaliſſime impertivit, tantam ſimul a prima ætate diſcendi ſapiendique cupiditatem inſevit, ut Moderatorum, Præceptorumque* TUORUM *(quibus doctiſſimis clariſſimisque uſus es) monita ſtimulosque præverteris, nec alia re quam omni arte & doctrina liberali delectari videreris. Eæ cum lacte quodammodo hauſtæ atque in ſanguinem & ſuccum transfuſæ Muſarum deliciæ viam* TIBI *facile ſtravere ad literas non ſolum eas vulgares, ſed & interiores quasdam atque reconditas, ad Philoſophiæ purioris, ad Jurisprudentiæ ſecretioris cognitionem, ad ſcriptorum veterum antiquitatisque, ad perfectam Jurispublici rerumque politicarum intelligentiam, in quibus ingenii celeritate induſtriaque facile principatum conſecutus es. Et cum non ignorares, quantum illa teſte Cicerone teſtis temporum, lux veritatis, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis Hiſtoria conferret ad quotidianæ vitæ rectæ ſapienterque inſti-*

tuendæ

tuendæ rationem, ad inflammandam virtutem, ad animum quadam ſenili prudentia imbuendum, tota mentis contentione ſic in eam incubuiſti, ut non modo legeres, ac præſertim Romana, Græca, patriaque tanquam digitos TUOS *noſſes, ſed etiam ad fontes primos, veritatemque Critices ſtudio eruendam* TE *quantum quantum conferres. Hinc illud cum Viris eruditis non modo commercium ſed prope familiaritas, hinc favor patrociniumque tam eorum, quam rerum omnium ſcientificarum prognata, hinc ingens illa penus libraria delectiſſimorum rariſſimorumque ſcriptorum ſtudiis* TUIS *comparata, hinc optimorum principumque authorum notitia hauſta, quanta major vix quidem ab illis, qui hiſtorias critice tractant ſcribuntque, deſiderari poteſt. Quot quantaque rei literariæ reconditioris præſidia quid mirum ſi ipſo adhuc juventutis flore aditum* TIBI *patefecere ad honorificentiſſima ſupremæ Cancellariæ Regiæ Bohemæ ſubſellia, in quibus cum ſcientia* TUA *in cognoſcendis diſcutiendisque graviſſimis cauſis, conſilium in conſultationibus, ſapientia, pietas, æquitasque in ferendis ſententiis, gravis quædam auctoritas in rebus omnibus eluceret, nuper* AUGUSTA, *æquiſſima illa meritorum penſatrix, &* TIBI *de præmio, & terris ſuis de digniſſimo ſummeque idoneo Adminiſtro proſpectura,* TE *in eum honori-*

rificentiſſimum gradum, quo exſplendeſcis, extulit, cujus nonniſi ampliſſima primaque Palatina dignitas meta eſſe ſolet. Perge igitur ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME MÆCENAS *bonis avibus, & exple ſpem, deſiderium, votumque omnium concivium* TUORUM, *qui cum doctrinam* TUAM, *pietatem, prudentiam æquitatemque maximi ſemper duxere, hoc mecum cupiunt, ut* TE *DEUS O. M. Illuſtriſſimæ Proſapiæ* TUÆ *decori, patriæ commodis quam diutiſſime ſoſpitet, atque ad ſumma omnia evehat.*

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Servorum infimus minimusque
GELASIUS DOBNER
a S. Catharina e Scholis Piis.

PRÆFATIO,

Primum omnium eſt, ut a Te Lector Benevole veniam humiliter flagitem, quod me in deliberanda fide remiſſiorem præſtiterim, atque Tomus hic tardius pollicitatione mea, ſerius tua exſpectatione in lucem prodeat. Culpam quidem (ſi quæ eſt) fert potiſſimum muneris mei ratio, quo me obedientia his omnibus annis ſtrinxit, quod negotiorum curarumque plenum omne pene tempus proprium ſibi voluit, ut nonniſi horulas ſubinde ſtudiis hiſtoricis ſuffurari licuerit, quarum vel aliquas cum quandoque per ipſa menſium intervalla, vix quidem intercipere fas eſſet, quid evenire aliud potuit in re præſertim Chronologica Criticaque, quam ut propter memoriæ fugacitatem lecta præoccupataque repeterentur, a principio paſſim omnia ad incudem revocarentur, atque ita labore bis terve geminato operis conſummatio in longius tempus protraheretur.

Aliam

Aliam præterea non minimam moram injecit famoſa illa de Czecho patriæque initiis concertatio, quæ cum turbam pene æmulorum, adverſariorum, imo etiam obtrectatorum in me excivit, ne inficetas nugas, gerras, lyrasque, quibus ſemidoctos quosque irretire, eorumque odium in me exacuere contendebant, impune graſſari paterer, primum juſtæ molis apologia, tum ſejunctis quibusque Diſſertatiunculis reſpondendum fuit, quibus quidem ſi adhucdum aurem præbere liberet, nullus etiamnum litium finis eſſet, ita oluſcularium ritu jurgium ex jurgio movent, atque hoc ipſo ſe viciſſe credunt, ſi nemo ſit, qui reſpondeat. Qua in re quidem ultro illorum garrulitati cedimus, ne magis etiam pœnitendam temporis jacturam faciamus, cum alioquin teſtatum ſit, eos hactenus nonniſi pridem damnatas merces novo atque novo fuco illitas in forum venales protuliſſe. Ita, inquam, pridem conſtitui cum animo meo, velut ad ſirenum cantus, canumque latratus obturare aures meas. Ament, tueanturque, ſi ita illis allubeſcit, fabulas, qui veritates hiſtoricas aſpernantur. Quod utinam conſilium ſtatim ſub principium amplexi fuiſſemus, procul dubio jam ipſe quintus Tomus Annalium prelum deſeruiſſet.

Quod denique tertium eſt, ut ne quid celem, optavi ſemper, ut æmulus meus in hiſtoria patria, etſi pluribus annis me ſerius eam auſpicatus ſit, mihi præverteret, partim ut intelligeret, quantum fontes ipſos exquirere, atque jam hauſtis congeſtisque uti intereſſet, partim ut hac cunctatione invi-

dio-

dioſas quasque impugnationes ſubterfugerem, quæ ſuperioribus Tomis meis accidere, quibus quidem ſi hiſtoriæ veritas quæſita fuiſſet, magnam utique confutatori haberem gratiam, ſed contra lucem ſole meridiano clariorem pugnare, conrra torrentem auctoritatum veteriorum niti, & hanc ſolam fucatis quibusque argumentis jactantiam quærere, quod a ſententia mea recedatur, quidni manſueto cuique animo bilem in nares cieat. Interim id ipſum ſilentio & patientia preſſi, premamque porro. Jam verò cum is Tomo ſuo II. longius in hiſtoria patria excurrerit, atque ego hactenus, num quid amplius præſtiterit Tomus meus præſens, judicio æqui Lectoris permitto.

Quod ad materiam ipſam operis præſentis attinet; comprehendit illa ſeptem ſupra ſexaginta annorum periodum, videlicet a Boleslai I. imperii auſpiciis, uſque ad Jaromiri Ducis Bohemiæ Principatum, quem expulſo Boleslao Poloniæ Duce conſecutus eſt. Hac annorum intercapedine multis tenebris obſiti, pluribus ſubleſtæ fidei narrationibus fœdi, & quod caput eſt, minime ex juſto Chronologico ordine ſcripti reperti adhuc Annales noſtri, quæ omnia, quantum per ſynchrona pauloque poſteriora documenta licuit, expurgavimus, ſuæ luci, veritati, Chronologiæque reſtituimus, nuſpiam obliti ea, quæ ab ipſis prætermiſſa cognovimus, ex fide dignis Chronicis authoribusque ſarcire, ac ſingulorum annorum narrationi ſubjicere. Initia cumprimis epiſcopatus Pragenſis, de quibus varie hactenus

nus digladiatum fuit, episcoporum primorum annos ipsaque gesta S. Adalberti ita digessimus, ut jam quibus annis singula acciderint, certum indubitatumque habeamus. Similiter quæquæ Ducum nostrorum heroica facinora gentisque Cosmæ, Hagecio, imo etiam aliis posterioribus incognita, facem prælucentibus cumprimis exteris vetustis Chronicis & Manuscriptis, tum Witichindo, Frodoardo, Ditmaro, Adelboldo, Gerardo, binis Synchronis S. Adalberti Biographis omni loco supplevimus. Nec injucunda fortassis inutiliaque videbuntur quæquæ finitimis gentibus Bavaris, Austriacis, Saxonibus, Brandeburgis, Polonis atque Hungaris, quæ ex eorum historiis nexu quodam cum patria nostra devinctis elucidavimus, quæ omnia ad primos fontes exegimus, conjecturis nonnisi tum usi, cum se se obscuritas aut antilogia insinuare visa est.

Id unum adhuc præmonitum volumus amicum Lectorem: nos verosimillime in quinta Parte Annalium nostrorum aliam rationem normamque operis nostri historici inituros, cum enim Viri quique eruditi & verbis coram, & literis crebrius innuerint, se se longas Hagecii narrationes, quæ alioquin passim a vero & chronologia aberrant, fastidire; eorum desiderio consiliisque ut quoquomodo commodemus, conabimur, atque jam suis momentis rem expendemus, quæ via ratioque ineunda sit, ut ne Hagecio penitus detrahatur, istorum fastidio quaqua demum arte

medeamur. Vale benevole Lector, & si omnia tibi usque quaque non probabuntur, memor esto conditionis humanæ, quæ nihil hactenus omni parte perfecti absolutique in lucem protulit. Iterum vale.

AN-

ANNUS 937.

Dux Boleslaus accerſitis ad ſe primoribus, quos ea ætas Wladikos, (a) quod primum poſt Ducem locum tenerent, appellabat, in mandatis dat, ſub diem decimam quartam Aprilis (b) omnem populum Boleslaviam cogant. Quæ dies poſtquam illuxit, Princeps primum Wladikos, tum omnem populum ſequi ſe juſſit, ac in plana fluvio Albi adſita ſilvisque nudata deſcendit, ibi ſimul ac conſtitit, ad circumfuſam coronam his verbis cum imperio proſocutus eſt: Ita volo, ita jubeo, ut hoc loco urbem quadrato lapide condatis, ea quidem forma, qua Romam eſſe intellexi, (c) ea amplitudine, quam circumfuſa arborum cædes oſtentat. Mœnia veſtro peculio & opera ſtabunt, domus contra mihi curæ erunt. Quæ cum edixiſſet Princeps, primores ſenioresque populi deliberatum haud longe ſecedunt, ac demum urgenti Boleslao per Bratromilum hominem æque prudentia ac lingua valentem reſponſum communemque ſententiam deferri jubent. Hic ma-

Boleslaus veterem Boleslaviam condi jubet.

magno animi æstu infit: Wladiki, nobiles, cunctaque populi universitas hæc tibi omnium nomine per me nunciari mandavit: A nullo unquam Duce, quo memoria Czechorum pertingit, quidpiam istiusmodi operis imperatum fuisse populo. Non posse gentem ingenue libereque tibi obnoxiam præter majorum exemplum ad condendam urbem damnari. Ut itaque rei indignitatem, molimenque operis libertati gentis summum pernicioſum animo identidem penses, etiam atque etiam orant, orant, inquàm, ne invitos ad onera, majoribus nusquam antea cognita, proturbes. (d) Mox altum a quibusdam succlamatum: Non audimus, non obtemperamus, ense tuo perire malumus, quam jugo tam insolito colla submittere. Tum vero furore concitus Princeps imperia sua non fieri momenti indignatus, insilit in truncum forte pedibus objectum, evaginatoque mucrone vociferari: O fatua & malevola capita! o morosorum patrum similimos filios! vos Ducis vestri imperio pervicaciter refragari? vos sine fronte colla vestra ensi meo potius quam mandatis subjicere? Eja periculum facere libet, morine, an operam urbis perficere magis staturum sit vestro animo? Quo verborum fulmine universa virorum concio non secus exanimata est, atque integra instructus acie aut mille armatus ensibus princeps adstaret, singulisque exitium minaretur. Ubi ea furentis imagine terreri moverique populum videt Boleslaus, asperitatem exacuendam ratus fulmineos circumquaque girat oculos, mox propius lateri adstantem Bratromilum (e) populi oratorem apprehensum manu sua obtruncat cum

Imperio huic adversatur populus.

Boleslaus Bratromilum oratorem populi obtruncat.

cum dicto : Ita volo ! ita jubeo ! cominus adesto, cui præ imperio jugulum ensi subjicere allubescit. Hic enim vero alia repente multitudinis facies; procumbere in genua, orare veniam supplices, promtosque se ad nutum Ducis offerre, qui modo tam ferociter restiterant. Ita non sine sanguine ad similitudinem Romæ ædificari cœpta & modico tempore absoluta urbs, cui a Boleslao nomen Boleslaviæ inditum.

ANNUS JESU CHRISTI 937.

LEONIS VII. PAPÆ 2. OTTONIS M. 1.
BOLESLAI I. AN. 1. ISENGRINI EP. RATISB. 5.

(a) De Wladikorum etymologia, & nominis posteriore usu jam P. II. p. 142 egimus.

(b) Primus omnium rursum Hagecius in tanta Chronologiæ patriæ incertitudine hanc diem adnotavit, quam Lupacius in Ephemerides, & Weleslavinus in Calendarium suum transcribere non dubitaverunt. Ut vero dies, ita & annus ipse incertissimus. Nam si Cosmas & Christannus consulantur, Boleslaviæ initia altius repetenda. Cosmas narrato fratricidio & translationi S. Wenceslai hanc quidem historiam primum subjungit, sed apertis verbis innuit, eam prius & in juventute Boleslai accidisse, cujus verba sunt : *Unum tamen ejus satis audax & memorabile facinus, quod retro dierum in juventute sua fecit, vestræ caritati referre cupimus &c.* Christannus etiam jam ante martyrium S. Wenceslai Boleslaviam urbem vocat, sic enim ille : *Boleslaus domum propriam seu curtim habens in urbe cognomine vocitatam suo.*

Cosmas ad annum 932.

Christannus in vita SS. Ludmil. & Wenc.

(c) Ita temporum cursu crevit auxesis, ut Boleslavia amplitudine & splendore Romanæ urbi par credita fuerit, qua in re cumprimis mirandus Balbinus, qui eam non modo Pragæ, sed Romæ æmulam a domorum decore, turrium, mœnium, fossarum amplitudine, Capitolii

Balbinus in Epit. l. 1. c. 8.

& Tyberis similitudine prædicat, cum tamen primus, qui hæc narrat, Cosmas per antonomasiam solum dicat, eam *Romano opere*, id est lapideo, aut certe Romana architectura conditam. Ille vero vetus, quisquis fuit, Boleslaviæ splendor potius a Brzetislao sæculo sequente vel ipsi Cosmæ fuit repetendus, cum ifthic in expiationem belli Polonici ecclesia Collegiata jussu summi Pontificis ædificata fuit.

(*d*) Dalimilus c. 31. ait: hanc omnium communem fuisse sententiam, ut ne castra munitæve urbes in Bohemia excitentur. Nam pacem publicam pessumdandam, si quisque prædia sua aut oppida munierit, quæ procul dubio unicuique rebellionis incitamentum & asylum postea futura sint Principis aut reipublicæ mandata despicienti. Glorioſum magis etiam futurum genti, si quisque capite suo sua tueatur, quam murorum præsidio. Verum Bohemiæ jam multo ante munita oppida fuisse ex Chronographis Francicis legimus.

(*e*) Et hunc Bratrimilum primus de nomine refert Hagecius. *Cosmas c. l.* Cosmas simpliciter *unum qui fuit primus inter seniores* vocat.

PRÆTERMISSA.

I. Cladem superioris anni fine, aut certe præsentis primo vere acceptam (quam supra P. III. ad an. 936. §. III. in Prætermissis retulimus) reparaturus Otto Germaniæ Rex hoc anno alium exercitum adversus Boleslaum conscribit, novumque Ducem in Bohemiam mittit, qui primum secunda usus fortuna, mox haud dissimile fatum a priore Æsic expertus est. Quod denuo tacentibus annalibus nostris his verbis narrat Witichindus: *Rex autem audito hujuscemodi nuncio* (nempe clade suorum, de qua superiore anno) *minime turbatur, sed divina virtute corroboratus, cum omni exercitu intrat terminos barbarorum* (Bohemorum) *ad refrænandam illorum sævitiam. Datum quippe erat illis & antea a patre suo* (Henrico aucupe) *bellum, eo quod violassent legatos Thancmari filii sui. Placuit igitur novo Regi novum Principem militiæ constituere, elegitque ad hoc officium virum nobilem & industrium satisque prudentem Herimannum. Quo honore non solum ceterorum Principum, sed & fratris sui Wichmanni offendit invidiam, quapropter & simulata infirmitate amovit se ab exercitu. Erat namque Wichmannus vir potens & fortis, magnanimus, belli gnarus, & tan-*

Witichind. l. 2. p. 643.

De hoc bello egimus P. III. ad an. 928. §. III.

& tantæ scientiæ, ut a subjectis supra hominem plura nosse prædicaretur. Herimannus autem cum esset in prima acie in introitu regionis (Bohemæ), *in hostium pugnam incidit, eosque fortiter vicit, & ob hoc majori invidia inimicos accendit, inter quos Ekkehardus filius Liudulfi, qui in tantum ægre passus est fortunam Herimanni, ut sese promitteret majora facturum, aut vivere nolle. ... Unde collectis ex omni exercitu fortissimis viris interdictum regis rupit, & paludem, quæ erat inter urbem hostium & castra regis, cum sociis transiit, statimque hostes offendit, & ab his circumfusus cum omnibus suis periit. Erant autem, qui cum eo occiderant, electorum ex omni exercitu virorum* (nobilium solum) *decem & octo. Rex vero cæsa hostium multitudine, & ceteris tributariis factis, reversus est in Saxoniam. Acta autem sunt hæc VII. Kal. Octobris.* Nempe quemadmodum superiore anno imprudens securitas cladem exercitui Ottonis attulit, ita hoc anno Principum militiæ dissensio, & quorundam temeritas cursum victoriæ Ottonianæ in medio stitit, ut paulo post militem in Saxoniam reducere coactus sit. Nec enim postrema verba Witichindi sic accipienda sunt, quasi postea rursum Bohemus exercitus a Rege cæsus fuisset, Bohemique tributarii facti; quod certe amplioribus verbis descripsisset Witichindus, cum in prioribus minutioribus velitationibus enarrandis tam locuples fuerit. Ea multitudinis cædes verosimillime de reditu Ottonis in Saxoniam accipienda est, cum, ut passim fieri solitum, Bohemiam deserens exercitus ejus agros prædatus, multos quoque cecidit, captivos & obsides abduxit, Saxoniæque finitimos tributarios fecit, quod tamen insequente Boleslai milite vix diuturnitatem habuisse, ex consequentium annorum bellis conjicere licet. Diem quidem seu reditus Ottonis cum suo exercitu in Saxoniam, seu cladis, qua Ekkehardus cum robore exercitus Ottoniani occubuit, a Witichindo notatam accepimus, at locum nuspiam; quæ enim illa urbs aut palus fuerit, tacentibus veteribus, ignotum. Recentiores quique nostri, quos inter Balbinus, cladem hanc ad Boleslaviam accidisse autumant; quod sustineri minime potest, cum Witichindus de *introitu regionis* Bohemæ loquatur. Merito igitur urbs illa ex finitimis Saxoniæ quapiam fuerit, nec enim credibile, Ottonem prætermissa Praga tam longe progressum. Quæ autem illa? Quid si vetus Gnenin, hodie Brüx seu Pontus dicta fuit? ad hanc enim, paludem inter Bohemas majorem esse, Geographiæ guaris non incognitum est; hac parte passim ex Saxonia Germanos exercitus in Bohemiam irrupisse ex historiis nostris legere licet; hanc uti & Satecium mu-

Balbin. Dec. I. l. 3. p. 249.

muris cinctam plerumque primum hostilium irruptionum impetum stitisse ex sæculi sequentis memoriis testatum fiet.

II. Ostendimus mox supra seu diem cladis, seu reditus Ottoniani exercitus in Saxoniam Witichindum ad VII. Kal. Octobris posteritati transcripsisse; ex quo diei indicio R. P. Athanasius in vita sua SS. Ludmillæ & Wenceslai p. 86 adversus me evincere connititur: S. Wenceslaum non (uti olim recte mecum senserat) anno 936, sed anno uno prius sc. 935 martyrium subiisse, cum enim bellum Ottonis consecutum fuerit martyrium S. Wenceslai, S. Wenceslaus autem IV. Kal. Octob. martyrio affectus fuerit, necessario sequi fratricidium hoc anno uno citius sub Henrici Aucupis imperio accidisse. Quam eandem sententiam postea, retractata priore epocha, amplexus est doctissimus Compilator Seriei Chronologicæ in sua Germanica Pragæ vulgata editione, in quo id cum primis mirati sumus, cum sua præcipua argumenta, imo etiam Witichindi testimonium de præpostero rerum suarum narratarum ordine ex P. Athanasii opusculo excerpserit, ne verbo quidem ejusdem meminerit, nec fontem, unde sua hausit, coronaverit. Sed jam pace istorum doctissimorum Virorum dicere mihi liceat, utrumque longissimis suis variisque argumentationibus, momentorumque meorum confutationibus operam perdidisse, & telum, quod prior in me intenderat, scilicet Witichindum a me seu non attente lectum seu recte intellectum fuisse, in se ipsum recidere. Pessime uterque duplicem Ottonis in Bohemos expeditionem in unam, & duo bella in unum non modo annum sed etiam mensem & diem scil. VII. Kal. Octobris contraxit. Constat, ut uterque non negat, anno 936 secunda Julii Henricum Aucupem fatis cessisse, constat Ottonem I. ultimis diebus ejusdem mensis Julii, aut quod verosimilius est, primis diebus Augusti Aquisgrani in regem Germaniæ electum, unctumque fuisse. Jam in compendium redigamus ea, quæ Witichindus de duplici hac expeditione Bohemica narrat, & num utraque tam brevi temporis intervallo ab Augusti initio usque ad 25 Septembris ejusdem anni absolvi potuerit, videamus: Concedamus subregulum illum Bohemiæ (de quo P. III. p. 657 egimus, & quem nescio quo fonte Compilator Chronologicæ Seriei in margine *Supremum Burggravium* facit) mox primis post coronationem Ottonis diebus Aquisgrani auxilia adversus Boleslaum petiisse (quanquam Witichindus claris verbis innuat, subregulum hunc nonnisi in Saxoniam legationem misisse, quo nempe post coronationem

Chronologisch. Geschichte Böhmens 2 Theil p. 337.

nem ſuam redierat Otto) concedamus etiam ſubreguli iſtius petitioni mox commodatum; conſcriptus itaque ſeu convocatus exercitus ex Haſſia, Thuringia, & Saxonia, deſignatus Æſic ſupremus militiæ princeps, qui poſtea in Bohemiam irrupit, ibidem Boleslaum cecidit, ſed mox fortuna benigniorem vultum vertente *cum omni exercitu*, ut inquit Witichindus, deletus eſt. Jam Ottoni de penitus novo conſcribendo exercitu agendum erat, præſertim cum Compilator ipſe ex Chronico Mansfeldenſi & Weleslavino noſtro convincere nitatur, ne unum quidem militem Ottonianum huic cladi ſuperſtitem manſiſſe, præfectus novus militiæ Dux Herimannus, qui ingreſſus Bohemiam & ipſe victoriam a Boleslao reportavit, ſed Ekkihardo nimium audacter cum robore exercitus ſe periculo exponente, ac propterea a milite Boleslai circumfuſo ac ad internecionem deleto cum Ottone in Saxoniam redire coactus eſt. Denique *Rex* (ut verba Witichindi repetam) *cæſa hoſtium multitudine & ceteris* (Bohemis) *tributariis factis reverſus eſt in Saxoniam, idque* 25 Septembris. Quis prudens, niſi omnes Ottonis milites alatos aut Deucalionæos fuiſſe effingat, ſibi perſuadeat tam longinqua itinera, exercitus penitus deleti reparationem, tot neceſſarios bellicos apparatus & commeatus, duas inquam irruptiones in Bohemiam, quatuor clades intra 50 aliquot dierum ſpatium contingere potuiſſe, illis præſertim temporibus, quibus unam ſubinde cladem plurium annorum armiſtitium poſt ſe traxiſſe legimus. Merito igitur hanc binam Æſici & Herimanni in Bohemiam expeditionem, in duos annos diſpeſcuimus, prioremque anno ſuperiori, poſteriorem præſenti illigavimus, nec ad annum ſuperiorem 936 aliquam rationem hujus noſtræ partitionis reddidimus, quod cuique attentius Witichindum legenti in proclivi futurum judicaverimus, ne has duas expeditiones in tam exiguum temporis ſpatium coarctaret; quanquam, ut ante jam meminimus, adverſari ei nolimus, qui ſenſerit utramque hoc ipſo præſente anno 937 contigiſſe, alteram ſcilicet primo vere, alteram adulto autumno, ut præſertim reperando exercitui novoque conſcribendo ſat ſuperque temporis Ottoni ex prudentiæ legibus concedatur. Et vero ſi uterque ſententiæ noſtræ impugnator ſubſequentia Witichindi verba de irruptione Hungarorum paulo poſt conſecuta majori circumſpectione expendiſſet, animadverſſet illico, hanc diem VII. Kal. Octobris non ad priorem, ſed præſentem annum ſpectare, ac proinde idem Witichindi teſtimonium, quod uterque in cauſæ tuæ fulcimentum adduxerat, ſibi exitium adferre.

Ibid. p. 340.

Nam

Nam expreſſis verbis iſthic ait Witichindus, Hungaros *ab occidentali plaga* attentaſſe invadere Saxoniam, verba ejus ſunt poſt ſupra commemoratum reditum Ottonis ad Saxoniam: *Poſt hæc antiqui hoſtes Ungari venere virtutem probare novi Regis. Intrantes autem Franciam, ſtatuerunt ſi poſſent ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens nihil moratus cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque, & a terminis ſuis abegit.* Witichind. l. 2. p. 644. Quis autem neſcit Hungaros terrarum ſitu orientem tenuiſſe reſpectu Saxonum? qui ergo iſthic a tergo & occidente irruerunt in Saxones? non utique id factum ſub primum anni hujus egreſſum ex Pannonia, ſed ſub eorum reditum poſt devaſtatam Germaniam atque Gallias, qui anno ſequente 938 accidit, quo Otto Hungaros, ut permulta vetuſtiſſima Chronica perhibent, omnino magna clade affecit. Inſtar omnium unicum breve Chronicon Thornacenſe S. Martini adducere libet, cujus hæc verba ſunt: *Ungari per Auſtraſiam & Alemanniam multis civitatibus igni & gladio conſumtis Wormatiæ Rheno tranſito usque ad Oceanum Gallias vaſtant. Sequenti anno a Saxonibus graviter cæduntur.* Tomo VIII. Script. rerum Gall. & Franc. p. 285. Sed juvat hiſtoriæ Hungaricæ minus curioſis hujus præſente anno cœptæ Hungaricæ expeditionis ſeriem texere: præſertim cum eam Clar. Georgius Pray in ſuis Annalibus Hung. prætermiſerit. Et quidem res extra omne dubium poſita eſt, Hungaros rurſum hoc anno ſedibus ſuis excitos pedem in Germaniam & Gallias intuliſſe; quo itinere & per quas provincias ad Oceanum usque graſſati ſint, paſſim in vetuſtis Franciæ Chronicis & ipſo Hermanno Contracto conſignatum habemus. Marchiam orientalem ſeu Oſterichiam illos hoc anno intactam reliquiſſe, quod motibus eorum *Rudigerus junior de Peklarn orientalis Comes diligenter invigilaverit*, ex notis Arnoldi haurimus. Unde merito omnia vetuſta Chronica primam omnium Bavariam deſigunt, in quam Hungari furentes irruêre, ex Bavaria delapſi in Alemanniam ſeu Sueviam, ex hac in Franciam orientalem, abhinc non in confinem Saxoniam, ut uterque adverſarius autumat, ingreſſi virtutem probavere novi Regis Ottonis, ſed Saxonia immuni permiſſa *tranſito Wormatiæ Rheno* ut cum Hermanno Contracto omnes veteres loquuntur, *Alſatiam regnumque Lotharii & adjacentes usque ad Oceanum Gallias* vaſtarunt. Oppido mature autem hoc anno ſedibus ſuis erupiſſe videntur, cum Chronicon S. Petri vivi memoret jam eos IX. Kal. Aprilis ſeu 24 Martii (perperam Compilator Seriei Chron. 23 Martii ſcribit) monaſterium S. Petri apud Senones exuſſiſſe. Et vero fuerunt adhuc Hungari in Burgundia *menſe*

Notæ Arnoldi ad a. 937.

Vide Chronol. Indicem. T. IX. rer. Gall. & Franc. ad h. a.

Herm. Contractus ad an. 937.

Chron. S. Petri vivi T. IX. rer. Gall. & Franc.

Ju-

Julio, ut teſtatur Chronicon Beſuenſe ad h. a. jam in hanc jam illam provinciam prædæ cupiditate irrumpentes, adeo ut Chronicon S. Vincentii Met. queratur ad h. a. *Ungarii tertio regnum Lotharii depopulantur.* Nempe *prima vice* id factum anno 935, cum ex Lotharingia in Burgundiam infuſi, poſtmodum per Italiam ad propria redierunt, *ſecundo* cum anni hujus principio ex Alſatia per Lotharingiam in Gallias irruperunt, *tertio* hoc eodem præſente anno ſub ſuum e Galliis reditum. Non rediere autem hoc anno per Italiam, ut ad hunc annum commemorat Hermannus Contractus, cujus per Italiam hoc anno reditus nemo coævorum meminit. Confuderunt nempe Hermannus Contractus, Interpolator Witichindi aliique, qui eos exſcripſerunt, irruptionem Hungarorum in Gallias anno 935 factam cum præſentis anni irruptione, atque utramque perperam in unum annum præſentemque contraxerunt, cum jam ante P. III. ad an. 935 p. 649 ex Frodoardo ſynchrono, harumque binarum irruptionum oculato & aurito teſte oſtenderimus: illo, non præſente anno, Hungaros ex Burgundia *comperto Rodulfi Regis* (qui jam priore anno ſc. 936 mortuus eſt) *adventu in Italiam remeaſſe.* Redierunt itaque Hungari per Lotharingiam (quo loco rurſum Rhenum tranſierint, incompertum); delati retro ad Franciam, ſollicitantur a Bojariis, *ut regnum in ſe diviſum invaderent.* Subito igitur ſuſpenſo reditu temonem vertunt, & per Haſſiam in hodiernam Weſtphaliam irrumpunt ad Amiſium usque & Viſurgim longe lateque in Septentrionem graſſati. Et quidem primæ eorum iſthic deteguntur memoriæ in Antiquitatibus Tremonenſibus ad Tremoniam urbem, hodie **Dortmund**, ubi primum a provinciali milite cæſi. Sed haud clades hæc Hungaris multo ſanguine ſtetiſſe videtur, quandoquidem nihil deterriti, altius Septentrionem verſus in Mindenſe territorium progreſſi ſunt, quod quaquaverſum vaſtarunt, ut memorat Chronicon Epiſcoporum Mindenſium. Ad urbem hanc transgreſſi Viſurgim ad monaſterium Overenkerken declinarunt, ibidemque Sanctimoniales cum ſuis Clericis & familia numero CXXVIII. interfecerunt, ut narrat idem Chronicon, & alterum Anonymi (quanquam improprio anno 936) nec deſint quique, qui hujus monaſterii vaſtationem primum poſt cladem ab Ottone acceptam reponant. Hic igitur jam a dextera Viſurgis ripa circumquaque graſſantes Hungari, ad Bodam fluvium obviam ſibi habuere ſequente anno exercitum Ottonis, & tum accidit, quod toties commemoratus Witichindus ſcribit: quod virtutem novi Regis probaturi, probe mulctati ſint. Id revera anno ſequente acci-

Apud Labbeum T. I. p. 345.

Ruotgerus in vita Brunonis Archiep. Colon.

Apud Dudem Chytræum l. 16. Saxon.

Apud Meibom T. I.

diſſe, pluribus veterum Chronicorum teſtimoniis ad eum annum roborabimus. Nec vero Geographiæ gnarus unquam adduceetur, ut credat Hungaros, etſi præſentis anni primis mox diebus e ſedibus ſuis & Hungaria prodiviſſent, potuiſſe tam immenſum iter facile ter centum milliarium ſcilicet per Bavariam, Alemanniam, Franciam; Haſſiam, Weſtphaliam ad Mindam usque, altera ripa ad Bructerum montem & Bodam fluvium, tum per longiſſima terrarum ſpatia retro ad Alſatiam & Lotharingiam, denique extrema Galliarum excurrere, ut jam menſe Martio, quemadmodum uterque adverſarius admittit, ad urbem Senonas conſtiterint, ibidemque S. Petri vivi monaſterium cremaverint. Adverſum quæ inſuper vetuſtiſſimorum Chronicorum communis conſenſus militat, quæ commemorata irruptione Hungarorum in Gallias, clariſſimis verbis dicunt, eos ſuperata Francia ad Wormatiam Rhenum transmiſiſſe, atque in Alſatiam infuſos, ut proinde dubium amplius non ſit eos nonniſi ſub reditum ſuum atque poſt devaſtationem Galliarum in Saxoniam irrupiſſe. Reliqua utriusque adverſarii argumenta confutatione haud indigent, quandoquidem ſeu arbitraria & pene ſophiſtica Witichindi interpretatione, ſeu meris effugiis nituntur. Nec vero iſthic tam longe progreſſi fuiſſemus, niſi doctiſſimus Compilator Chron. Seriei Clariſſimum Conſodalem ſuum Suyskenum p. 320 gravioris Chronologici erroris reum (quod annum 936 martyrio S. Wenceslai quoque defixerit) ſumma confidentia pronunciaſſet, ſuamque (imo ſcribere conveniſſet, R. P. Athanaſii) epocham ceteris omnibus prætuliſſet, e qua cum præcipua hiſtoriæ patriæ momenta dependeant, multaque alia poſteriora ex illa definienda ſint, ne illa minus expedita civitatem in faſtis noſtris obtineat, pluribusque poſthac erroribus Chronotaxim Bohemiæ peſſumdet, operam hanc noſtram non penitus ſupervacaneam exiſtimabit benevolus Lector.

III. De Moraviæ ſtatu poſt cædem S. Wenceslai hæc memorat Balbinus: *Moraviam, ampliſſimum quondam & nobile regnum poſtea collapſum & anguſtis limitibus clauſum, D. Wenceslao, cum a Rege Rom. Henrico Aucupe rex ſalutaretur, donatam & Bohemiæ additam jam pridem narravi: occiſo nuper Wenceslao, irritati tam truculenta cæde Moravi conſurgunt ad arma, & obſequium Boleslao renunciant. Dubitari non poteſt: Moravos Othonis authoritate ad eam defectionem ſolicitatos & inductos: quippe Boleslauni hoſtem a Cæſare declaratum, eique titulum regium, quem uſurpabat, ac ſibi poſt fratrem deberi dicebat,*

Balbin. in Epit. p. 101.

bat, ablatum, indicat Weleslavinus. Peſſina in Prodromo Moravographiæ affirmat (quod veriſimile videtur) a ſacerdotibus Chriſtianis concitatos Moravos, ut ſæviſſimi Principis, qui odio Chriſtiani nominis fratrem peremerat, jugum excuterent, neque iſtud modo, ſed etiam ultro (ut poſtea dicam) bellum inferrent. Hactenus Balbinus. Sed utinam vetuſtiores narratorum ſuorum teſtes, quam Weleslavinum & Peſſinam, adduxiſſet! Sane, ut jam alias oſtendimus, de donata S. Wenceslao Moravia, aut regia dignitate, mera præter certum antiquitatis veſtigium recentiorum inventa ſunt. Id omnium certiſſimum, quod primo loco commemoraverat Balbinus: *Regnum Moraviæ collapſum & anguſtis limitibus* hoc ſæculi initio *clauſum fuiſſe.* Ab ultima Hungarorum vaſtatione & regni Moravici everſione, propter vicinorum Hungarorum quotidianas pene incurſiones, omnes fere Moraviæ terras propius Danubium reſpicientes meram ſolitudinem fuiſſe, ex Actis Eccleſiæ Laureacenſis cognoſcimus, dum demum orientalis marchio ſeu Oſterrichiæ, item Bojoarii, denique Moravi ipſi a limitibus Bohemiæ ſeſe latius rurſum explicarunt, Hungarosque retrocedere coegerunt. Quod autem Moravia jam hoc tempore Boleslaum Principem ſupremum reſpexerit, aut hoc anno ſeſe ab ejus clientela ſubtraxerit, nuspiam in veteribus proditum, poſterius Boleslaum eundem imperium ſuum per omnem Moraviæ regionem extendiſſe, annis conſequentibus viſuri ſumus.

Similiter haud conſtat, quis ſublatis Moraviæ magnæ caſu Epiſcopis, Epiſcopalia munia adminiſtraverit, jurisdictionemque in illam exercuerit. A præſente tamen anno, quo Gerardus Laureacenſis Archiepiſcopus pallium a Leone Rom. Pontifice accepit, rectiſſime repetendum videtur, quod Laureacenſis Archiepiſcopus ſibi rurſum jurisdictionem in Moraviæ terras vindicaverit, & quidem multiplici nomine & titulo, maxime quod (ut Agapiti Bulla apud Goldaſtum & Hanſizium loquitur) olim ante Hunnorum irruptionem *ex hac metropoli in ſuperioris atque inferioris Pannoniæ provincias Chriſtianæ fidei emanaverit gratia, & quondam Romanorum Gepidarumque tempore in orientali Pannonia ſeptem Epiſcopi fuerint Laureacenſi ſubjecti.* Nam cum hoc anno Leo VII. Gerardum Archiepiſcopum Laureacenſem pallio donat, ac altera bulla ad Epiſcopos Egilolphum Juvavienſem, Iſingrinum Ratisbon. Lantbertum Friſing. & Viſundum Sebonenſem data velit, *ut Eccleſiæ Laureacenſis ſtatus & rectitudo ac proprius vigor ad in-*

Hanſiz Germ. Sac. T. I. p. 191.

Goldaſtus in Append. docum. n. 5. Hanſiz. l. l. p. 198.

tegrum culmen & priſcum decorem perducatur, merito concluditur, Gerardum has ſibi noviter conceſſas prærogativas non neglexiſſe, & in Moraviam olim ſuæ ſedi ſubjectam denuo jurisdictionem exercere cœpiſſe; quod maxime confirmatur ex Agapiti Papæ bulla annis circiter decem poſterius data, in qua propter litem Laureacenſis cum Salisburgenſi exorta priori omnia confirmat Papa, & *Moravos* nomine refert inter gentes Laureacenſi ſeu Patavienſi eccleſiæ ſubjectas. Unde recte ſcribit Balbinus noſter: *Sequitur evidentiſſime Moravorum eccleſias exſtincto Archiepiſcopatu ceterisque cathedralibus eccleſiis* (Moraviæ) *non Ratisbonenſi (ut ſcripſere quidam) ſed Patavienſi fuiſſe ſubjectas - - - - Aliu ratio Bohemiæ eſt, quam Ratisbonenſem Præſulem reſpexiſſe noſtri omnes Scriptores, tum vita S. Wenceslai & Wolfgangi demonſtrat.* Author vero & Dux, qui Moraviam Epiſcopo Ratisbonenſi ſubjecit, fuit Auguſtinus Moravus in ſua ſerie Epiſcoporum Olomucenſium, qui uti in hoc, ita & in altero hallucinatus, quod Joannem Archiepiſcopum Moraviæ in hæc Ottonis tempora rejecerit, quod jam Parte II. ad an. 900 p. 352 refutavimus. Tam erronea eſt Joannis Kahlo ſuorumque ſequacium Chronologica reformatio de urbibus Glazio & Monſterberga, quas ſeu priore ſeu hoc anno jam in Imperiales civitates evectas ridicule contendunt, de quo jam ad annum 908 egimus. Henetius in ſuo Chronico Monſterbergenſi ejusdem Chronologiæ aſſecla vult, Monſterbergam a Polonis *Sambice* ſeu *Sambicz* appellatam fuiſſe, quam appellationem antiquiſſimis temporibus, cum a Slavis teneretur hæc regio, obtinuiſſe non diſputo; at poſtquam Germani ſeſe in hæc loca inſinuarunt, invenio primum nomen ejus fuiſſe **Agnetsbach**: ſic enim in Catalogo Bernarum Provincialium MS. inter urbes, quæ oppignorari a Rege poſſunt, notatum deprehendo: **Agnetsbach** *alias* **Minſterberg**. In Conſtitutionibus Carolinis Rubr. 8 vocatur *Angrerbach*. Pari modo Glacium in eodem MS. vocatur **Fruſſteberg** item **Lichtenburg**. Conſtitutiones tamen Carolinæ diſtinguunt & ſejungunt hæc duo caſtra, minus recte autem Commentator in has Conſtitutiones **Fruſſteberg** confudit cum **Frumburg**, quod nomine & ſitu diſtinctum caſtrum erat.

Epit. l. 1. c. 3. p. 13.

AN-

ANNUS 938.

Hnievſa & Styrſa ſecundarii Wenceslai percuſſores (a) nacti calentem adhuc a cæde Principem, non eruburunt terras, parricidii præmia, flagitare, nec veritus eſt dare Boleslaus principalis percuſſor. Hnievſa itaque agrum eum, qua euntibus Boleslavia Pragam iter eſt, mercedis loco accepit, ubi ſuper eminente loco prædium ſibi conſtruxit, & quoniam paſſim percuſſoris nomine innotuit, id a Slavica voce **Wrach**, quod latronem ſignificat, Wrahby (b) quaſi latrocinium dicas, appellatum eſt. Prædium iſtud multo tempore Hnievſa inhabitavit, mox ſimul emota mente delirare cœpit adeo, ut hominem ſolido quotannis menſe ea inſania atque is furor tenuerit; (c) quod ſupplicii genus ad poſteros quoque male nominatus pater ea infelicitate transtulit, ut poſthac Wrabſtiorum nonnemo ſemper eo malo laboraret, quod fortaſſis in hunc usque diem perduravit. (d) Quidam enim ſcribunt, in Chronicis ſuis, quos inter Henricus Duchczowsky, (e) quod ab hominum memoria omni tempore unus aliquis ex hac ſtirpe fatuus & mentis impos, tum plerumque ruſo capite capilloque ferrugine aſperſo inventus fuerit, ut ſanguinis nocenter hauſti teſtimonio eſſet ſempiterno. (f) Alteri percuſſori Styrſa ob navatam operam datus eſt ager Boleslaviam a Septemtrione reſpiciens, in quo prædium Stranow dictum haud procul ab Izeræ fluminis ripis excitavit. (g) Hunc contra in ultionem patrati ſceleris enormes pedum cruciatus mixto teterrimo

Hnievſa primus percuſſor S. Wencesl. accipit prædium Wrahby in præmium.

Wrabſtiorum hereditaria pœna.

Styrſa alter percuſſor Stranow accipit in præmium.

odore vexabant, dum vixit. Idem cum aliquando accepto cane atque accipitre venando remedium quæreret, Boleslaviam Principis viſendi cauſa equitavit, redux cruciatuum acerbitate obrutus, atque ob id equo deſcendere compulſus auditu horridas in Deum Divumque Wenceslaum execrationes blasphemo ore evomuit, nec monitus reprehenſusque a cominus conſiſtentibus ſervis reſipuit, quin diris diras majores adjecit, dum Deo ultricem dexteram exerente vivus cum equo, cane, & accipitre terræ hiatu hauſtus eſt, modica nonniſi foſſa inferni hujus raptus veſtigio remanente. (b)

Abſorbetur a terra cum equo & falcone.

Servitia infelicis heri comites cum trepidatione in prædium Stranow redeuntes uxori filiisque funeſtam ſcenam nunciant, ſimulque cum triſti nuncio hereditariam peſtem in Styrſæ domum ſpargunt, ſane ab eo pene die pedor ardorque pedum in filios Bogſam & Dolislaum graſſandi initium fecit, qui demum in omnes poſteros propagatus eſt. Neque hic pœnarum ſatis: Nunquam quinquaginta effluxere anni, quin intra hanc annorum periodum certus aliquis ex Styrſæ domo turpi atque ingloria morte periret. (i) Racek Dobrohorsky Eccleſiæ Boleslavienſis Canonicus ſcriptum reliquit in Chronico ſuo: eam foſſam, qua blasphemus Styrſa abſorptus eſt, quotannis homines die S. Wenceslai ſacra ſub ſolis ortum viſitare conſueviſſe, unde non raro equum hinnientem, canem latrantem, & falconem tintinnabulo reſonantem audierint.

Pœna hereditaria Styrſianorum.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 938.

LEONIS VII. PAPÆ 3. OTTONIS M. 2.
BOLESLAI I. 2. ISENGRINI EP. RAT. 6.

(a) In nullo vetuſto Scriptore Hagiographoque nomina percuſſorum inveneris, primus Hnievſæ, quem Hnieviſam vocat, rurſum meminit Dalimilus c. 30. fratrem ejus nomine non prodit.

(b) Et hodie ſuperſtes eſt pagus haud longe Brunduſio diſſitus.

(c) Ab hoc ipſo Hnievſa, atque ab hoc anno Paprocius deducit hodie exſtinctorum Equitum Wrabskiorum de Wraby originem, ſed quanto Genealogiæ vitio! ab hoc enim præſente anno 938 ſæculoque decimo, immenſo ſaltu ac nemine hujus nominis commemorato, tranſilit ad ſæculum XIV. annumque 1399, quo Alſſonem quendam de Wraby in libris Erectionum invenit. Sed nec nomina nec arma gentilitia recte ab hac vetuſtate repeti, jam alibi oſtendimus, alioque loco certiorem Wrabskiorum Equitum originem proferemus, quorum alii cognomento de Burzenicz, alii Tluxenſes, alii Wrabsky de Wrahby dicti fuerunt. *Paprocius in Daidocho in Equit. c. 18. p. 116.*

(d) Quin ſi Chriſtanni noſtri verba alicujus momenti ſunt, hæc vix ſubſiſtere poſſunt: ſcribit enim de percuſſoribus S. Wenceslai: *Omnisque eorum proſapia eruta radicitus, ſi qui vero ſuperſunt, ſtipendiorum ſibi victum manibus queritant propriis.* *Chriſtannus in vita SS. Ludmillæ & Wenceslai.*

(e) De hoc authore haud amplius quid proditum eſt, quam eum non multo ante Hagecium vixiſſe. Balbinus quidem eum citat, ſed ad Hagecii teſtimonium provocat.

(f) Balbinus memorat Wrabskios majorum ſuorum impietatem poſtea emendaviſſe, multisque donationibus & fundationibus Boleslavienſem S. Wencelai eccleſiam ditaſſe. In libris Erectionum L. IV. E. C. 3. legitur ſupra allatum Alſſonem armigerum Pragenſis diœceſis fundaſſe altare omnium Sanctorum in dicta eccleſia. *Balbin. in Epit. l. 1. c. 9.*

(g) Stra-

(*g*) Stranow poſtea in caſtrum tranſiit, hodie cum adjacentibus agris & villis Illuſtriſſimi Joannis Wenceslai Przichowsky Comitis de Przichowitz eſt.

(*b*) Hæc omnia a poſterioribus Scriptoribus adjecta, amplificata, & exaggerata ſunt. Vetuſtiſſimus Ottonianus S. Wenceslai Hagiographus generatim inquit: *Et veracium ſepe nobis relatu patefactum eſt, poſt conſtantiſſimi triumphum athletæ omnes ſanguinis effuſores innocentis ſuperno incuſſi furore, aut demonum poteſtate rapti inter homines poſtea non comparuerunt, aut verſa per vices natura cunum latratu vice loquendi utentes, dencium ſtridore morſus imitantur caninos, aut miſera corporum ariditate ſiccati, nec non auditus continua privatione vitam ipſis ſaltim odioſam finiverunt.* Quæ veroſimillime poſteriores pro argumento ſumpſerunt, ad particulares circumſtantias & nomina evagandi.

Vita MS. S. Wenceslai.

(*i*) Hagecius hujus anni materiem cumprimis ex Dalimilo aſſumpſit, ſed re ipſa eundem minus attente legit. Nam Dalimilus Hnievſam contra una cum equo abſorptum memorat, fratri vero ejus inſaniam adſcribit.

PRÆTERMISSA.

I. Bellum quidem Ottonem inter & Boleslaum a ſuperiore anno usque ad annum 950 protractum fuiſſe, ſcribunt vetuſtiores omnes; at quænam hos inter anni hujus peculiaria geſta fuerint, prorſum conticent. Nonnulli quidem cum Sigeberto Gemblacenſi Ottonis bellum hoc anno adverſus Boleslaum defigunt: at quandoquidem Sigebertus non levi Chronologiæ vitio martyrium S. Wenceslai in hunc annum rejecit, in ejusque ultionem bellum ab Ottone indictum ſcribit, plane conjicitur, Sigebertum non aliud Ottonis bellum intendiſſe, quam quod ſuperioribus duobus annis ex Witichindo narravimus. Hoc vero anno inteſtinum fuiſſe bellum Ottoni, ex Witichindo cognoſcimus, qui libro II. pag. 644 & ſequente copioſe id narrat. Ortum illud ex Thancmari minus quieto, imperiisque Ottonis renitente animo, quod mors Arnoldi Bajoariæ Ducis magis magisque incendit, cum Eberhardus, Arnulfus, atque Hermannus legitimi ejus filii paterna hereditate, & ſucceſſionis jure excluſi, Bertholdum avunculum Ducem Bajoariæ ſalu-

Sigeb. Gemblac. ad h. a.

lutare coacti sunt; utrumque hic longius prosequi ad historiam patriam spectat minime. Hoc intestino fervente bello redeunt ex Galliis Hungari prædarum illiciis per terras, quas transierant, eousque detenti. Non poterat hæc Hungarorum appropinquatio non usui videri Bajoariis in plures factiones scissis & magnam partem Ottonis factum execrantibus, quare scribit Ruotgerus coævus in vita Brunonis Archiepiscopi Colonienſis: *Simul Ungros antiquam pestem patriæ sollicitabant, ut regnum in se divisum invaderent, arbitrantes hoc modo sibi sollicitudinem, qua premebantur, aut penitus adimi, aut aliquatenus minui posse.* Et tum tandem evenit illud quod præmiserat Witichindus: *Intrantes autem* (Hungari) *Franciam statuerunt, si possent ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem nihil moratus cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque, & a terminis suis abegit.* Quam Hungarorum cladem ad eundem annum reponit Chronicon Augiense, Thornacense, Hermannus Contractus omnesque alii veteres. Et vero hanc unam tum & non aliam priori anno irruptionem fuisse Hungarorum in Saxoniam, cuique Witichindum meditatius legenti in aperto est. Nam cum prius paucis verbis irruptionem clademque eorum insinuasset, mox interposito bello intestino Tancmari & Bojoariorum repetit & subjungit: *Dum ea interea loci geruntur, antiqui nostri hostes Ungari subito irruunt in Saxones, & castris super litus Bodæ fluminis collocatis inde in omnem regionem diffunduntur.* Quo loco & irruptionem & cladem, quas hic referre nostra haud interest, locupletius describit. Cognoscat tandem uterque sententiæ nostræ adversarius, quantum interfit fontes ipsos consulere meditateque legere, atque sua ex excerptis consuere. Nemo profecto veterum, imo ne recentiorum quidem alicujus nominis hanc Hungarorum in Saxoniam irruptionem geminavit, ut alteram anno priore, alteram hoc anno accidisse scripsisset. Jam ad annum superiorem ex brevi Thornacensi Chronico ostendimus, sequente post devastationem Gallicam anno primum Hungaros illapsos in Saxoniam, cæsosque, quod ipsum trium quatuorve aliorum veterum Chronicorum consensu ex iisdem Scriptoribus rerum Gallicarum & Francicarum confirmare fas esset. Quare cum dies VII. Kal. Octobris belli finiti Bohemici a Witichindo indicata ad annum superiorem spectet, merito ille irruptionem Hungarorum in Saxoniam præsente nonnisi factam anno posteriorem statuit, atque ex temporum ordine recte scripsit: *Postbæc antiqui hostes Ungari venere* &c. Neque vero Witichindus sub *externis bellis*, quæ civilia & intestina præcessere, comprehendit irruptionem

Apud Leibnit. T. I. p. 279.

Witichindus l. 2. p. 644.

Idem p. 645.

nem Ungarorum in Saxoniam, ut minus recte argumentatur Compila-
Chronol. Geschicht. Böh. 2. Th. p. 345. tor Seriei Chronologicæ, nam hæc irruptio Ungarorum reipsa spectat ad bella civilia & intestina, solicitantibus enim Bajoariis, ut ante ex Ruotgero vidimus, Ungari irruperunt in Saxoniam, quod ipse claris verbis testatur Witichindus c. l. p. 645. dum commemoratis his bellis civilibus ait: *Dum ea interea loci geruntur, antiqui hostes Ungari subito irruunt in Saxoniam.* Quodsi autem quis quærat, quare superiore anno Otto Ungaris per Bajoariam, Alemanniam & Franciam grassantibus exercitum non opposuerit, in promptu responsum est, quia bello Bohemico distentus erat, quos profecto jam tum e finibus suis depellere non neglexisset; quæ ipsa militis Ottoniani longinquitas audaciam Hungarorum incendit, ut etiam ultra Rhenum & in Gallias po-
Script. rer. Franc. et Gal. T. IX. p. 34. & 135. pulabundi impune excurrerint, unde cum *in propria redirent*, ut Chronicon S. Petri Vivi & historia translationis SS. Saviniani &c. loquitur, finito multo prius bello Bohemico omnino Otto par erat retundendis
Ditmarus l. 2. p. 338. Hungaris. Porro ne annus *secundus* Ottonis a Ditmaro & quibusdam veteribus proditus (quo irruptionem Hungarorum in Saxoniam statuunt) quosdam in hæsitationem inducat, sciendum: annum secundum regni Ottonis ad finem usque Julii seu initium Augusti præsentis anni 938. perdurasse, cum anno 936. eodem tempore coronatus fuerit. Erravit igitur gravissime suprafatus Compilator, cum pag. 344. primum
Witichin. l. 3. p. 663. annum Ottonis a festis natalitiis anni 937, auspicatur. Witichindi libro tertio postremum adjectum testimonium de Hungarorum irruptione haud moror, quandoquidem id extra omnem rerum narratarum ordinem refertur, a posteriore seu Interpolatore seu Continuatore appositum, ut alii jam quoque viri eruditi sensere. E quibus jam convincitur: sartam tectamque manere epocham seu annum 936 martyrii S. Wenceslai, quem Clar. Suyskenus, egoque defiximus. Ceterum num hoc anno scissis in tres aut plane quatuor factiones Bajoariis penitus quietus perstiterit Boleslaus, & num non præsertim Henrici (quem postea tuitus est) partes amplexus sit, ob veterum silentium affirmare nolim, suspicari tamen merito licet eum intestinum hoc bellum pro viribus suorum commodorum causa fovisse, & non minimo expletum
Witichind. l. 2. p. 645. gaudio, cum intellexisset Tancmarum (de quo P. II. ad An. 928 §. II. egimus) Heresburgi in templo S. Petri ab hostibus suis occisum.
Ditmar. l. 2. p. 331.

II. Ab hoc anno ludisque Equestribus Ottonis M. passim nostri Genealogiarum architecti Illustrissimæ juxta ac vetustissimæ Wartembergiæ

bergiæ atque Waldſteiniæ ſtirpis originem repetunt; de quo inter alios breviſſima univerſæ hiſtoriæ Waldſteiniæ Epitome Pragenſibus typis excuſa hæc §. I. narrat: *Waldſteiniorum majores jam circa annum* 900 *varius de Ralsko, ſed fere de Wartenberg, aut certe utrinque ſe ſcripſere. Patet id ex libris Torneamentorum: in quibus ad an. ſal.* 938 *primis idgenus equeſtribus ludis Magdeburgi celebratis interfuiſſe legitur Dietricus ſeu Theodorus D. de Wartemberg, quem Tannerus, Balbinus, Czervenka & omnes alii Scriptores noſtri, unum e primis Waldſteiniorum Majoribus agnoſcunt. Ab hoc Theodoro deinceps inclyta Waldſteiniana propago continua generationum ſerie deſcendit.* Verum quam fabuloſus ſit hic Rixneri Torneamentorum liber, & quam præmature Torneamentorum multo poſterius enatorum ſolemnitas ad hæc tempora deferatur, jam P. III. ad an. 925. p. 526. & 601 præoccupavimus; nec hodie ullus eruditorum eſt, qui tum hos Rixneri libros, tum Franciſci Modicis Pandectas Triumphales, tum Goldaſti leges haſtiludiales in ſuis Conſtitutionibus Imperial. T. II. publicatas inter fabulas & deliramenta ſequiorum ſæculorum non recenſeat. Quibus Viris res iſtiusmodi confingendi veroſimillime hæc Witichindi l. 1. de Henrico Aucupe loquentis verba argumentum præbuerunt: *In exercitiis ludi tanta eminentia ſuperabat omnes, ut terrorem ceteris oſtentaret.* Verum hos ludos nonniſi nobile quoddam exercitii militaris genus hoc tempore fuiſſe ſine iis avitæ nobilitatis requiſitis, ſine legibus, aut poſtea uſitata pompa, ac ſolemnitate paſſim hodie viri eruditi ſentiunt. Solita nempe ætas hæc aſſuefacere nobilem adoleſcentiam ſeu equeſtribus ſeu etiam pedeſtribus iſtiusmodi ludis, quod uſus ferret, ut paſſim juramenti loco adhiberentur, aut in cauſis dubiis ſummeque arduis nonnunquam judex litigantibus, nonnunquam pars parti certamen deferret, e cujus eventu cauſæ æquitas judicabatur. Imo non raro legimus ad cauſam definiendam iſtiusmodi certamina a nobilitate in vulgi gladiatores translata fuiſſe. Ita enim plane anno ſuperiore accidit teſtante Witichindo, ut cum de legum varietate orta eſſet contentio: *Utrum filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis ſortiri, ſi forte patres eorum obiviſſent avis ſuperſtitibus*, Otto conventione univerſali apud villam Stela coacta primum id arbitrorum examini permiſerit, mox, verba ſunt Witichindi: *Meliori uſus conſilio noluit viros nobiles ac ſenes populi inhoneſte tractari, ſed magis rem inter gladiatores diſcerni juſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum eſt, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto* *Witichindus l. 2. p. 644.*

to ſempiterno. In ejusmodi fere uti & bellicos uſus exercitiis acuebatur nobilitatis dexteritas, quæ tum ludos dicebant, ubi ut ordinatim fierent, leges veteres ſub Henrico Aucupe in meliorem formam redactæ ſunt. Nam jam ſub Ludovico Pio iſtiusmodi legum vigorem fuiſſe ad An. 925 pap. 526 ex Ermoldi Nigelli libro 3 oſtendimus. Legum iſtarum reliquiæ, præſertim quoad duellandi ritum, non modo in veteri jure Teutonico, ſed etiam municipali noſtro Bohemico adhuc Sæculo XIV. conſervatæ ſunt, quas aliquando inter inedita noſtra ex coævo MS. publicabimus. Quare ſcite hanc in rem quoque doctiſſimus Abbas Gotvicenſis: *Quamvis hic demus locum opinioni Cangii in Gloſſar. voce Torneamentum: ſolemnitates in militari hoc exercitio cum tanta pompa ac ſplendore intervenire ſolitas poſterioribus modo temporibus & XI. præcipue ſæculo initium ſumpſiſſe. Velitationes ergo hujusmodi torneariæ umbra fuerunt militiæ veræ ac regularis, quam ſub Henrico in certas etiam regulas coactam fuiſſe ex Luitprando l. 2. Chron. cap. 9. p. 108 & alibi edocemur.* Nihil igitur eſt, quod iſtiusmodi recentiorum figmentis Illuſtriſſimæ Waldſteiniæ ſtirpis originem ſuperſtruamus. A quo tempore autem ſinceræ ejusdem Familiæ ſuppetant memoriæ, jam T. I. pag. 225 Ineditorum noſtrorum indicium fecimus. Et vero cum Illuſtriſſimus Comes Rudolphus Caroninii de Cronberg de origine Waldſteiniorum & Wartenbergiorum jam Anno 1766 Goriziæ diſertationem Italico ſermone in lucem emiſerit, & nunc etiam in amplificando expoliendoque opere eum deſudare ſciamus, a ſumma eruditione excellentique judicio Illuſtriſſimi iſtius juxta ac doctiſſimi authoris nihil non certum abſolutumque exſpectare fas eſt.

Chron. Gotvic. l. 2. p. 439.

ANNUS 939.

Boleslaus expeditionem in Zatecenſes adornat.

Boleslaus Wiſſehradi Primorum Seniorumque plebis coacto cœtu belli expeditionem indicit, nec tamen expeditionis cauſam, aut in quem ſuſcipiatur, aperit. Adeſt maximo numero, dicto audiens, armatus populus ante Wiſſehradenſis caſtelli muros, Princeps ſexcentis non amplius militi-

litibus delectis (a) in occidentem progreditur agrum Lucenſem populaturus, cujus quidem ſævities, cum omnibus terrori eſſet, nemo adverſari auſus eſt. Advenere interea Dobromiri provinciæ hujus reguli legati, qui Boleslao nunciabant Principem ſuum non modo mandatis ejus pariturum, ſed & ſe omnibus clientelæ officiis arctiſſime devincturum. Verum nihil impetrantibus legatis, quod palam Boleslaus jactaret non ſe poſiturum arma ſanguine Dobromiri non manu ſua hauſto, Dobromirus metu perculſus in Bavariam cum uxore, liberis ceterisque neceſſitudinibus profugit. (b) Atque ita Boleslaus totam Provinciam Lucenſem depopulatus, urbem Zatecium dictam occupavit, hic Dobromiri loco quendam e ſuis Worſam nomine Præfectum provinciæ urbisque inſtituit. (c) Primum præcipuumque mandatum erat, ut centum triginta marcarum juſtæ monetæ annuum tributum ærario Ducali penderetur, quod niſi ſolerter exequeretur Præfectus, capitis imminutione lueret. (d) Poſtremum dimiſſo exercitu abhinc Boleslaviam movit, molimen urbis ſpectatum.

Dobromirus Regulus fugit in Bavariam.

Worſa conſtituitur Præfectus regionis Zatecenſis.

ANNUS JESU CHRISTI 939.

STEPHANI PAPÆ VIII. AN. I. OTTONIS M. 3.
BOLESLAI I. AN. 3. ISENGRINI EP. RAT. 7.

(a) Stranskius noſter ſcribit: *Ante Boleslai cognomento ſævi ætatem adverſus boſtes & inprimis Miſnios, Noricosque graſſatores nunquam mille viris plures ad arma concurriſſe, & tamen prohibendis illorum latrocinii-* *Reipubl. Bojemæ c. 17. §. 3.*

ciniis semper pares fuisse leguntur. Verum quis sibi persuadeat, mille viros tantam exercitus Germani vim seu sub Carolo M. seu Ludovico aut subsequis Franciæ Regibus, ac præsertim Henrico Aucupe sustinere potuisse. Minus solerter veteres coævosque fontes consuluit Stranskius.

(*b*) Hæc, ut alias innui, quædam traditionis reliquiæ sunt, quæ verius Witichindus de Regulo Boleslai imperium detrectante narravit, ut jam ad An. 936 & superiorem retulimus. Qua in re nobiscum facere videtur Balbinus. Scriptores hactenus inediti Zatecenses passim Hagecium in historia popularium suorum sequuntur ac tuentur: verum Hagecium ea, quæ de Luzensibus seu Zatecensibus narrat, non ex coævo Scriptore, aut paulo posteriore hausisse, vel illud indicio est, quod germana bella Henrici & Ottonis nuspiam in Hagecio compareant, quæ multo digniora relatu quomodo coævus author prætermittere potuisset, ne cogitatione quidem licet assequi. Unde merito conjicere fas est, propria illa personarum locorumque nomina a posterioribus inventa.

Balbinus in Epit. l. 2. c. 1. p. 100.

(*c*) Ad hunc locum subdit noster P. Victorinus: Hanc & sequentis anni historiam fusius pauloque aliter referri a Pessina in Phosph. Bad. 3. & Balbino in Epit. l. 2. c. 2. Nam Boleslaum contra Bilinensem & Lucensem dynastas bellum indixisse, ut rebelles coerceret, & illi quidem veniam petenti dedisse, hunc vero fiducia germanici præsidis resistere ausum expulisse, præfectura Zatecensi in Worsam translata. Ita nempe addere, demere, mutare nemini tum piaculo visum, quod viri hi doctissimi alioquin cognoscerent meris conjecturis has historias stare.

(*d*) Magnopere mirandum, ne quidem Dalimilum omnium horum cognitionem habuisse, cum gesta Boleslai sævi recensuisset.

PRÆTERMISSA.

De anni hujus simultatibus Ottonem inter & Boleslaum rursus altum inter veteres silentium. Si quid belli, ut quindecim annorum bellum ab omnibus veterioribus proditum innuere videtur, interceſſit, procul dubio id nonnisi ab Ottonis Belliducibus gestum est, cum ei nego-

negotium hoc anno fuerit cum Lotharingis, Ludovico Rege Galliarum, Caroli cognomento Simplicis filio, & Metenſi Epiſcopo: reduci vero ex Lotharingia, cum Henrico fratre ſuo, qui projectis armis ipſe ſe ſubdidit, ut apud Witichindum l. a. legitur. Ceterum illud ipſum punctum temporis deputamus, quo in ordinem pedetentim redactis regulis Bohemiæ & Moraviæ Boleslaus per utramque provinciam ſummam poteſtatem conſequi conniſus eſt, quam non modo in has duas regiones, ſed etiam partem Poloniæ & Hungariæ hodiernæ feliciter ante mortem ſuam protendit, ut ſuo loco videbimus. Ante hæc ipſa autem tempora, ut de Moravia taceam, Bohemiam ipſam pluribus regulis paruiſſe, ex Witichindo ſupra allato liquet, qui ſub Imperio S. Wenceslai adhuc *Bohemias tributarias* vocat. Unde recte Jordanus: *Bohemia tunc in plures Dominationes & Principatus fuit diſcerpta.*

Herman. Contract. apud Caniſium ad h. a.

Orig. Slav. c. 29. p. 241.

ANNUS 940.

Worſa Boleslai quæſtor magis magisque aucupaturus Principis gratiam, novis indictionibus tributisque cœpit premere regionem Zatecenſem. Quod cum populo indignum intolerandumque videretur, legationem miſit ad Boleslaum, ut ne ſe tantis oneribus ſuccumbere pateretur. At nihil motus Ducis animus in mandatis dat Worſæ, ut pervicacia capita dupli condemnaret, idemque duplum poſthac in Ducale ærarium inferret, quod inſolentiſſimus quæſtor ſolerter ſimul ac crudeliter exſequi auſpicatus eſt. Hac indignitate in rabiem actus populus de necando Worſa conjurationem facit, mox ſummæ rapacitatis homini necem in quæſtorio intentat. Id cum ad aures Boleslai perlatum eſt, more ſolito is ringere atque jurare: ſe ſe regioni ſucceſſorem iſto truculentiorem daturum; at fortuito

Worſa interficitur.

civi-

civitatis bono contigit, ut nemo alienæ cupiditati & avaritiæ vitam ſuam immolatum ire vellet, atque propterea diu poſt regio tributorum exactore caruerit Zatecium. (a)

Boleslaviæ veteris munimenta abſolvuntur.

Sub idem tempus ſuprema Boleslavienſibus munitionibus manus impoſita. Operaria multitudo verita ne intra muros contruderetur, condendisque ac colendis ædibus addiceretur, noctium beneficio pene omnis diffugit. Erat vero Boleslao major numerus Ethnicorum, quam Chriſticolarum, adverſum poſteriores implacabiles enatæ inimicitiæ ipſum Principem magis magisque irritabant, ut ex his nemo fideret intra urbis hujus muros domicilium figere. Boleslaus tandem muris perfectis Wiſſehradum rediens Pragenſes Cives evocat, hortaturque Boleslaviam commigrent, domosque iſthic ſibi ſtatuant. Sed raro gratiora ſunt nataliciis locis aliena tecta. Cum reſpondere juberentur moroſi Cives, negarunt fieri poſſe, quod Princeps peteret, utramque manum Pragenæ Urbis culturam expoſcere, haud expedire ut altera ex alterius ſolitudine creſcat. (b) Quod reſponſum adeo irritavit ad iracundiam alioquin proclive Boleslai ingenium, ut vocatis pluribus ethnicis, iisque in caput Chriſtianorum incenſis, minaretur Urbis Pragenæ excidium, (c) quemadmodum contra ſpem Boleslaviæ obtruſerat, ut aliquando in metropolim exaltaretur.

Pragenſes Cives jubentur Boleslaviam commigrare.

ANNUS JESU CHRISTI 940.

STEPHANI PAPÆ VIII. AN. 2. OTTONIS M. 4.
BOLESLAI I. AN. 4. ISENGRINI EP. RAT. 8.

(*a*) Horum omnium fontem fruſtra in Scriptore Hagecio vetuſtiore quæſivi, quæ poſteriores mire amplificavere & pro arbitrio varia Chronologia impertierunt.

(*b*) Eadem ad lacunas annorum explendas ſcripta nemo dubitabit, quæ ſeu Hagecius, ſeu illo anteriores ex prodita a Coſma Boleslaviæ ædificatione per probabiles conjecturas deduxere, rem perſcribentes, ut accidere potuiſſet, non ut compendiariam repererunt. Ceterum qui magis nervoſe hæc enarrata cupit, Balbini Epitomen l. 2. c. 2. adeat.

(*c*) Cædes S. Wenceslai omnes pene hiſtoricorum calamos in Boleslaum exacuit, ut ejusdem univerſo regimini implacabile in Chriſtianos odium affinxerint, cum poſterioribus annis vere Chriſtianum ejus animum pluribus Eccleſiarum Fundationibus, aliisque piis operibus probaturi ſimus. Et vero Hagecio non ſuffecit, ex veterum indiciis ſævitiem illi appinxiſſe, niſi etiam ſumma avaritiæ macula, qua apud omnes vetuſtiores liber eſt, infamaſſet.

PRÆTERMISSA.

I. Novam cladem acceptam & datam a Boleslao annunciat hoc anno Sigibertus Gemblacenſis, cujus hæc verba ſunt: *Rex Otto Boiz-laum bello ſuperat, at Boizlaus pro victoria ſecurum circumvenieus Principem militiæ Regis cum multis trucidat, Rex vero Boemiam vaſtat.* Quem cum plerique cum Goldaſto ſequuti ſunt, addit is novum ex Auguſtino Moravienſi teſtimonium præter omnem Chronologiæ rationem ſcriptum. At vero jam annotavere complures, inter quos noviſſime Cl. Aſſemanus; fruſtra Chronologiam certam a Sigeberto expeti, & ad hunc annum relata compendium eorum eſſe, quæ ſub cædem S. Wenceslai copioſe narrat Witichindus, quæque ad Annos 936 & ſeq. ſpectare ibidem probavimus. Illud non incredibile: Boleslaum hoc & ſuperiore anno nullum non moviſſe lapidem, ut vicinos Sorabos hodiernæ Miſniæ & Luſatiæ incolas in partes ſuas pelliceret, atque in

Sigeb. Gembl. ad. h. a.

Goldaſtus de Reg. Bob. l. 2. c. 3.

Aſſemanus in Kalend. T. IV. p. 160.

Annalista Saxo. ad h. a. odium Ottonis concitaret, quibus haud dissimilia sentit Balbinus in Epit. l. 2. c. 3. p. 104. nam ad hæc tempora pertinet, quod narrat Witichindus l. 2. *Barbari labore nostro elati ab incendio ac cæde non vacabant. . . . Sed cum Gero non sufficeret contra tot nationes, ab ipso Rege sæpius ductus exercitus in ultimam eos calamitatem adduxit. Illi nihilominus bellum quam pacem malebant, utpote durum genus, laboris patiens, victu levissimo assuetum, & quod nostris oneri est, pro voluptate ducens. Nostris pro gloria & Imperio, illis pro libertate multo tempore certantibus. Multos quippe illis diebus Saxones patiebantur hostes: ab oriente Sclavos &c.* scil. Sorabos, Bohemos & Luiticios.

II. Ad hunc annum referenda est translatio sacri corporis Divi Wenceslai M. quæ ex Civitate Boleslaviensi Pragam inque Ecclesiam Divi Viti IV. Nonas Martii facta est, in eam, inquam Ecclesiam, *quam* ut Christannus loquitur, *in Metropoli Pragensi DEO auctore a fundamento construxerat, & ornamentis Ecclesiæ apprime decoraverat, in qua aliquando, dum fabricaretur, deambulando dixisse fertur versum Psalmographi: Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Dies translationis apud omnes tam veteres quam recentiores indubia est, at de anno non præter rationem scribit Cl. Suyskenus: Translationem hanc seu ad priorem annum seu præsentem spectare *pro varia trienii completi vel incompleti* (quo corpus Boleslaviæ depositum erat) *interpretatione.* Nobis tamen ex argumentis, quæ mox subjungimus, extra omne dubium esse videtur, S. Wenceslaum triennio integro completo, atque idcirco anno præsente translatum esse. Si Hagiographi S. Wenceslai scriberent ejusdem sacrum corpus *tertio anno* post Martyrium translatum fuisse, omnino *hæc varia triennii completi vel incompleti interpretatio* locum haberet; at quoniam veterrimi dicunt *per tres annos* id Boleslaviæ quievisse, imo aliqui plane præpositionem *post* adhibeant, *post tres annos*: haud alio interpretatio, quam ad completos trahi potest. Sic Anonymus Ottonianus ait MS: *Quiescente* ibidem *per trium spatia annorum venerando corpore.* Christannus noster: *Requievit corpus B. Martyris in Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani humatum per tres annos.* Clarissime Joannes de Novo Foro in MS. Vita S. Wenc. *Translatus est autem post tres annos suæ passionis.* Et profecto, ut de perpetua traditione taceam, omnes, qui S. Wenceslai res gestas chronologice tractarunt, triennium completum interpretati sunt, ac nonnisi in quartum post Martyrium ejus annum translationem rejecerunt. Recte

Acta SS. ad 28 Sept. §. 10. n. 184.

pro-

proinde Balbinus: *Triennium eoque amplius Sancti Ducis ac Martyris corpus Boleslaviæ habitavit.* Cum enim translatio sub ver primosque dies Martii acciderit: minus recte a veteribus *per* aut *post tres annos* scriptum fuisset, nam in ea sententia ne quidem semitertius annus elapsus fuisset, ad quem indicandum procul dubio iidem verbis aliis *tertio anno* aut *in tertium* similibusve usi fuissent. De hac translatione cum Hagecius jam ad annum 932 egerit, nosque ibidem ejusdem narrationes ex veterioribus illustraverimus, emendaverimusque, ad eum annum Lectorem remittimus. *Epist. l. 1. c. 12*

III. Ad annum hunc verisque exordium Pessina tam Boleslai, quam uxoris Brzenæ depulsas ad tumulum Divi Wenceslai febres rejicit, quæ Hagecius ad annum 930 contra omnem Chronologiæ rationem jam enarravit, uti eo loco adduximus. E quo vero documento Pessina anni istius indicium hauserit, incompertum, quod tamen nec rebus nec tempori repugnare ingenue confitendum est. Id oppido mirandum, quod idem Pessina recuperatam Boleslai valetudinem pag. 152 referens, se in margine ad vitam S. Wenceslai ab Hizone scriptam revocet, quarum quæ illa sit ex iis, quas ad annum 932 pag. 613. & seq. retulimus, ignoramus. Pagina quidem 150 idem Pessina hanc vitam sub titulo Anonymi citat, sed nec quæ illa sit, scimus; nullam enim vitam hactenus ante Hagecii ætatem scriptam deprehendimus, quæ morbi istius, aut per miraculum restitutæ sanitatis meminisset, tum tamen Anonymus Trebonensis, qui Sæculo XV. scripsit, omnia miracula usque ad sua tempora referat. *In Phosph. Rad. 3. p. 151.*

Ceterum quibus indiciis etiam Berghauerus consecrationem Ecclesiæ Metropolitanæ Divi Viti huic anno alligaverit, aut qua ratione verba Cosmæ de consecratione ejusdem Ecclesiæ in hunc annum traxerit, si Oedipus sim, haud conjiciam. Michaelem certe Episcopum Ratisbonensem, a quo Ecclesiam consecratam memorat, quatuor annis serius ad hanc sedem evectum fuisse evidentissimis testimoniis proditum est. Et consecrationis annum jam critice exegimus P. III. ad An. 933. in Prætermissis. *In Protom. Pœnit. c. 6.*

ANNUS 941.

Ethnici clanculum ſilvarum beneficio glomerati ſub noctis ſilentia Pragam invadunt, Chriſtianorum ædes tumultu ac cæde facta ſpoliant, quod ſceleſtum conſilium vix quidem Boleslaum latuit. Sed opinione infelicior hæc temeritas Ethnicis cecidit. Chriſtianis nempe ad arma concurrentibus vis vi depulſa. Quare Ethnici domorum expilatione ſuſpenſa omnem impetum ad certamen nocturnum conferunt. Verum cum multitudini adverſæ haud pares ſe cognoſcerent, dorſum vertere coacti, nonniſi perpaucis periculum evadentibus. Fuga iſtorum, tum omnium animis flagrans vindictæ ardor magis magisque Chriſticolas incendit, ut in civium Ethnicorum tecta furibundi irruptionem attentarent, iis direptis, obviisque trucidatis. Aurora diem oſtentans inteſtino bello finem fecit. Exquiſita per forum, vicos, ædesque funera ac elata. Inito numero Chriſtianorum ſeptem ſupra triginta, ex adverſariis trecenti & tres cæſi deprehenſi, qui promiſcue in ſcrobem orienti objectam projecti.

Bellum civile inter Ethnicos & Chriſtianos.

Unguis hic erat, qui ſaucium Boleslai latus magis magisque exulcerabat. Collectis ille itaque mille quingentis viris caſtrametatus eſt in campis ſupra Pragam loco Letny dicto, urbi innumerorum telorum immiſſione excidium minans. Cum quintum diem obſidio jam producitur, rumor ad Boleslaum perfertur: Pragenſes aliosque Chriſtianos clam meditari nocturnam ſuffoſſionem everſionemque Boleslavienſium

Boleslaus Pragam obſidet.

fium murorum. Quæ fama tantum perculit Boleslai animum, ut periculo præverſurus præter moram militem celeri paſſu Boleslaviam deduxerit. Sed & hic alius rumor vanus incautum delusit: Lucenſes Pragenſibus feſtinare in auxilium. (a) Quibus ille non mediocriter conterritus mox inſequente die rupi in Albim projectæ caſtrum validum ſuperſtrui juſſit non interdiu non nocte operarios diſcedere paſſus, dum illud abſolviſſent. Caſtro iſti dein nomen Brannay Hrad (poſtea Brandeys dictum eſt) impoſuit, (b) Slavico hoc nomine innuere volens, ſe ſe hoc propugnaculo adverſus Pragenſes, Lucenſes, omnesque alios hoſtes firmam cuſtodiam tutamenque perpetuum habiturum. *Caſtrum Brandeys conditur.*

ANNUS JESU CHRISTI 941.

STEPHANI VIII. PAPÆ 3. OTTONIS M. 5.
BOLESLAI I. AN. 5. ISENGRINI EP. RATISB. 9.

(a) Jurares legens, Hagecium iſta ex oculato teſte hauſiſſe; ſed tot glorioſa gentis noſtræ bella cum Germaniæ Regibus prætermiſſa oppido oſtentant poſteriorem quenquam narratorum iſtorum omnium fabrum, cui crudelitas Boleslai, aliquot verbis a Coſma exaggerata, argumento fuit, unde tot tragœdias Poetarum ritu commentus.

(b) Balbinus omnia hæc tanquam certiſſima ab Hagecio accepit, qui cum, ut ante vidimus, Boleslaviam Romæ æmulam fecerit, jam caſtrum iſtud Brunduſinum *Capitolium* vocat, atque ut Lectori majorem fidem conciliaret, ſubjungit: *Neque ullum moveat hodierna* (Boleslaviæ) *facies: quis enim neſciat, urbes quondam maximas nihil amplius in ſolo, vix etiam nudum in hiſtoriis nomen retinere? hic ſeges eſt, ubi Troja fuit.* *Epit. l. 2. c. 2. p. 103.*

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. P. Victorinus noſter provocans ad vitam vernaculam Ven. Podivini ex eadem prodit diem, qua Podivinus S. Wenceslai individuus ſocius a Boleslao in ſilva comprehenſus, laqueoque appenſus eſt. Id enim factum eſſe dicit *die lunæ in ipſa vigilia Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.* Et quanquam memorata vita necdum in manus noſtras inciderit, nec proinde, cujus ætatis ſit, definire poſſimus, dubitare tamen vix fas eſt, hoc diei indicium e primis fontibus hauſtum eſſe, e quo jam in cognitionem anni, a nemine hactenus proditi, deveniendi facilis & expedita eſt via. Vigilia SS. Apoſtolorum (ſeu Nunciorum & Amicorum Chriſti ut tum paſſim nomen ferebant) Petri & Pauli hac annorum periodo in lunæ diem incidit annis 930, 936, 941, 947 denique 958 quibus litera Dominicalis C. erat. Annus 930 & 936 admodum præmaturus eſt, cum poſteriore 936 primum S. Wenceslaum martyrio affectum fuiſſe ſupra fuſe demonſtraverimus. In annos vero 947 ſeu 958 mortem Podivini rejicere perquam ſerum, ut ex narratis Chriſtanni conjicere licet. Non reſtat igitur niſi annus 941 ſeu præſens, qui Chriſtanni narrationi apprime congruit. Nam ſic *apud Teutonicos fuga labentem, diu* (ſcil. 5 fere annorum ſpatio) *exulatum, poſt vero ratum pacem redditam patriæ ad ſua reverſum temporis aliquantum in propriis deguiſſe, & domi ſe ſe occultaſſe* denique propter intentatam hoſtium primipilo S. Wenceslai cædem comprehenſum & laqueo appenſum fuiſſe præter omnem vim dici poterit. Minus recte igitur tam Hagecius cum ſequacibus ipſi Martyrii Divi Wenceslai anno mortem Podivini illigarunt, quam Compilator Chronologicæ Seriei, qui eam in annum 939 rejecit. Ceterum hiſtoriam Podivini non modo ex Hagecio, ſed etiam Chriſtanno jam dedimus P. III. pag. 567 & 574, quam hic repetere ſupervacaneum cenſemus, reliquas ejus memorias ad annum 944 in Prætermiſſis penitus exhauſturi.

Chriſtann. in vita SS. Ludmil. & Wenc.

Chronologiſche Geſchichte Böhmens p. 353

II. Cum veteriores nullas præterea patrias memorias hoc anno conſignaverint, ex recentioribus quædam ſubjicere fas eſto: Anonymus alias a nobis laudatus, qui Weleslavini Kalendarium interpolavit, locupletavitque, ad hunc annum Caſtri Welwar, quod hodie Civitatis nomen obtinet, initia reponit, quæ quidem Hagecius quatuordecim annis poſterius ad annum 955 (longe diverſam originis hiſtoriam re-

Anonym. MS. ad h. a.

referens) defigit. Narrat hic Anonymus Hungaros magna clade accepta e Saxonia depulsos, eorumque Duce interfecto superstities Hungaricas cohortes cum suis militaribus præfectis, quaqua versum, qua fugæ locus datus est, discerptas fuisse. Unum aliquem horum militiæ præfectorum Beel nomine per Misniam in Bohemiam se immisisse, gratanterque a Boleslao acceptum, qui ei cohortique non secus ac novæ coloniæ campos palustres hic loci dederit. Nec diu moratos novos colonos hoc anno isthic castrum excitasse, quod a nomine Præfecti sui Belwar, quasi Beeli castrum dicas, appellarunt. Castrum istud vetus eousque perstitisse, dum in principalem Ecclesiam conversum est. Quæ quidem narratio verosimilitudinis multum habet. Constat enim Hungarorum turmam jam anno 934 per Bohemiam adeoque ipsos Welwarii hodierni campos in Daleminciam seu hodiernam Misniam irrupisse. Constat eosdem ex supra narratis anno 938 ad Bodam fluvium fuisse cæsos a Saxonibus, interempto Duce eorum dispersisque reliquis, ut narrat Witichindus l. 2. Nec incredibile est, Boleslaum Ottonianis bellis crebro fatigatum seu hanc dilapsam Hungaricam cohortem haud ingratiis accepisse, seu alios colonos ex Hungaria vocasse, cum perpetua traditio sit patria hanc Civitatem ab Hungaris fuisse conditam. Profecto Porphyrogenitus his ipsis temporibus Bohemos amice Hungaris usos indigitat his verbis; *Affinitatem cum Turcis* (ita Hungaros appellare solitus) *& amicitiam contrahunt.* Verum quandoquidem author nullum fontem indicavit, unde hæc ipsa hauserit, penes arbitrium lectoris esto, huicne, an Hagecio majorem fidem tribuendam censeat. Haud absimilia sunt, quæ ad hunc annum *autumno jam præcipiti* de occupata, direpta, succensaque Wlastislavia, de Bilinensis reguli deditione narrat Pessina.

Georg. Pray Annal. Hung. P. III. p. 354

De adminisi. Imp. c. 3.

Pessina in Phosph. p. 167

ANNUS 942.

Pulsabant nonnulli Procerum, quibus tranquillitas publica cordi erat, Boleslai aures, ut pene unicum magnarum seditionum remedium pacem prehenderet, eaque & se & suos bearet. Sana consilia eum finem sortita, ut

ut Princeps Wiſſehrado in prætorium Urbis meridionali portæ adſitum eques ſe transferret. Aderat hic univerſa Pragenſium Civium corona Principem ſuum ſalutationibus votisque excipientium. Deductus inter feſtivas acclamationes in prætorium, publico eoque regio exceptus convivio, Magiſtratum urbanum cum multa benevolentiæ ſignificatione menſis ſuis adhibere non dedignatus, quibus remotis tam Proceres quam Cives Boleslao in memoriam refricare: Chriſtianum ſe Principem eſſe meminiſſet, Chriſti religionem tueri, ac amplificare cordi poſthac haberet, præmium cœleſte haud defuturum. (a)

Boleslaus mitiorem animum induit.

Non illiſere hortamenta hæc in duram refractariamque mentem, quin Boleslaus, quæ monerent, ſedulo executurum pollicitus, illico manum admovit baſilicæ, quam Brunduſii eminente loco prope caſtrum Dei & Principis Apoſtolorum honori conſtrui fecit. (b) Atque ut Chriſtianis magis gratificaretur, omnem turbam Deorum cultricem, mille quingentos viros, Brunduſii Boleslaviæque incolas, procul ab hinc in montana, inque vicinas Baubin, & Czizova caſtra, (c) meridiem inter occidentemque ſita, ablegavit cum mandato, ut aurum ſeu per terræ viſcera rimentur, ſeu per ſabulum exquirant. Ex his ſecturis, foſſionibus, loturisque tum omnis generis metalli decimis immane quantum crevere Boleslai divitiæ, & caſtrum Wiſſehradenſe ornatu amplitudine ac firmitate maxima accepit incrementa. (d) Eodem loco (e) præſente adhuc anno numus aureus (f) atque argenteus imagine Boleslai inſignitus excudi cœpit. (g)

Brunduſii Baſilicam condit.

Esbnicos ad Metalli fodinas relegat.

Numos excudit.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 942.

MARINI PAPÆ AN. 1. OTTONIS. M. 6.
BOLESLAI I. AN. 6. ISENGRINI EP. RAT. 10.

(*a*) Mirus patriæ hiſtoricus! qui prætermiſſis omnibus gravioris momenti rebus, Bohemorumque tam glorioſis exteris bellis tanta accuratione comeſſationes adnotavit.

(*b*) Ea hodie Parochialis eſt Brunduſii Eccleſia, prærogativa Decanatus conſpicua.

(*c*) De Baubinenſi regione jam egimus P. II. p. 459. Sabulum auriferum iſthic alibique præſertim ex Ottava flumine antiquiſſimis temporibus prolutum fuiſſe, indubiis hiſtoriæ monumentis proditum eſt, & profecto peritorum judicio puritas ſumma auri veteris noſtri non aliunde quam ex aurifero hoc ſabulo repetenda. Annis his Auguſtæ noſtræ conſtitutione ea induſtria proluendi auri rurſum cœpta, fructus ſperatos etiam ſuperat. *Vide Thadd. Peithneri* Beſchreibung der böhm. Flüſſe *p.* 58. 59 *&c.*

(*d*) Balbinus addit: *Hoc numorum præſidio, collectis undique militum copiis, bellum adverſus Ottonem Magnum in quatuordecim annos produxit Boleslaus.* *Epit. l.* 2. *c.* 2 *p.* 103

(*e*) Wiſſehradi unquam domum monetariam, ibidemque numos excuſos fuiſſe nihil uſpiam in veteribus proditum. Omnes numi ſuperſtites ab hoc & ſequente ſæculo, ſi quod indicium habent urbis, locive, quibus excuſi ſunt, Pragam cum hac epigraphe *Praga Civitas* præſeferunt. Unicus numus Emmæ, de quo poſterius agemus, & quem excuſum jam in ſuo monetario libro deſcriptumque protulit noſter P. Adauctus, epigraphen continet: *Civitas Melnic*, in qua tanquam dotalicia Ducalium conjugum Reginarumque urbe excuſus. Ne quis vero exiſtimet, olim ut hodie, Wiſſehradum muris Pragenſibus comprehenſum unam eandemque urbem poſſe æſtimari, noverit hoc tempore & pluribus ſæculis poſtea uſque ad Caroli IV. imperium Wiſſehradum penitus diſtinctam ſejunctamque a Praga civitatem fuiſſe, quod præſertim ex hiſtoria ſæculi ſequentis teſtatum fiet. Böh. Münzbeſchreibung I. Th. *p.* 168

(*f*) Numum aureum Boleslai imagine insignitum nec Hagecius, nec Balbinus aliusve vidit, nec visurus unquam. Non fuit ea auri signandi ratio in Bohemia seu his, seu posterioribus temporibus usque ad Joannis Regis imperium, qui primus, ut Petrus Abbas coævus in Chron. Aulæ Regiæ ad An. 1325 memorat, auream monetam ad morem Florentinæ urbis imagine S. Joannis Bapt. & liliis insignitam procudit, cujus quatuor partes marcam argenteam æquabant. Nam ad hæc usque tempora in usu fuit, ut aurum ex consuetudine plurimarum gentium etiam quotidiano in commercio appenderetur, & ex stateræ legibus æstimaretur, quare etiam nummi hi nulli certo ponderi respondebant. Fundebantur autem guttarum seu globulorum ritu, in quos informia hieroglophica signa lunæ, stellarum, orbium, hastarum, cordiumve &c. mallei ictibus intundebantur, de quo ritu signandi aurum jam P. II. p. 181. egimus, dedimusque ea & priore Parte plura istiusmodi rudis aureæ monetæ exempla scalpro excusa. Quod argumentum cum penitus exhauserit noster P. Adauctus, qui non modo facile 20 ejusmodi informes aureos numos typis suis expressit, sed & de inventis superiore anno ad Podmokel plane similibus aureis monetis epistolam ad familiarem suum conscripsit, postea Pragensibus typis editam: ad hæc lectorem, magis firmata & locupletiora cognoscere anhelantem, remittimus.

Cit. l. pag. 47. 63. & 235.

(*g*) Boleslai nomine notati plures supersunt numi argentei, quanquam cujus e tribus sint, qui ordine sibi in Ducatu successerunt, nec quo anno excusi fuerint, compertum sit. Nos tamen dignum judicavimus ea de re latius differere, quanquam argumentum hoc præoccupaverit P. Adauctus noster, ac proinde locum in Prætermissis §. II. ad hunc annum eidem argumento destinamus.

Cit. l. p. 87. *& seq.*

PRÆTERMISSA.

I. Quatuordecennalis Boleslaum inter & Ottonem M. Belli gesti rursum quædam indicia ex Chronico Magdeburgensi, & Annalista Saxone haurimus, verba ad præsentem annum sunt: *Eo tempore bellum Barbarorum fervebat, & cum milites ad manum Geronis* (Marchionis Lusatiæ) *præsides conscripti crebra expeditione attenuarentur, & donativis vel tributariis præmiis minus adjuvari possent, eo quod tributa passim negarentur, seditioso odio in Geronem accenduntur. Rex*

ve-

vero ad communes reipublicæ utilitates Geroni semper juxta erat. Inde factum est, ut nimis exacerbati odia sua in ipsum quoque Regem vertissent. E quibus haud vana conjectura elicitur fortunam his annis non admodum secundam fuisse Ottoni: cum non modo Boleslaus tributum seu munus alias ex Bohemia Germaniæ Regibus pendi solitum non præstitit, sed etiam suo exemplo aliis vicinis Slavicis gentibus incitamento fuit, ut se ab ejusdem præstatione subtraherent, quo tributorum & munerum defectu minus contenti milites ipsi Geroni multa negotia facessiverunt, adeo ut postea res in apertam seditionem desciverint. Quis vero dubitet Boleslaum pro summa sua sagacitate defectionum istiusmodi si non incentorem fuisse, certe magnam partem in fovendis factionibus tulisse, cui intestina exteraque serere bella, plures pluresque in caput Ottonis accendere hostes non summæ non esse poterat utilitati, & profecto cum jam Parte III. ostenderimus, Boleslaum Luiticia matre ortum traxisse, Principesque gentis eidem agnatos fuisse: quid facilius erat hos, eorumque socios & confines, alioquin jugi germani impatientes, in defectionem concitare? Id oppido dolendum, authorem *Barbarorum* nomina, quorum hoc anno bellum fervebat, non expressisse, procul dubio inter ea primum Bohemorum legeretur.

II. Jam pluribus Annalium nostrorum locis præsertim P. II. ad Ann. 716, 725, 806 & P. III. ad An. 866. innuimus, vix dubitationi locum esse: Duces nostros Ethnicos usum excudendarum monetarum habuisse; at quandoquidem literarum cognitione Slavi universi ante SS. Cyrilli & Methudii ætatem caruerant, hinc profluxisse, quod monetæ vulgo illiteratæ nullis characteribus aut Ducum nominibus insignitæ prodierint, ut hodie divinationum libros scribere idem sit, ac definire, ad quemnam Ducum nostrorum monetæ referendæ sint, quæ hinc inde per Bohemiam repertæ in numophylaciis quibusque asservantur. Ipseque passim P. Adauctus noster nonnisi conjecturis, & aliorum opinionibus actus est in definiendis numis illis, quos scalpri beneficio Tomi I. Sectione I. juris publici fecit, plenum arbitrium sententiamque Lectori permittens. Post invecta Christi Sacra, & receptos a gente nostra characteres, num primi Christiani Duces Borzivogius, Spitigneus, Wratislaus, atque S. Wenceslaus literatas & nomine suo insignitas monetas procuderint, nihil certum indubitatumque adstrui potest, quæ si olim exstitere, eas tempus edax rerum absumpsit; contra Boleslai nomine notatos plures conservavit denarios, quorum facile qua-

Böh. Münz, beschr. 1 Th.

tuordecim ſignis diverſi in variis numophylaciis reperiuntur, eorum aliquos typos jam orbi literato tradidere quique rei monetariæ ſtudiodioſi, omnes & ſingulos, quorum cognitio hactenus ad nos pertigit, excuſos dedit P. Adauctus in ſuo libro monetario. Jam vero cum tres ordine ſibi ſuccedentes Duces habuerit Bohemia Boleslai nomen ferentes, patrem ſcilicet, filium, & nepotem, nec eo adhuc tempore uſitatum fuerit, ut ſe ſe numerorum indicio diſtinguerent: hodie non minimæ difficultatis negotium eſt, rite diſpeſcere atque definire, cuinam iſtorum trium ſinguli denarii deferendi ſint. Qua in re quidem cum alia diſcriminis adjumenta haud ſuppetant, recurrendum ad ipſos characteres, ſignumque, ut quo hæc ſimpliciora atque rudiora ſunt, eo altius, atque ad primum Boleslaum, de quo agimus, referenda videantur, quemadmodum Groſſothecæ author etiam hanc ipſam unam dignoſcendi rationem recte prehendit, eamque P. Adauctus tuitus eſt. Peccavit tamen Groſſothecæ author in hanc ipſam a ſe latam legem, cum Tab. XXXIX. p. 682 numorum Boleslaicorum typos Num. 35, 36 imo & 37 eidem Boleslao Sævo ſeu I. vindicare conniſus eſt; nos contra ex eadem dignoſcendi lege & ratione unicum deprehendamus (Num. 34 excuſum) veterum characterum ductu, ſignique differentia majorem ætatem ſpirantem, ac proinde Boleslao concedendum. Nempe literæ penitus informes ad ſlavicorum characterum formas propius accedunt, nomen ipſum Boleslai adhuc ſlavice non latine terminatum exhibetur; huc accedit: nec epigraphe *S. Wenceslaus*, nec effigies ejusdem Sancti, qua paſſim poſtea noſtri poſteriores Duces in conſignandis numis uſi, in eo comparet, ut taceam, modulo multo minori, quam ceteri Boleslai Pii denarii ſunt, excuſum. Hunc unicum denarium Boleslao ſævo vindicare audemus, quem etiam primo loco noſter P. Adauctus p. 87 excuſum dedit, nosque eundem denuo ſub Boleslai effigie Lectori ob oculos ſiſtimus. Reliquos duos, quos eadem Tabula Num. 2 & 3 P. Adauctus exhibuit, merito prætermittimus, quandoquidem nemo facile adducetur, ut ſibi perſuadeat, Boleslai iſtius ſigna eſſe, quemadmodum ipſe P. Adauctus p. 114 & 116 graviſſimas ſuas dubitandi rationes lectorem non celavit. Jam vero ad imaginem utraque fronte denarii expreſſam deveniamus: Prima fronte repræſentatur pugio ſeu enſis cum epigraphe informium characterum BOLEZLAV✠. Enſem hunc alii pro ſummæ Ducalis poteſtatis & eminentiæ ſigno, alii pro magnanimitatis & bellorum indicio, quæ Boleslaus cum potentiſſimo Imperatore Ottone M. per annos quatuordecim geſſit,

Neueröffnetes Groſchencabinet. Zweytes Supplem.

ac-

accipiunt: nos contra calamum noſtrum coercere haud poſſumus, ut ne prodat conjecturam, quæ a plurimis annis jam animo noſtro inſedit. Et quidem clarum eſt ex primis noſtris Hagiographis, Boleslaum non quidem manu, & enſe ſuo necem S. Wenceslao intuliſſe, ut perperam ſentit Groſſothecæ author, ſed eidem nonniſi aurem dexteram vibrato ictu amputaſſe, quæ dein a Przibislava ſorore reperta non præter miraculum cum ſacro corpore coaluit. Hujus facinoris typum teſtemque hunc denarium deputo, quem Boleslaus facti vere pœnitens ad magis magisque expiandum ſcelus ſuum demum poſterioribus annis excudi fecerit, ſimul fortaſſis, ut palam doceret, ſe non interfectorem, ſed ſolum mutilatorem amputatoremque fraternæ auris fuiſſe, aut certe ut innueret, vitam ſalutemque ſe ſe huic mucroni debere, quo manu ſua extorto S. Wenceslaus ex ingenita ſibi pietate non uſus eſt in aggreſſoris perculſorisque perniciem. Cur id mihi perſuadeam, hæc momenta ſunt: Repræſentatur in eadem denarii area, qua enſis ſeu mucro excuſus eſt, a dextera parte alius parvus, rudis, & minime diſcernendus ductus ſeu ſignum, quod Groſſotheceæ author in ſimilitudinem jacentis literæ ꝺ efformavit, qua forma eundem ductum noſter P. Adauctus in Tabulam ſuam pag. 87 retulit, quanquam uterque ingenue confeſſus ſit, ſe ſe haud aſſequi, quid ductus ille ſeu litera jacens ꝺ connotet. Ut ductus hic informis ignorabilisque vim & locum jacentis literæ B ſuſtineat, nemo adducetur, ut credat, qui alteram literam B informiſſimam in ejusdem denarii epigraphe, ac voce BOLESLAU occurrentem contulerit, quæ ipſa, niſi interjectam haberet virgulam, potius hodiernum D cuique videretur. Nos itaque monetarium rudem hoc informi ductu haud aliud exprimere voluiſſe arbitramur, quam dexteram S. Wenceslai aurem, eodem Boleslai mucrone amputatam. Qua in re me pridem confirmarunt conſimiles ductus informes, duriusque cognoſcibiles, quos in monetis poſteriorum Ducum noſtrorum Boleslai II, Emmæ, Udalrici, denique ignoto illo denario a P. Adaucto pag. 317 prolato ſpectamus, in quibus quoties pene imago S. Wenceslai occurrit, a dextera capitis ſui parte iſtiusmodi rudis ductus obſervatur, quam cum alii pro extremis duabus oris faſciæ Ducalis interpretati ſunt, nos magis pro amputata S. Wenceslai aure dextera accipiendum conſemus, quacum ſcilicet tam inſigne miraculum perpetratum eſt. Nolumus impugnare ductum illum informem quandoque tam prope capiti appoſitum eſſe, ut cum eo connexus, & faſciæ Ducalis ſimilitudinem habere videatur; ſed caput ubivis S. Wenceslai, ſi nim-

Vide Partem meam III. Annal. pag. 572. & 573. & 612

Vide Partem meam III. Annal. pag. 573. in notis: l.

nimbum excipias, nudum ſpectatur, ut proinde ignorem, unde hæc ora duplex faſciæ repetenda ſit. Et vero tres quatuorve authenticos iſtiusmodi numos ipſe manibus tractavi, inque eos omnem oculorum aciem, etiam adhibitis vitris augentibus, intendi, nec in iis connexionem aliquam ductus hujus informis cum capite detexi; ſed eum a capite & collo penitus disjunctum, atque pene ungulæ inſtar efformatum detexi, quod præcipue in denario illo Boleslai ad S. Margaritham aſſervato, alteroque illo ignoto, quem P. Adauctus noſter pag. 317 excudi fecit, cognoſcere licet. Sed de hoc ſatis ſuperque; ad alteram denarii frontem progrediamur. In hac, ſeu averſa parte ſpectatur ædicula quædam, ſeu potius faſtigium eccleſiæ cruce decoratum, ſubtus cernitur ✠ & inverſa litera ꟻ. Epigraphe hujus frontis eſt informiſſimis characteribus: PRAGA, poſt quos ſequitur ſerpentinus quidam ductus procul dubio Z. ſeu ZC. notans, quibus hoc & poſteriore tempore &c. notabatur. Compilator Seriei Chronologicæ autumat, hac ædiculæ effigie Boleslaum alluſiſſe ad Metropolitanam Divi Viti Eccleſiam, in ſuſque memoriam excudi feciſſe. Sed hæ ædiculæ occurrunt diverſis figuris in omnium Boleslaorum, Jaromiri, aliorumque Ducum noſtrorum denariis, quibus nihil aliud quam Eccleſiam Chriſti, & Religionem Chriſtianam (quæ templi ſimulacro olim repræſentari ſolita) indicabant. Et vero hanc ipſam nec aliam mentem Boleslao fuiſſe, ſubjecta crux & litera E (monetarii latinæ linguæ imperiti incuria converſim poſita) confirmant, quæ idipſum, quod ædicula repræſentat, verbis & ſignis exprimunt, ſcil. *Chriſti Eccleſia.* Nemini enim rerum & characterum vetuſtorum gnaro incognitum eſt, uti Chriſtum ſigno ✠ & litera X. ita & eundem Chriſtianosque XP. compendio fuiſſe redditos ſcriptosque. Deſumpſerunt autem hanc normam ſignandi Duces noſtri a Regibus Carolingicis, in quibus paſſim effigiem iſtiusmodi ædiculæ aut templi ſpectare eſt, quemadmodum ex numis Caroli M. Ludovicii Pii, imo & poſteriorum Henrici, denique Arnulfi Bavariæ Ducis in ſupra memorata Groſſotheca cognoſcere licet. Numus hic, ſi author Groſſothecæ magnitudinem rite expreſſit, modulo ſuo minor eſt iis, quos a Boleslao Pio reſiduos habemus. Nam ultra fatemur, authenticum nunquam a nobis viſum fuiſſe, ut proinde nec de argenti puritate, nec de ejusdem pondere & valore quidpiam certum perſcribere poſſimus. Conſignatur idem numus eadem prorſus forma & inſcriptione in Catalogo monetario Ducum Regumque noſtrorum, quem olim ex Bibliotheca Dollenſteiniana accepimus, qui cum, multo ante, quam

Chronol. Geſchicht. Böh. 2. Th. p. 950.

Groſſo-

Grossothecæ author opus suum auspicatus est, conscriptus fuerit, suspicionem omnem dubiumque de sinceritate denarii hujus tollit, eundemque seu in Rebliana, seu Dollensteiniana collectione olim asservatum fuisse ostentat.

III. Ad hunc annum non conticendum, quod Augustinus Moravus, magna apud gentem suam authoritate, Olomucensis & Brunensis Ecclesiæ Præpositus, in serie sua Episcoporum Olomucensium his verbis refert: *Silvester Moravorum Episcopus secundus Joanne vita defuncto episcopales insulas anno Christi quadragesimo secundo supra noningentesimum suscepit, Episcopatuique decem & novem annos præsedit.* Confitendum nobis quidem cum Cl. Assemano T. III. P. I. c. 3. p. 171, *De Silvestro nihil apud idoneos Scriptores reperio*, & illa quæ Augustinus de Joanne Præcessore Silvestri narravit, cum Chronologia conciliari *minime* posse. Nam narrat hunc Joannem Successorem S. Methudii annis fere sexdecim administrasse Ecclesiam Moraviæ, ejusque tempore S. Wenceslaum a Fratre Boleslao fuisse interfectum. Jam P. III. Annalium nostrorum p. 617 innuimus, Joannis hujus Archiepiscopi Moraviæ & Suffraganeorum non reperiri posteriores memorias, quam ad Annum 899 & 900, postea Moraviam universam ab Hungaris fuisse occupatam eversamque, ita ut incolæ tam vasti Regni in omnes Regiones dilapsi fuerint, quemadmodum scribit Porphyrogenitus: *Quæque* (ex cædibus) *supererat multitudo, dissipata confugit ad finitimas gentes, nimirum ad Bulgaros, Turcos* (id est Hungaros) *Chrobatos* (nempe Bohemos) *& ad reliquas nationes.* In qua clade aut fuga etiam comprehendi Episcopos nemo dubitavit, unde etiam de illis apud veteres altissimum silentium, memoriæque Episcopatus Laureacensis posthæc de his Moraviæ terris haud aliud quam seu solitudinem, seu incolas Christi nominis ignaros, aut hostes prædicant. Verum quandoquidem Augustinus Silvestrum Episcopum his temporibus adscribit, credibileque est eum cognitionem hanc ex nonullo vetere documento hausisse, illum Seriei suæ Episcoporum Olomucensium extorquere nequaquam intendimus, serius tamen quatuor aut quinque annis reponendum merito censemus, postea quam nempe Agapitus II. Papa, ut postea ex ejus Bulla referemus, Gerardo Laureacensi Archiepiscopo *providentiam orientalis Pannoniæ, regionisque Avarorum atque Marabarorum, sed & Sclavorum, qui modo Christiani vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt*, plena potestate, ut etiam ibidem *Episcopos constituere possit*, concessit. Ut ita

De administr. Imp. c. 41.

Hansiz. Germ. S. T. I. p. 198

circa

circa annum 946 aut sequentem, locum inter Moraviæ Episcopos habere possit, quo tempore simul constat Hungaros ex orientali Marchia & Moravia remotos, resque isthic pacatiores cœpisse. Sed rursum haud subsistere possunt, quæ de eodem Silvestro subjungit Augustinus Moravus, scil. eum per 19 annos cathedræ suæ præfedisse, post ejus mortem vero Moraviæ Episcopatum per *annos triginta quinque* Ratisbonensi fuisse unitum, dum demum *tempore Beati Adalberti Archiepiscopi Pragensis, opera Boleslai Pii, Ecclesiæ Pragensi fuisset annexus.* Moraviam aliquando sub Ratisbonensi Episcopi jurisdictionem pertinuisse, aut S. Adalbertum Pragensem *Archiepiscopum* fuisse, nullpiam in veteribus probatisque authoribus legeris, nec denique, si Silvester hic annos novemdecim præsedit, admitti potest, tamdiu & per 35 annos Moraviensem Ecclesiam Episcopatu vacasse, nam ex diplomate Archivi Moguntini anno 976 proferendo testatum fiet, Moravos eo anno proprium Episcopum habuisse, illumque cum Pragensi Suffraganeum fuisse Metropolitæ Moguntini.

Ad hunc annum præterea referendæ essent Familiarum quarumque nostrarum illustrium memoriæ, de quibus Balbinus his verbis: *Alterum nobilitatis Germanæ Torneamentum Rotenburgi anno Christi* 942 *Conrado Franconiæ Duce vocante celebratum, ad quod ex Bohemia inter alios accessisse Wenceslaus de Pardubitz cum Wenceslao Sternbergio & Wenceslao de Sswamberg memoratur &c.* Quanta autem certitudine hæc niti crediderit Balbinus, ex ejus subjectis verbis liquet: *Singularis profecto DEI in tot illustres Familias favor & providentia cernitur, quæ librum hunc* (Torneamentorum Rixneri) *a tot sæculis illæsum & integrum ad nos voluerit pervenire.* Et cum non nesciret fidem libri hujus jam sua ætate impugnatam fuisse, connititur adversariorum argumenta infirmare atque evertere, quibus subjungit epiphonema cognitione tanti viri prorsus indignum: *Nec per ignorantiam historicorum nostrorum finemus librum tam vetustum tamque ceteris probatum proscribi.* At operam perdidit Balbinus; Rixneri impostura plusquam meridiano sole hodiernis Criticorum oculis detecta sunt. Et mirandus is profecto plurimum, cui cum cognitio historiarum non defuerit, facile invenire potuit *Conradum* illum *Ducem Franconiæ* merum figmentum esse, ut taceam eidem in manibus fuisse plurima hujus & posteriorum trium sæculorum diplomata, Chronica, aliaque monumenta, in quibus omnibus cum nonnisi nudissima slavica nomina vix uno apice ho-

In Auctario II S. Montis p. 7

In Orig. Gustenſteinianis c. 37 p. 52.

hodiernis familiis respondentia repererit, mirum, inquam, tam facile sibi imponi passum esse. Harum trium familiarum, quarum omnes summe conspicuæ fuere in patria, certiores memorias suis sæculis proferemus, & quidem Pardubiczziorum ex Chronico Stiarensi Upsaliæ edito, Sfwambergiorum ex MS. Sæculi XV. Denique Sternbergiorum ex simili MS. vernaculo, quod postremum summi facio; nonnisi enim ex diplomatibus (adjectis etiam sigillorum typis) concinnatum est, quod si in lucem publicam ederetur, quantum Tanneri fidem auctoritatemque circa originem gentis hujus elevaret! Et vero cum Tanneri mentio facta est: Fuit hactenus mea aliorumque opinio, Joannem Tannerum S. J. Historiam suam Heroum Sternbergicorum germano sermone conscripsisse, cum versionis seu interpretationis nulla fiat mentio in editione illa, quæ Pragæ Anno 1732 typis Hrabanis in lucem prodiit; at vero anno superiore aliud edoctus sum, cum ejusdem exemplar authenticum MS. latinum sub titulo *Historia Heroum de Stellis* in manus meas pertigit, atque cum priore Collectioni meæ accessit. Collata obiter translatione adverti, complura a primogenio textu recedere, imo mutilata esse; præsertim præfationis, quæ edita triplo fere longior est, permulta capita penitus omissa sunt.

ANNUS 943.

Exagitantibus Boleslaum domesticis turbis crevit interea glorioſi Martyris Wenceslai nomen, majusque jam erat propter crebra atque illustria miracula, quam quod unius Bohemiæ fines continerent. (a) Pervasit sanctitatis ejus fama alias regiones, unde ad sepulchrum ejus voti causa turmatim accurrebatur. Non pauci illorum erant, qui dicerent, se divino quodam spiritu ac instinctu impulsos ad hanc sacram peregrinationem suscipiendam ea fiducia inductos, ut minime dubitarent tanti Bohemiæ Principis ac Indigetis interventu omnem vim morborum depellendam. *Peregrinatio ad S. exuvias D. Wenceslai.*

Accidit ejusdem anni spatio, ut ex Francia 50 virilis, quinque supra triginta muliebris sexus Pragam advenirent partim oculorum, partim aurium & linguæ vitio laborantes, partim membris capti, aliisque morbis vexati. (b) Hi omnes cum lacrymis ante sacras exuvias profusi Numen supremum exorabant, ut per Divi Wenceslai Martyris merita ac interventum peregrinationis suæ votorumque fructum assequerentur. Nec vero quenquam spes & fiducia frustravit. Aderat tum forte Boleslaus, flevitque hæc aspiciens, distributis viatici nomine in singula capita singulis aureis nummis. (c)

Miracula ad ejusdem sepulchrum.

ANNUS JESU CHRISTI 943.

MARINI PAPÆ 2. OTTONIS M. 7.
BOLESLAI I. AN. 7. ISENGRINI EP. RAT. 11.

(a) Sigebertus Gemblacensis cumprimis annum 973 a miraculis S. Wenceslai illustrem prædicat. Sed & annis his DEum plura suffragio hujus Divi elargitum beneficia, tam Anonymus Ottonianus, quam Christannus testantur. Mox laudatus Anonymus multitudinem ostentorum ad sepulchrum S. Wenceslai innuere volens subjungit: *Satis capacia implerentur volumina, si quis officio stili temptaret currere per singula, quæ post dietim & annuatim ad sepulchrum ejus virtutum coruscant insignia, quorum queque valde miranda, sic quoque inibi* (Pragæ) *usitata habentur, ut pro sui innumerositate & Scholasticis quoddam ea scribendi fastidium ingerant, & populus nullo stupore & veluti solis commune jubar sine amiratione sustripiat.* Non minori emphasi Christannus hanc prodigiorum frequentiam prædicat. *Si cuncta, inquit, Beati Martyris signa . . . . stylo comprehendere coner, lux mihi ante, quam pagina deficiet.*

(b)

(*b*) Plures peregrinationes morborumque depulsiones Hagecius in hunc annum contraxit, verosimillime, quod nihil invenerit, quod huic anno apponeret. Veteriores omnes ab Anonymo Ottoniano usque ad Trebonensem nuspiam annum expresserunt patrati miraculi, si unum de solutis captivorum vinculis excipias, quod sæculo sequente accidit, & cujus etiam Cosmas meminit.

(*c*) De aureis numis Bohemiæ jam superiore anno egimus, qui tum passim nomen *denariorum aureorum* ferebant, eorundem hoc ipso sæculo nec usum nec frequentiam defuisse in patria nostra, cognoscere licet ex coævo Gerardo S. Udalrici biographo, qui memorat, Boleslaum nostrum Pium filium præsentis, de quo agimus, pro salute filii sui ad sepulchrum S. Udalrici *V. libras argenti & aureos quam plurimos*, Emmam vero Conjugem illius etiam *aureorum denariorum bonam partem* obtulisse. *Mabillonius Sæc. V. Bened. p. 467.*

PRÆTERMISSA.

I. Aliam hoc anno utrumque Danubii litus, tam respectu Marchiæ orientalis, quam etiam veteris Moraviæ, visum induere faciem, cum pedetentim removerentur Hungari, arctioraque frena eorum excursionibus injicerentur. Nam posteaquam jam anno superiore Hungari (ut testis est Conradus primus Abbas Mellicensis apud Hieronymum Pezium) cum Duce suo Gizone seu Geyza S. Stephani I. Hungariæ Regis patre ex Millicensi monte, omni Marchia orientali, ac proinde etiam magna Moraviæ veteris parte fuissent ejecti, insinuavere se complures veteres incolæ, atque quaquaversum dispersi regiones vindicatas rursum habitare cœperunt. Chronicon Salzburgense apud eundem Pezium T. I. ad h. a. Bertholdum hujus ab Hungaris acceptæ cladis authorem facit, cujus verba sunt: *Ungari in Bavaria in Trungou* (pago veteri ad Drunam fluvium in hodierna superiore Austria) *Pertboldo Duce occisi sunt.* Et vero cladis hujus meminit etiam Witichindus l. 2. *Illis diebus*, inquit, *Bertholdus frater Arnulphi procurabat Bajoariam, pugnansque contra Hungaros, victorque existens triumpho celebri factus est clarus.* Eandem cladem anno præsenti illigat Epidannus, cujus verba sunt: *Omnis Agarenorum* (Hungarorum) *exercitus a Bajoariis occisus est.* Similia apud Hermannum Contractum reperias. Infelicior superiore & præsente anno fuit in his regionibus Hungarorum expeditio, quod *T. I. Dissert. III. p. LII.* *a Chron. Gerwic. p. 815.* *Herm. Contract. apud Canisium & Urstisium ad h. a*

Georg. Pray Annal. Hung. ad h. a. N. 3.

quod eorum exercitus divisus esset, alius in Græcorum ditiones irrupuisset, alius loca superiore anno in Marchia orientali amissa recuperare satageret. Et vero sequens annus magis fatalis illis fuit, cum commisso rursum infelici prælio omni Carinthia ejecti fuerunt, cujus tamen maximam partem annis posterioribus rursum recuperarunt. Ceterum qua prudentia Otto M. hoc anno conspirationem a fratre Henrico adversus se adornatam suppresserit, ex Annalista Saxone ad h. a. legi potest.

ANNUS 944.

Boleslaus ut propior majori urbi Pragæ habitaret, veterem Principum domum restaurari, & Teinense prædium pluribus accessionibus amplificari præcepit, (a) ex adverso prope portam Boleslavienſem elegans sibi palatium posuit. (b) Quæ ædificiorum moles quanquam Pragensibus periculum portendere videretur, aucupaturi tamen Principis sui gratiam egregie simul ac celeriter ad perficienda cœpta, cœsis media hyeme ex Letna Petrinoque saxis, operam contulerunt. Non potuit non hac diligenti ac prompta obsequendi voluntate delectari, capique Boleslai animus, qui sævitie posita omnem Czechicam gentem gratiæ ac benevolentiæ suæ securam esse jussit, cumprimis civibus Pragensibus amoris sui certa testimonia pollicitus. (c) Quare fossam ac vallum, quod palatium inter urbemque ducere meditatus est, omisit, ne diffidere videretur populo obsequenti. Hæc autem, ut fieri assolet, felix ac tranquillum imperium consecuta sunt.

Condit palatium, Teinense prædium amplificat Boleslaus.

Ponit sævitiem

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 944.

MARINI PAPÆ AN. 3. OTTONIS M. 8.
BOLESLAI I. AN. 8. GUNTHERI & MICHAEL. EP. RAT. I.

(*a*) Subdit P. Victorinus noster: id postea transiit in valetudinarium publicum.

(*b*) Berghauerus de hoc palatio ita commentatur: *Id palatium primitus exstruxisse fertur Krzezonisylus Princeps* ait Stransky Reipl. Boj. c. 2. fol. 17. *exstructa intra urbis Pragenæ muros versus orientem magnifica corte, frequens ipse quoque, ut & post eum Principes plerique omnes usque ad Wladislai II. tempora eam incolebant.* Videtur tamen Stransky confundere palatium regium *lætam curiam & Teyn* dictum cum altero palatio post lætam curiam a Boleslao Sævo erectum, nam in posteriori non priori Wladislaus II. habitavit. Ideo notandum, quod Borziwogius quidem primus Christianus Dux in læta curia habitaverit, . . . Antecessores quoque & Successores ibidem habitaverint; postea quam vero Boleslaus Sævus e regione Aulæ Teynensis ad confinia portæ Boleslavienſis aliam ædem Ducalem exstruxisset, & ibi frequens egisset, prior Teynensi partim Ecclesiæ, partim aliis structuris collectationum Regiarum vulgo *Ungelt* dictarum sensim cesserit. Narrat rem Hagekus. . . . In hoc palatio post Boleslaum habitaverunt Duces & Reges plerique, præterquam, quod distractionis gratia quidam subinde in Wissehrado aut in castro S. Wenceslai, velut Carolus IV., substiterint. Nam & tribunalia & judicia terræ hic fiebant &c, hactenus Berghauerus. *In Protomart. Pæsit. p. 282.*

(*c*) P. Victorinus ex Hammerschmidii Gl. Prag. c. 4. addit: Boleslaum huc collegia docentium literariumque ludum (Budecio urbe jam devastata) transtulisse, assignatis proventibus annuis, unde omnium artium magistri alerentur.

PRÆTERMISSA.

I. Podivinum S. Wenceslai Sodalem ante triennium laqueo jussu Boleslai præfocatum, fuisse ad Annum 941 in Prætermissis ostendi-

dimus, in hac ignominiosa arbore eum tribus annis, adeoque usque ad præsentem pependisse ex Christanno discimus. Hagecius summo compendio refert ea, quæ medio tempore circa appensum corpus facta sunt, ut Parte III. p. 607 vidimus; contra prolixus est, & plane pathéticus in iis recensendis Christannus, quæ ex eo in hunc locum servavimus. *Grande aliquid dicturus*, inquit, *fateor, pro sui magnitudine me deliberasse ut silerem, sed ora plurimorum scientium hæc luce clarius, quam incessanter prædicant, me silere indignum putavi. Pependit ibi tribus annis, non avis, non bestia, non ipsa humanæ carnis absumtio, & putredo in corpore ejus prevaluit, sed more viventis, ungues & barba excrevit, & capilli ejus usque ad summam caniciem albi effecti sunt. Tandem tædio victus ille fratricida* (Boleslaus) *quia miraculum domini ubivis gentium declarabatur, in eodem loco eum humo cooperiri fecit.* Quod itaque hoc anno factum; persequitur Christannus: *Sed nec ita opera DEI abscondi potuerunt, quin ad manifestanda populis servi* (perperam habet Balbinus Sancti) *sui merita lumen cæleste noctu a transeuntibus frequentissime super sepulchrum ejus accensum videretur. Tamdiu hoc actum est, donec undecunque advenientes donaria offerre inciperent, & supra tumbam sepulti devotionis suæ munera darent, & vitæ suæ commoda DEO & occiso illi committerent.* Clarissimi Viri Bollandiani merito Podivini facinus damnant, quod ut ante P. III. p. 574 ex Christanno recensuimus, primarium hostem & percussorem S. Wenceslai animo vindice post plures demum annos manu sua interfecerit, rectèque statuunt: nulli privato fas esse mortem innocentis morte nocentis ulcisci. Contra immerito nimiæ credulitatis damnant Christannum, quòd Podivinum *sanctum Dei* appellet, quodque sibi persuaserit, DEum glorioſam mortem ejus miraculis comprobaturum fuisse, si ob homicidium perpetratum morte mulctatus fuisset, sentiunt itaque Christannum rumore falso deceptum, ac proinde majorem fidem adhibendam Anonymo Ottoniano, aliisque historicis Bohemiæ, qui eum innocenter & mero odio Boleslai laqueo appensum scripserunt. Ego vero narrationem Christanni tanquam indubitatam retinendam autumo, cui tanquam domestico ad oculatos & auritos testes provocanti præsertim in particularibus facti alicujus circumstantiis major fides adhibenda, quam extero aut nostris posteriorum sæculorum Scriptoribus. Si Podivinus innocens & eodem odio Boleslai aut Drahomiræ, quo S. Wenceslaus, interiit: non video cur non passionis S. Wenceslai socius? cur non martyr? cur non etiam publico cultu Ecclesiæ honoratus, quemadmodum

Christannus in vita SS. Lud. & Wenc.

Acta SS. ad 28 Sept. n. 174 & 175

dum ipse Divus Wenceslaus? sed ea semper fuit prudens circumspectio Majorum nostrorum, ut nunquam illi publicum cultum impendisse legantur. Vidit stupens antiquitas, quæ præter naturæ legem & ordinem circa appensum ejus corpus fiebant, quæ etiam Anonymus Ottonianus narrat, vidit, quæ postea circa tumulum ejus mira facta sunt, non ignoravit hæc Bohema posteritas, nec tamen unquam, si recentissimos aliquos historicos nostros excipias, eum unquam Sancti aut Beati titulo, multo minus cultu Indigetis prosecuta est. Et quidem antiquitas nequaquam ejus exuvias pro more illorum temporum in Ecclesia sepelivit, nec super illis altare aut sacellum erexit, quin ut loquitur Christannus: *positum corpus in cemiterio Ecclesiæ S. Viti, ita ut S. Wenceslaus in Ecclesia quidem, & miles ille foris positus sola macerià*: (id est pariete) *dividantur.* * Quorum omnium quam aliam rationem dabimus, quam cædem illam, quam homo privatus in primario perculsore S. Wenceslai attentavit? quam cum non ignorarent Episcopi nostri, ipsaque Romana Ecclesia (etsi privatim compluribus venerationi esset, nec signorum indicia deessent) nunquam tamen ad publicum cultum, atque eo, ut officio & missa celebraretur, pertigit. Ad defensionem Christanni ut redeam: Librarii errore & Balbini oscitantia (qui Bollandianis apographum Christanni exemplar submiserat) in errorem inducti sunt viri clarissimi. Nusquam Podivinum Christannus *sanctum*, sed *servum suum* seu *Dei* appellavit. Id testatur MS. Metropolitanum, & complura alia exemplaria, quæ cum Balbiniano contuli. Profecto Christannus omni cautela, quæ a vino prudente desiderari potest, usus est, nec enim eum Martyrem aut Beatum, Sanctumve, etiam commemoratis prodigiis, appellat, sed ait simpliciter: *occiso illi*, ut mox legimus. Et demum persequens translationem ejus, nomine nudo *Virum* vocat, inquiens: *Post multum temporis viri illius* (Podivini) *ex loco illo sublatum est corpus*, denique eundem rememorans subjungit: *miles ille.* Quod ad alterum attinet, etiam Christannus omni culpa vacat; qui cum cædem hanc a Podivino admissam narrasset, sat superque timiditatem suam, adhibita non contemnenda emphasi, in referendis, credendisque his prodigiis indicavit. Sed num celaret posteritatem, *cum ora plurimorum scientium hæc luce clarius quam incessanter prædicarent?* Neque vero hæc divina virtute prodita signa mihi incredibilia videntur, etsi prius a Podivino cædem admissam cum Christanno statuam. Podivinum, duce cumprimis S. Wenceslao, vitam sanctissime egisse, communis est veterum & recentiorum consensus. An cædes hæc igno-

* Necvero hodie ejusdem reliquiis publica impenditur veneratio, quæ ut Pessina in Phosphoro p. 156. memorat, ad januam Sacelli S. Wenceslai conditæ asservantur.

ignorantia gravitatis, aut præcoci doloris impetu excusari non potest, ob quam cum postea ad supplicium tractus est, quis negabit vere pœnitentem, compunctumque decessisse, & eum piissimum finem, qualis superior vita erat, sortitum? Judicia DEI abyssus multa. Non id tam insolitum unumque in historiis Sanctorum exemplum est. Ceterum quod ad tempus attinet, quo abhinc ad cemeteriuſn Ecclesiæ Divi Viti translatus est, cum id a nemine veterum proditum sit, *multum vero temporis* defigat Christannus, dissentire nolim doctissimo Compilatori Seriei Chronologicæ, qui id demum sub Boleslao Pio factum fuisse autumat.

Chronol. Geschicht. Böh. 2 Th. p. 335.

II. Hungari priorum annorum clades repasturi hoc anno denuo Bojis bellum inferunt, sed aleam multo infeliciorem experti, ut etiam cum plerisque Chronicis S. Pantaleonis, Salzburgensi, Annalista Saxone, & Conrado Ursbergensi ad hunc annum recte adnotat Cosmas noster: *Ungari a Carinthiis multa cæde mactantur.* Quam cladem magis magisque exaggerat Continuator Reginonis ad h. a. *Hungari a Carantanis tanta cæde mactantur, ut nunquam a nostratibus antea taliter infirmarentur.* Carantanis Chronicon S. Pantaleonis recte substituit Bojoarios, a quibus gestum hoc anno bellum, & qui Carinthiæ magnam partem, exciso cumprimis regno Moraviæ, sibi vendicarant. Atque hoc merito defigitur punctum temporis, quo magna Moraviæ veteris pars rursum erepta Hungaris, quibusve remotis etiam Boleslaus noster rursum ditiones suas & imperium altera parte ad ipsa pene Danubii litora protendit. Punctum illud temporis præsertim ex Constantino Porphyrogenito (qui hoc anno juxta Pagium solus orientali Imperio præfidere cœpit, quique his ipsis annis librum suum de administrando Imperio ad filium scripsit) haurimus, cujus hæc verba sunt: *Ad cursum fluminis exstat Sirmium, quod Belegrada abest duorum dierum itinere: inde Moravia baptismo carens, quam Turci* (id est Hungari) *deseruerunt, cujusque Princeps olim fuit Sphendoplocus.* In versione quidem latina, quæ in Bibliotheca Byzantina habetur, non legitur *deseruerunt*, sed *vastarunt.* At doctissime jam adnotavit Clarissimus Assemanus, græcum textum genuinum esse: ἠρήμωσαν οἱ τοῦρκοι, id est, *quam Turci deseruerunt.* Ac proinde hanc argumentationem Chronologicam deducit: *Et vastarunt quidem, quando Turci in Moraviam irruere, sed eam vastatam postea deseruerunt, dereliquerunt inde recedentes, aut potius a Bojis expulsi, tum teste Continuatore Reginonis anno*

Pagius in Crit. Bar. ad h. a.

De Admin. Imp. c. 40.

Kalend. Eccl. T. III. p. 328

944

944 *Hungari a Carantanis tanta cæde mactantur, ut nunquam a noſtratibus antea taliter infirmarentur.* Hactenus Aſſemanus. Et vero omnibus his regionum confiniis tranquillitatem ſecuritatemque majorem obtinuiſſe, poſtea ad annum 946 ex Agapiti bulla lecturi ſumus, cum Laureacenſi Archiepiſcopo facultatem concedit, Epiſcopos denuo per Moraviam conſtituendi.

III. Hoc aut præterito anno Iſengrinus Ratisbonenſis & Bohemorum Epiſcopus hominem exuit, cui Guntherus monachus S. Emerami ſucceſſit; ſed cum is nonniſi ſex menſibus cathedræ ſuæ præſediſſet, ſucceſſorem accepit Michaelem, quem hoc ipſo anno ad Epiſcopalem ſedem evectum eſſe teſtatur Anonymi Emmeramenſis Monachi pervetuſtum breve Chronicon Bajoariæ his verbis: *Michael accepit ferulam.* Non neſcio quidem, Annaliſtam Saxonem Michaelis in Epiſcopatum Ratisbonenſem impoſitionem ad annum 952 referre, ſed præferenda ſuperioris vetuſti codicis & chronici fides, præſertim cum conſtet, Annaliſtam Saxonem omnia de Michaele ad verbum exſcripſiſſe ex Ditmaro, nec ſatis circumſpecte ea illi anno illigaſſe. Nam certum eſt ex Frodoardo, Virdunenſi Chronico, Actis & ſubſcriptione Synodi Ingelheimenſis: Michaelem jam anno 948 cum aliis triginta Epiſcopis interfuiſſe Synodo, & tam Meibomius quam Hundius profert de Anno 950 diploma Ottonis M. quo quædam latifundia donat hac verborum expreſſione: *Ad Eccleſiam Beati Petri Principis Apoſtolorum, ſanctique quoque Emmerami Martyris Chriſti, ubi venerabilis Epiſcopus Sanctæ Radaſponenſis Eccleſiæ Michael nomine præeſſe dignoſcitur.* Quare his benevolum Lectorem admonitum volumus, ut cum in noſtra Parte III. p. 626. alibique legerit, Michaelem anno 952 Epiſcopatum adiiſſe, aut poſt duodecimum primum Martyrii S. Wenceslai annum conſequutum fuiſſe, errorem excuſet, emendetque, qui ibi Annaliſtam Saxonem præter rigidius examen ſecuti, ab eo annum certum indicatum fuiſſe autumavimus. Quo pacto autem hoc anno tam Guntherus, quam Michael in Ratisbonenſem Sedem evectus ſit (cum id ad hiſtoriam Epiſcoporum noſtrorum ſpectet) verbis Ditmari referre juvat: *Imperator, audita Ratisbonenſis Eccleſiæ præſulis* (Iſengrini) *morte, eo perrexit, & ut Epiſcopatum non alii daret niſi ei, qui primus ſibi occurrerit, in ſomnis admonitus eſt. Craſtina autem die primitus inluceſcente Cæſar ad monaſterium Chriſti Martyris Emerani, Monachis hoc neſcientibus, cum paucis venit, & paulatim oſtium pulſans a quodam Guthero Eccleſiæ pervigili ca-*

Apud Oefelium rer. Boic. T. I. p. 46.

Meib. T. I. p. 743. Hund. T. I. p. 152.

Ditmarus l. 2 p. 336.

ſtode, & per omnia venerabili Patre intromiſſus eſt. Quem intuens; ad adorandum primo ſimplex proceſſit, deindeque talibus aggreditur: Quid mi frater pro adipiſcendo Epiſcopatus honore vis dare. Senior ad hæc ſubridens, calceos, inſit, meos. Hunc autem cum ceteris confratribus ad electionem Antiſtitis ad S. Petrum venientem Cæſar explicato cunctis ſomnio, ceteroque rei eventu, cum conſilio Cleri, totiusque populi ad ſacerdotem conſtituit. Is vero accepta benedictione ſedebat tantum VI. menſes, ægritudineque compreſſus valida ad modicum convaluit, ſumtoque in manus cinere, locum quo de hoc ſeculo migrare voluit, ſigno ſanctæ crucis ipſe conſurgendo ſignavit, ſolotenusque poſitus illud beati Job carmen beatus & ipſe cecinit: Audi tu auris, audivite Domine, nunc autem oculus meus videt te: Idcirco ipſemet reprehendo & ago pœnitentiam in favilla & cinere. *Et continua confeſſione cum lacrymis peracta emiſit ſpiritum. Impletumque in eodem eſt, quod anteceſſor illius ſimilis habitus huic prædixit:* Tu debes frater ſecundus poſt me hanc Eccleſiam regere, ſed parvo tempore vives, Domino tandem te miſericorditer coronante. *Quod quamdiu hic peregrinatus eſt, juxta Domini voluntatem fieri idem ſemper optavit. . . . . Hic* (Otto) *audito obitu tanti patris Michaelem huic ſuccedere fecit.* Hactenus Ditmarus. Ceterum præterire haud poſſumus doct. Auctoris Chronologicæ Seriei errationem, qui jam hoc tempore Epiſcopum Ratisbonenſem nulli Metropolitæ, ſed Romanæ Sedi immediate ſubjectum ſtatuit. Profecto ex Leonis VII. bullæ inſcriptione, cujus jam ad annum 937 mentio facta eſt, Egilolphus Juvavenſis ſeu Salisburgenſis Metropolita cum ſuis tribus Suffraganeis Ratisbonenſi, Friſingenſi, & Sebonenſi dignoſcitur, & ſi Hanſizium conſulamus, legimus ibidem vetuſtiſſima & coæva monumenta jam inde ab anno 864 uſque ad annum 1225 & ultra Ratisbonenſem Epiſcopum Salisburgenſis Archiepiſcopi Suffraganeum fuiſſe.

Chronologiſche Geſchichte Böhmens 2 Theil p. 364.

Confer. Hanſiz Germ. ſacræ T. II. p. 6. 7. 8. & 930.

AN.

ANNUS 945.

Przibislava virtutum sanctitatisque opinione conspicua Princeps, Wratislai Bohemiæ Ducis filia, sororque Divi Wenceslai ac Boleslai hoc anno mortale corpus exuit Jablonæ, (a) multis vivens mortuaque prodigiis illustrata. (b) Dum viveret, sedem suam habitationemque aquiloni obtentam, & tum solo vici nomine gaudentem alto firmoque muro sepsit. Ancillarum grex elatas exuvias prope sacellum ejus sub monte Krutina tumulo intulit, ad quod postea non raro crebra lumina visa, cœlestesque concentus auditi, fuitque multis Ethnicis Christianique nominis hostibus illicium & causa baptismi suscepti. (c) Post plura sæcula Chotieslaus vir ut opibus affluens ita religiosus haud longe abhinc monasterium S. Przibislavæ nomine celebre constrúi, & ejus reliquias in eo reponi fecit. (d)

Moritur Przibislava opinione sanctitatis.

Monasterium honori ejus conditur.

ANNUS JESU CHRISTI 945.

MARINI VIII. PAPÆ 3. OTTONIS M. 9.
BOLESLAI I. AN. 9. MICHAELIS EP. RATISB. 2.

(a) Si verba unius ejusdemque authoris sunt, quæ in Christanno nostro de Przibislava, attentatoque ab ea pio furto maxillæ S. Wenceslai leguntur, mors Przibislavæ nec in hunc annum, nec in annorum istorum confinium rejici potest. Nam cum author, quemcunque demum illum fuisse statuamus, priora gesta S. Wenceslai, ipsamque cædem ac translationem, tanquam a sua ætate remotiora narrasset, hoc pio Przibislavæ furto relato subjungit: *Quod quia nostris factum constat temporibus, plurimisque patet, supervacaneum huic opusculo credidi inseren-*

ferendum, hoc ſolum exaro, quod improviſa & inſperata morte preventi, præſenti ex luce migrarunt. Quæ verba num Chriſtanni eſſe poſſint, cujus temporibus atque ætate ipſa translatio ceteraque prius memorata facta ſunt, infra examinabimus.

(*b*) Chriſtannus hoc ei probitatis teſtimonium reddit: *Venerabilis Matrona ſoror beati Martyris Przibislava ab ipſis incunabulis Chriſto Domino fuerat edocta ſervire DEO ſecundum documenta Evangelica ſine querela. Poſtquam enim eam Dominus a jure maritali ſolverat, totam ſe manciparverat DEO famulandam, æſtuanti ſciens animo velamine ſacro contegi, die noctuque inſtanter orationibus, jejuniis, vigiliisque perſiſtens.* Balbinus vero *ex MS. codice pervetuſto refert,* eam diſertis verbis *Sanctam* appellari, *atque ante & poſt obitum miraculis claruiſſe.* Mirandum proinde magnopere, quod Marignola noſter, qui verbis expreſſis præfatur, ſe de Bohemiæ Sanctis tractaturum, Przibislavæ ſub nomine & titulo Sanctæ non meminerit. Imo, quod memini, in nullo hactenus vetuſtiore authore, martyrologio, aut Calendario reperi eam Sanctitatis titulo impertitam, multo minus ut eidem cultus publicus fuiſſet decretus, aut miſſa & officium de ea recitata. Et vero nec dies prodita eſt, in quam ejus feſtivitas olim incidiſſet, e qua ſaltem cognitionem emortualis ejus diei indipiſceremur.

Balb. Dec. 1 l. 4 §. 5 p. 9

(*c*) Vocabulo hoc *monaſterii*, ab Hagecio prolato, deceptus Paprocius, peſſime conciliata chronologia, jam id monaſterium Ordinis Sancti Dominici fuiſſe credidit, cum Ordinem Sancti Dominici duobus, & quod excurrit, ſæculis poſterius inſtitutum fuiſſe conſtet. Et vero monaſterium hoc Jablonæ non Sanctæ Przibislavæ, ſed S. Laurentii audiit. Ego vero ſimillimo errore Hagecium lapſum ſemper ſuſpicatus ſum, ut nominis ſimilitudine in errorem raptus, Przibislavam pro B. Zdislava acceperit, nam & hanc piam matronam ex Berkarum illuſtri familia progenitam Jablonæ vixiſſe, tumulatam, nec non prodigiis quibusque corruſcaſſe ex iis liquet, quæ de ea Pontanus, Chanovsky, Crugerius, ac cumprimis copioſe Balbinus narrat. Verum cum Balbinus priora commemorando, ad pervetuſtum MS. & Beneſſium de Weitmühl provocet, merito optandum, ut hæc duo hactenus incognita MSSa. in lucem proferantur, quibus omnium hiſtoricorum patriorum ora hiantia reddidit Balbinus.

Balb. cit. l. p. 75

(*d*)

(*d*) Simillima hæc sunt iis, quæ Balbinus c. l. ex vetusto MS. codice recitat, hoc uno excepto, quod Ecclesiam, non monasterium, S. Przibislavæ honoris a Chotieslao erectam dicat. De posteriori vero Pragam translatione ex Beneſſii Chronicorum l. 4. subjicit hæc Balbinus: *Anno* 1367 *Carolo IV. apud nos imperante, qui Divorum sacris corporibus Ecclesiam Pragensem ornare cupiebat maxime, summo honore elevatum esse Jubilæum S. corpus, & in S. Viti Ecclesiam non procul fratris sanctissimi tumulo compositum, una cum B. Martyre Podivino.* Sed si Joannis Ignatii Dlauhovesky, Suffraganei Pragensis, oculati testis verba, quæ eodem loco p. 10 subjunxit Balbinus, expendantur, sique verum est, corpus B. Przibislavæ a Carolo IV. demum Pragam translatum esse, non fuit illud in Ecclesiam S. Viti, sed extra veteris Ecclesiæ molem ad corpus B. Podivini appositum. Nam verba Dlauhovesky apud eundem Balbinum manu sua scripta sunt: *Utrumque corpus & B. Przibislavæ & B. Podivini inventum, elevatum est, dum fundamenta novæ additæ Ecclesiæ ad S. Vitum ponerentur Anno* 1673 *quod mihi peccatori videre, & utrumque tractare licuit, multoque populo & Clero osculante non sine lacrymis & magna teneritudine.* Ceterum quanquam Dlauhoveskius non prodat, quo demum utriusque corpus fuerit repositum, discimus tamen id ex Collega ejus Pessina, qui in Phosphoro suo septicorni, quem eodem anno 1673 typis publicavit, ait *adjanuam Sacelli* S. Wenceslai utriusque corpus quiescere. Verum quandoquidem *historia lux veritatis* est, non prætermittenda hic memoria altera (*nam locus* nuspiam videtur aptior) quam de Przibislava nobis *tradit* Christannus, quam itaque prolixitatis ergo ad Prætermissorum §. I. rejicimus.

PRÆTERMISSA.

I. Balbinus c. l. referens gesta B. Przibislavæ, ex Christanno nonnisi ea excerpta tradidit, quæ ad laudem ejus Christannus commemoraverat, truncatis iis, quæ de pio furto, & improvisa illius, complicumque morte idem author narrat. Verba itaque integra hic Christanni repetenda sunt, ut demum aptior crisis de re universa formari possit. *Harum*, (inquit Christannus) *& hujusmodi virtutum fama & gloria beati Martyris* (Wenceslai) *diffusa ceperunt quidam animo instigari, ut reliquias Beati corporis acciperent, & sibi retinerent, ac suis distribuerent. Quidam sane pro bona voluntate & bono animo, ut nomen Mar-*

Balb. Dec. 1. l. 4. p. 9.

Christan. in Vita SS. Ludm. & Wenc.

Martyris passim diffunderetur, id agere nitebantur, si qui autem malo animo aut cupiditate idem conabantur, vindicta eos sequens ulta est. Igitur soror ejus Przibislava, quantum humanus oculus potest prejudicare, sub sacro habitu sanctissime vivens tali se facto commiscuit, habens adjutorium sui operis Presbyterum ejusdem Ecclesiæ Stephanum, sed inclusus quidam juxta Ecclesiam morabatur, cui quasi sanctissimo adherentes, ejus consilio precipuo id aggressi sunt. Quid plura? condicta nocte veniunt, extrabentes illum, participem sui facti faciunt, effodientes venerabile corpus, nequitie sue initium sumunt. Nam presbyteri ejusdem filius satis irreverenter maxillam sancti viri extraxit, & pallio illud involvunt, reliquumque corpus iterum terræ cooperiunt. Ipsis vero ex reliquiis pro libitu suo partim sibi retinent, partim suis distribuunt. Sed ultio eos omnes protinus divina improvise assequitur. Quod quia nostris factum constat temporibus, plurimisque patet, supervacaneum huic opusculo credidi inserendum, hoc solum exaro; quod improvisa & insperata morte preventi presenti ex luce migrarunt. Hactenus Christannus. Hæc vero vitam & memorias Przibislavæ citato loco transcribenti Balbino convenisset dilucidare, excusare, aut infirmare, cum existimationi B. Przibislavæ multum detrahant, præsertim cum author innuat, id pium furtum *malo animo & cupiditate* factum. Subjungit enim: *Si qui autem malo animo aut cupiditate idem conabantur, vindicta eos* sequens, nempe *improvisa & insperata mors* (quam alioquin notam author prædicat) *secuta est.* Sed cum in his penitus obmutuerit Balbinus, eaque enodare subterfugerit, periculum facere libet, num B. Przibislava S. Wenceslai soror hoc nævo non perpurgari, immunisque pronunciari possit? Jam alias crebrius innuimus, vitam SS. Ludmillæ ac Wenceslai, quæ passim Christanni (qui fuit Boleslai Sævi filius) nomine circumfertur, nobis minime videri unius ejusdemque authoris ex Sæculo X. partum esse, sed vitam hanc ex pluribus veteribus eorundem Sanctorum vitis, fragmentis, miraculorumque narrationibus a posteriore quocunque consutam, cujus sententiæ momenta posterius suo loco dabimus. Fuit vero hæc nostra assertio A. R. P. Athanasio incitamento & causæ, ut bis imo ter publicatam hanc vitam denuo recudi fecerit, eamque animadversionibus illustraverit, quibus eo maxime connititur, ut hanc vitam universam genuinum Christanni supradicti partum esse ostendat. Sed, ut pace viri istius doctissimi ingenue fatear, tot dubiis meis difficultatibusque minime satisfecit, uti, cum de Christanno nobis sermo erit, testatum faciemus. Jam ut ad Przibislavæ pium furtum redeamus,

mus, jam supra in notis nostris *lit. a* indicium sat manifestum ex ipsa hac vita protulimus, non unum eundemque authorem videri contemporaneum. Cum enim narrato hoc furto prætermissionem ideo faciat, *quia nostris furtum constat temporibus, plurimisque patet*, an non recte concluditur: anteriora non fuisse facta hujus authoris temporibus? quorum plura cum etiam tum plurimis patuerint, an non eidem authori etiam brevius expedienda, rescindenda aut prætermittenda videri poterant? Et vero hoc pium furtum nequaquam hoc annorum confinio, aut ætate Christanni accidere potuisse, jam idoneis argumentis demonstrabimus: Certum est ex Anonymo Ottoniano, Christanno ipso, omnibusque S. Wenceslai Hagiographis: corpus ejusdem S. Martyris adhuc annis abhinc quinque sub translationem illius tam integrum incorruptumque fuisse, ut vivo similius videretur. Sic enim Ottonianus: *Sarcofagum aperiunt, & ecce corpus carnea adhuc mole integrum, & per cuncta vulnera sanum, apparentibus tantum plagarum signis, nisi solum vulnus* (auriculæ) *fraterno ense factum, quod se debiscens sanguine visum est manare.* Nec dissimilia sunt verba ipsius Christanni. *Tunc quoque*, inquit, *accenso lumine intuentes viderunt corpus ejus integrum, & omnia ejus vulnera sanata præter vulnus illud unum, quod frater ejus crudelissimus capiti ejus inflixerat, & quidem quamvis sanum foret, a reliquis tamen distabat, velut quodam limo albo contectum, quod etiam studuerunt abluere, simileque reliquis apparuit.* Sed & multo posterius, & quidem ultra eam ætatem, vitamque, quæ Przibislavæ concedi potest, incorruptum adhuc fuisse observatum corpus S. Wenceslai, aut certe eam communem populi fuisse opinionem, haurimus ex vetustissimo sermone ad fratres de Translatione S. Wenceslai, qui cum præmissus sit illi vitæ S. Wenceslai, quam Pessina locis omnibus Hizoni Episcopo Pragensi (anno demum 1030 demortuo) tribuit, merito ex styli æqualitate aliisque congruentiis passim ejusdem Episcopi esse creditur. Nos vero etsi cuicunque demum ex nostris primis Episcopis sermonem hunc adjudicemus, manifestum fit ex illo, tum adhuc corpus S. Wenceslai incorruptum prædicari consuevisse. Neque enim etiam credibile est, DEum gloriam incorruptionis huic sacro corpori tantum ad triennium usque, & translationem illius concessisse, ac subito postea eam retraxisse. Quin ex omnibus rerum & temporum circumstantiis conjicitur, opinionem illam de incorruptione sacri corporis usque ad annum 1060 perdurasse, quo Spitigneus Dux fabricam Ecclesiæ S. Viti a S. Wenceslao exstructam demolitus est, & magnam *per longum gyrum*, ut

MS. Biblioth. Metrop.

Cosmas t. 2. ad b. a.

nt Cosmas loquitur, designavit construxitque Ecclesiam, quo tempore omnino propter nova jacta fundamenta Ecclesiæ levatum corpus, & demum corruptum inventum fuerit. Nam cum illud terræ infossum fuisse prodat ipse Christannus, nec apparet ratio, nec uspiam legitur prius inspectum levatumque fuisse. Unde recte versus illi in hymno S. Wenceslai Codicis Duxovienſis priore sæculo scripti, sæculum integrum huic incorruptioni tribuere videntur:

Sacrum corpusculum
Per unum sæculum,
Quantum miraculum!
Nihil corrumpitur,
Integrum visitur.

Jam igitur cogitatione haud quidem assequi licet, quomodo Przibislava mox ante testis oculata incorrupti corporis, & auris prodigiose sanatæ, haud ignara etiam cum complicibus suis communis famæ, consilium capere potuerit de reliquiis aut ossibus ex incorrupto corpore suffurandis? Dicemusne eam, ejusque complices lanienam in sacrum corpus exeruisse, & maxillam e carnibus exsecuisse? Absit. Ratione igitur duce concludendum; furtum hoc multo posterius a quacunque alia muliere nomine Przibislava attentatum fuisse, quam inscitus quiscunque legendarius, aut annanuensis *Sororem S. Wenceslai* in margine scripsit, alius eo inscitior scriba in ipsum textum transtulit. *Quantum autem ejusmodi interpolationes, & marginales notæ codices quosque corruperint, nemini antiquitatis studioso incognitum est. Hac una pene ratione fama B. Przibislavæ salvari potest, secus non video, quomodo illa opinionem *Beatæ* aut plane *Sanctæ* assequi, & apud omnem posteritatem sustinere potuerit, quam Christannus mali animi & cupiditatis ream ob hoc sacrum furtum insimulat, ac propterea inopina & insperata morte, vindice DEO, punitam tradit. Nos certo confidimus (cum isthic omnium, quæ legimus & excerpsimus, meminisse non possimus) adhuc posterioribus sæculis detecturos ejusmodi furtum circa reliquias S. Wenceslai factum, quod procul dubio unum idemque cum hoc Przibislavæ atque complicum erit.

*Vide ejusmodi plam mulierem nomine Przibislavam apud Monachum Zazaviensem ad an. 1132.

II. Breve Chronicon Anonymi Monachi Emeramenſis, quod ex codice pervetuſto publicavit Oefelius, præſenti anno hæc verba adſcribit: *Occiſio paganorum ad Vueles*, procul dubio legendum ad *Vuelios, Wilcos, Wilzos* ſeu *Velicos*, ut eos appellat Witichindus, Slavos anterioris Pomeraniæ, confinesque Geronis Marchiæ. Nam in hanc annorum periodum paſſim authores rejiciunt illorum XXX Principum Slavorum paganorum cædem, quos Gero Marchio orientalis convivio exceptos, & vino delibutos una nocte exſtinxit, quod facinus Witichindus his verbis narrat: *Barbari . . . . . Geronem, quem ſibi Rex præfecerat, cum dolo perimere cogitant. Ipſe dolum dolo præoccupans convivio claro delibutos ac vino ſepultos ad triginta fere Principum barbarorum una nocte exſtinxit.* Non neſcio Annaliſtam Saxonem lanienam hanc jam anno 940 illigaſſe, quo magnam partem narratorum Witichindi uno veluti ſpiritu expedivit; at nobis præplacuit veteris iſtius Chronici, quod nonniſi ad annum 1062 pertingit, indicium ſequi, præſertim cum de bello aliquo, quo barbari aut pagani illo anno cæſi fuiſſent, memoriam nuſpiam reperiam, & Sigebertus idipſum non obſcure innuat, cum ait: *Barbaros occaſione inteſtini belli undique irruentes Gero comes fortiter ac frequenter debellat.* Scilicet idem eſt, qui Slavicis populis inter Albim & Oderam Marchio limitaneus datus, heros ejuſce ætatis præcipuus, quem Witichindus l. 3. *tot victoriis quot præliis clarum* prædicat, & quem Ditmarus l. 6. *magnum fuiſſe & ſic nuncupatum eſſe* ſcribit. Is hoc ipſo anno tanta Principum Slavicorum cæde, & cumprimis Tugumiri Principis Slavorum Heveldorum fraudulentia, qui hactenus captivus apud Ottonem detinebatur, rem eo perduxit, ut omnes Slavici pagi ad Oderam uſque ſe ſubmiſerint, Ottonique tributum ſolverint; quanta Slavicorum populorum viciniſſimorum deditio Boleslao noſtro neceſſitatem impoſuit, ut inducias ſeu armiſtitium, ut vocant, cum Ottone paciſci coactus fuerit, quemadmodum mox anno ſequente videbimus. Sed jam quæ ea fraus Tugumiri fuerit, ex ipſo Witichindo cognoſcamus, quam libro 2 facinori Geronis in Slavicos Principes attentato ſubjungit. *Fuit*, inquit, *quidam Sclavus a Rege Henrico* (Aucupe) *relictus* (ſcil. in captivitate) *qui jure gentis paterna ſucceſſione Dominus eſſet eorum, qui dicuntur Heveldi, dictus Tugumir. Hic pecunia multa captus, & majori promiſſione* (ſcil. Ottonis & Geronis) *perſuaſus, profeſſus eſt ſe prodere regionem. Unde quaſi occulte elapſus, venit in urbem, quæ dicitur Brennaburg* (Brandeburg) *a populo agnitus, & ut Dominus ſuſceptus, in brevi, quæ pro-*

Apud Oefel. T. I. p. 46

Chron. Gotvic. p. 673.

Witichindus l. 2. p. 647

Sigeb. Gembl. ad h. a.

misit, implevit. Nam nepotem suum, qui ex omnibus principibus gentis superarat, ad se invitans dolo captum interfecit, urbemque cum regione ditioni regis tradidit. Quo facto omnes barbaræ nationes usque in Oderam fluvium simili modo tributis regalibus se subjugarunt. De hoc Hevellorum seu Ztodoranorum Principe Tugumir jam P. III. ad annum 926 p. 541 egimus, ubi probabilibus argumentis ostendimus eum Drahomiræ seu patrem seu fratrem, ac proinde Boleslai nostri avum aut avunculum fuisse. Non vana isthic conjectura assequimur causam, cur tamdiu ab ipsius Henrici Aucupis ultimis Imperii annis ad hunc usque annum captivus apud Ottonem detentus fuerit, scilicet ut ne dimissus Boleslai cognati sui partes tueretur. Et vero cum hoc ipso anno facinore suo summam gratiam Ottonis aucupatus sit, alterum conjicere fas est, eum nullum non movisse lapidem, ut Ottonem Boleslao conciliaret, posteriorique author esset ad pacis conditiones ineundas, quas paulo post Boleslaum meditatum fuisse, ex datis obsidibus liquet, quos anno sequente Ottoni misit, ut suo loco videbimus.

ANNUS 946.

Divislaus aliique prudentia præstantes viri edicto Boleslai ad præbendum consilia evocati, quibus potissimum remediis Ducatus Bohemiæ plura divitiarum incrementa capere possit, unanimi sententia suasere Principi excutiendos esse veteres fastos atque historias, in iisque inquirendum, quid olim prima Princeps Libussa cum conjuge suo Przemislao de subterraneis auri argentique thesauris vatidico ore prædixisset posterisque suis tradidisset. (a) Nam Przemislaum omnia & singula charactere slavico per scribas suos diligenter adnotasse. (b) Hæc igitur industrie Boleslao esse spectanda, a quorum prosecutione opes & felicitas Ducatus

Consilium Boleslao datum de inquirendis veteribus auratiis.

catus ſui pendeant. Accepit non ingratiis conſilium hoc Boleslaus, omnique diligentia in has veteres memorias inquiri juſſit. Aliquanto poſt reperti Annales iſti Wiſſehradi in Przemislæo Gazophylacio, inque iis plura detecta documenta de monte Giloviæ, de monte triangulari, (c) Krupnæo, & Betularum. Nec mora mittuntur foſſores ad montem Giloviæ nonniſi medii diei itinere Praga disjunctum, intraque menſes modicos in fodina Rymboſſii, Tobola dicta, (d) vena perdives auri miræque amplitudinis inventa eſt, quæ & Boleslaum & omnem gentem Czechicam locupletem fecit.

Giloviæ fodina Tobola copioſum auruus effundit.

ANNUS JESU CHRISTI 946.

AGAPITI PAPÆ II. AN. 1. OTTONIS. M. 10.
BOLESLAI I. AN. 10. MICHAELIS EP. RAT. 3.

(a) Hæc Libuſſæ vaticinia Hagecium nimis credulum ex MS. Tobiæ Krziwogeni Butkæ de Faltmberg Zatecenſis Decani depromſiſſe, authoremque iſtum nonniſi ſæculo XVI ordiente ſcripſiſſe, jam Parte II. ad annum 733 p. 200 oſtendimus. Mihi adhuc tam felici eſſe non licuit de fodinis noſtris vetuſtiora documenta reperire Jure montano Iglavienſi.

(b) Somnia hæc pridem P. II. & III. eluſimus, cum oſtendimus ante SS. Cyrilli & Methudii ætatem Slavis univerſim characterum uſum non fuiſſe. Et vero cum poſterioribus ſæculis Hagecius materiem ſufficientem hiſtoricam reperit, quam ſingulis annis adſcriberet, de aurariis & argentariis Bohemiæ penitus fere conticuit, ut novum id ſuſpicandi præbeat argumentum, arbitrario hæc annis ſæculorum priorum adjecta fuiſſe.

(*c*) Per montem hunc *triangularem*, ſeu ut eum vocat Stranskius *tricollem*, Kuttenbergenſis deſignatur, qui præſertim ſæculo XIV & ſequente ingentem argenti vim præbuit. Invenit autem is nomen ſuum ab ipſis fodinis ſeu officinis metallicis, quæ ſlavice *Gutti* (hodie Huti) appellatæ. Stranskius Reipubl. Boj. c. 2. p. 35 eum a ſimili voce germanica nomen inveniſſe autumat: *Cutna nomen plerique volunt eſſe origine germanicum.*

Itinerarium Joannis Majer.

(*d*) De hac Rymboſſii fodina, Gilovioque jam egimus Parte II. pag. 201. & ſeq. pag. 326 & 540.

PRÆTERMISSA.

I. Anno præſente e vivis ſublata eſt Edith Ottonis M. conjux *ordinationis ſuæ anno XI, VII. Kal. Februarii*, ut recte adnotavit Necrologium Fuldenſe, Frodoardus, & auctor Chronici Quedlinburgenſis. Minus recte igitur Hahnius in hiſtoria ſua Imperiali Chronicon Quedlinburgenſe erroris inſimulat, illique Chronicon Hildesheimenſe præferendum judicat, cum Frodoardus coævus ipſumque Necrologium Fuldenſe teſtes omni exceptione majores cuique videri debeant, ut taceam ipſum Quedlinburgenſe Chronicon authorem multum altiorem oſtentare, e quo Hildesheimenſe plura præſertim de Quedlinburgo mutuavit, quodque ad annum tantum 1025 progreditur, cum alterum 113 annis ſerius cum anno 1138 finiat. Hic autem emortualis Edithæ annus critice exigendus erat, ut conſtet, ad quem annum pertineat, quod de Boleslai noſtri viſis obſidibus narrat Witichindus. Eodem igitur anno, quo Editha obiit, reddit Witichindus oculare teſtimonium his verbis: *Eo tempore cum moraretur* (Otto) *in campis ſilveſtribus venationem agens, obſides Bolizlavi vidimus, quos populo Rex præſentari juſſit, ſatis ſuper eis lætatus.* Sed utinam Witichindus nobis indicia aliqua cauſasve obſidum datorum, aut qui illi fuerint, indicaſſet, majorem ei etiam gens noſtra haberet gratiam ob tot illuſtria patriæ hiſtoriæ poſteritati tranſcripta monumenta, neque hodie divinationibus res eſſet agenda. Ceterum cum ex gentium omnium recepto more *obſides velut ab obſidendo dicti ſint, qui fidei tuendæ gratia alterius poteſtati tradebantur, a quo quodammodo obſidebantur*: fidem hanc, quam obſidibus datis Boleslaus liberare voluit, haud aliam fuiſſe ſuſpicari licet, quam quod hoc anno, ut ſupra innuimus, pacem cum

In Ottone M. c. 3 §. 16 p. 101

Witichindus l. 2 p. 650

Otto-

Ottone meditatus sit, atque pro induciarum & armistitiorum veteri consuetudine obsides aliquos Ottoni transmiserit. Ad quod consilium amplectendum eum vicinorum omnium Slavorum deditio, & Tugumiri seu defectio, seu amica hortamenta compulerint. Cur autem pax ipsa nonnisi quatuor annis serius consecuta sit, & cur induciæ hæ interruptæ, quis divinet? An fortassis causam hujus fert aliquam Henricus frater Ottonis, qui postea passim ex Bohemorum stetit parte? Nam legitur eodem libro 2 Witichindi, quod postquam Henricus advertisset, Geroni Marchioni ipsique Ottoni offensos fuisse non modo Slavos, sed etiam milites, facile hujusmodi hominibus *persuaserit sibi concordare, spem habens iterum regnandi.* Unum hic præterea non prætermittendum, quod Witichindus de Ottone post mortem conjugis suæ refert: *Post mortem Edidis reginæ, cum antea nescierit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere, & intelligere noverit, Præterea Romana lingua slavonicaque loqui sciebat.* Quæ oppido innuunt, slavicam linguam & gentem ea ætate non tanto contemtui habitam, ut hodie quique pene calumniantur, cum eodem plane tempore duo potentissimi Principes, alter Orientis Imperator Constantinus Porphyrogenitus, alter Germaniæ Rex & paulo post Occidentis supremus Monarcha eandem linguam didicerint, calluerintque.

II. Hungaros per hos annos repetitæ clades in Saxonia, superiore Austria, & Carinthia acceptæ retrocedere his partibus coegerunt, ut etiam Moraviæ major tranquillitas affulgere cœperit, quam Agapitus II. Pontifex maximus (qui hoc anno cathedram Petri conscendit) in bulla sua ad Gerardum Archiepiscopum Laureacensem data luculenter his verbis innuit: *Modo autem mortalibus propitiante Christo ab hostibus sanctæ Laureacensis Ecclesiæ quietè, & inhabitandi securitate concessa &c.* Hujus igitur tranquillitatis reductæ ergo Pontifex in eadem bulla non modo prisca jura & privilegia sedis Laureacensis resuscitat, & confirmat, sed ut simul litem & discordiam de pallio Archiepiscopali, terrisque utriusque Diœcesis Gerardum inter & Heroldum Archiepiscopum Salisburgensem exortam dirimat, statuit Noricam regionem in duas provincias dividendam esse, ac proinde *Pannoniæ occidentalis curam & custodiam* committit Heroldo, *providentiam vero orientalis Pannoniæ regionemque Avarorum atque Marabarorum, sed & Sclavorum, qui modo Christiani, vel adhuc per baptisma Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium* concedit Gerardo cum potestate isthic constituendi

di Episcopos, ceteraque episcopalia munia exsequendi. *Nostram*, inquit Pontifex, *Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro, ubi opus est, Episcopos constituendi, omniaque disponere & ordinare tali auctoritate atque potestate delegamus, ac si præsentes affuissemus, credimus.* Bullam integram exscribere haud operæ pretium est, quæ pridem excusa apud Lambecium T. II. Bibl. Vindob. p. 651 apud Labbeum T. IX. Concil. p. 629 apud Hansizium Germ. S. T. I. p. 197. Goldastum in appendice Documentorum, aliosque plurimos legitur. Bullam hanc, quoniam omnibus notis Chronologicis caret, quique Chronologiæ Pontificum minus periti, interque hos etiam Hundius & Goldastus, diversis annis adscripserunt, imo Lazius plane Agapito I. errore facile quatuor sæculorum, adjudicavit, sed jam recte præsentem annum indicavit Anonymus Zwettlensis sæculi XII. Scriptor, ut proinde ea merito hic locum habeant, quæ eidem Bullæ subjecit Hansizius c. l. *Nota Chronica cum adjecta non sit, satis tamen constat datam esse anno DCCCCXLVI post mensem Junium, neque enim prius Pontificatum iniit Agapitus, neque Gerardus ultra annum* 946 *vixit*, quem eundem calculum secutus etiam est Assemanus in suis Kalendariis. Jam vero si ex mente Augustini Moravi seu Olomucensis *Silvestro* in Catalogo Episcoporum Moravicorum inter Joannem Archiepiscopum & S. Adalbertum Pragensem Episcopum locus concedendus est, haud alius ei configari potest, quam præsente aut sequente anno, quo, tranquillitate Moraviæ rursum inducta, resuscitata antiqua jura Laureacensis Archiepiscopi, eique a Summo Pontifice ibidem noviter constituendi Episcopos concessa facultas. Nam ab Hungarorum irruptione sæculi prioris fine facta, dilapsis Moraviæ Episcopis, etiam vacasse Sedem Archiepiscopalem Laureacensem, claris verbis in eadem Bulla profitetur Agapitus. Unde satis mirari nequeo Clarissimum Assemanum, quem etiam secutus doctissimus Compilator Seriei Chronologicæ, qua ratione statim post Joannem Silvestro huic locum in Episcopatu Moraviæ, atque circa annum Christi 914 aut 916, concedere potuerint, cum regionem omnem partim ab Ethnicis Hungaris tentam, partim solitariam, & continuis hostilibus irruptionibus vexatam ex tot supra allatis monumentis fuisse constet. Minus vero scio, quo fonte idem Compilator Seriei Chronologicæ eundem Silvestrum *Archiepiscopum* fecerit, quem ipse Augustinus nonnisi Episcopi titulo impertit. Non igitur Silvestro in Episcopatu Moraviæ post Joannem Archiepiscopum aliud tempus, atque præsens assignari potest, cujus nobis etiam ip-

Apud Bernardum Pezium T. I. Anecdot. p. 3.

Vide retro annum 942 in Præmissis.

Assemm. Kalend. eccles. T. III. p. 171.

Chronol. Geschicht. 2 Th. p. 362.

ipſe Auguſtinus indicium certum reliquit, cum eum in Ottonis I. Imperium rejecit, quanquam in annorum calculo quatuor aut quinque annis aberraverit. Eundem Silveſtrum cum Auguſtinus 19 annis cathedram occupaſſe ex legitimis veroſimillime Olomucenſis Eccleſiæ monumentis prodit, ſequitur eundem uſque ad annum 965 ſeu 966 præſediſſe, quo plane tempore Boleslaus I. Dux Bohemiæ erectionem Epiſcopatus Pragenſis meditatus eſt, ut ex his jam altera' cauſa eruatur, cur Silveſter nullum amplius ſucceſſorem acceperit. Nam anno 967 aut plane 966 præfatus Boleslaus jam per Miladam filiam ſuam a Joanne XIII impetravit facultatem erigendi Epiſcopatus Pragenſis, ſed propter contradictionem Metropolitiæ Laureacenſis & Epiſcopi Ratisbonenſis (ex quorum diœceſi Bohemia atque Moravia fuerant) aliasque difficultates negotium perficere haud potuit, erectioque Epiſcopatus Pragenſis in annum 973 ſervata eſt ejus filio Boleslao II. ſeu Pio, ut ſuo loco oſtendemus. Vacante interim Sede Epiſcopali, medioque hoc 6 aut 7 annorum ſpatio (quod nimium quantum præter fidem & hiſtoriæ criſim produxit Auguſtinus) Moravia non quidem Epiſcopatui Ratisbonenſi, ut vult idem Auguſtinus, fuit unita, ſed cum procul dubio Boleslaus ob meditatam novi Epiſcopatus Pragenſis erectionem non ſuſtineret ſibi novum Epiſcopum, Silveſtro demortuo, in Moravia imponi, probabilius interim, lite pendente, fuit a Ratisbonenſi Epiſcopo ejusque Clero Bohemico adminiſtrata. E quo veroſimillime dein is error Auguſtini profluxit, ut crediderit Moraviæ Epiſcopatum Ratisbonenſi fuiſſe unitum.

ANNUS 947.

Boleslaus foſſores ad Betularum montem, (a) qui in occidentem projectus unius diei itinere Praga aberat, denuo miſit veteres foſſas reſuſcitatum, quas olim Horymirus Neumietlenſis obruerat. (b) Nec conſilium ſpemque fruſtrata eſt opera, non enim hic locus ſolum, ſed & mons Tiſtovius, (c) Trzebuſſna, & Lazius eviſcerati ſummo *Boleslaus foſſarum opéras perſequitur.*

cum

cum omnium ſtupore argenti magnam vim dedere. (d) Allexit ea cupido lucri in hæc loca foſſores quam plurimos a Principe liberaliter præmiatos.

Increbuerat per eos dies fama, Hungaros vaſtare Moraviam; ex eaque Bohemiam meditari. (e) His terriculamentis, ut tempori occurreret Boleslaus, omnem Bohemiam in armis eſſe juſſit. Bohemi idololatræ hæc nuncia & arma in ſe parari ſuſpicati, ad ſaltum, quem nunc exuſtum Brzevnovienſe cœnobium occupat, magno concurrunt numero, palamque in Principis & Chriſtianorum omnium capita conjurant, quod tanta indignatione accepit Boleslaus, ut abhinc animum alieniſſimum Ethnicis palam oſtentaret, contra Chriſticolas ſinu foveret. Quin conſulturus rei Chriſtianæ magis magisque in futurum, non deſtitit ab eo die filio ſuo ingens quoddam idololatrarum odium cum quotidiano cibo ingerere. (f)

Ejusdem conceptum odium adverſus Ethnicos.

ANNUS JESU CHRISTI 947.

AGAPITI II. PAPÆ 2. OTTONIS M. 11.
BOLESLAI I. AN. 11. MICHAELIS EP. RAT. 4.

(a) Per montem Betularum Przibramenſes argenti fodinas notari jam P. III. ad An. 874 indicavimus.

(b) De eo actum P. I. p. 556, 559 & ſeq.

(c) Georgius Körner ridicule ex Tiſſova facit Toſſenberg, aitque hodie familiam Toſſ ſupereſſe in Vogtlandia. Abhandlung von Bergw. p. 50.

(d) Eos omnes montes Przibramio vicinos innuit Balbinus Epit. l. 2. c. 2. p. 103.

(e)

(*e*) Moraviam hoc tempore ab Hungaris potiſſimam partem evacuatam fuiſſe, tranquillioremque redditam, ex Agapiti Bulla anno ſuperiore oſtendimus. Hoc anno negotium eis fuiſſe ad Aquilejam, in Prætermiſſis commemorabimus.

(*f*) Addit noſter P. Victorinus: *Qui parvus Annibal quanta deiu negotia Deorum clientelis faceſſiverit, ubi Annalium ratio poſtulabit, viſuri ſumus.*

PRÆTERMISSA.

Hermannus Contractus apud Caniſium ad h. a. inquit: *Bertolfo Duce Bajoariæ defuncto Henricus frater Ottonis Ducatum illum accepit.* quod idem refert Chronica S. Pantaleonis apud Eccardum. Nempe huc referenda, quæ Witichindus pene ſub finem libri ſui II. ſcribit: *Igitur cum omnia regna coram eo* (Ottone) *ſilerent, & poteſtati ipſius omnes boſtes cederent, monitu & interceſſione ſanctæ matris ejus* (Mathildis) *recordatus eſt multis laboribus fatigati fratris* (Henrici) *præfecitque cum regno Bajoariorum Bertholdo jam defuncto, pacem & concordiam eum eo faciens, qua uſque in finem fideliter permanſit.* E quibus prioribus verbis: *cum omnia regna ſilerent, & poteſtati ipſius omnes boſtes cederent*, haud obſcure conjicitur, inducias ſuperiore anno a Boleslao noſtro Ottoni oblatas, minime hoc anno interruptas fuiſſe, & veroſimillime ad pacis ſtudia ſpectaſſe omnia. Sed quid cauſæ fuerit, cur non niſi abhinc tribus annis plena pax inter utrumque reſtituta ſit, quis divinet? An pacis conditiones acerbiores ab Ottone propoſitæ, quam ut Boleslaus gensque Bohemorum acceptare poſſet aut vellet? an medio tempore, hocque annorum intervallo utrinque denuo hoſtiles productæ acies? Altum profecto apud veteres omnes ſilentium. Rem his terrarum confiniis utcumque pacatam fuiſſe, innuit Henrici Bajoariæ Ducis noviter in Hungaros ſuſcepta expeditio. Nam idem Witichindus aliique memorant, eum paulo poſt ſuſceptum Ducatum eos invaſiſſe, & Aquileja omnique finitima regione exturbaſſe. Verba ejusdem Witichindi l. 2. ſunt: *Ducatu igitur Bajoariorum accepto nequaquam deſidia torpuit, ſed abiens, Aquilejam cepit, Ungaros duabus vicibus armis ſuperavit, Sicinum* (recte hunc locum corrigit per *Tisium* flumen Liburnicum Hanſizius) *transnatavit, & præda magna intra regionem boſtium capta exercitum incolumem* (quod anno ſequente fac-

tum fuisse indicat Sigebertus) *in patriam reduxit.* E quibus Witichindi tum viventis verbis luculenter eruitur, nimis credulum Clarissimum Pray Aventini, & doctissimum Compilatorem Seriei Chron. Georgii Pray narrationem secutum, cum uterque anno præsente scribunt: Hungaros comperta Bertholdi morte, divisis copiis in Bajoariam incurrisse, Henricum hostibus obviam processisse, binaque clade eos lacessivisse. Ipse Henricus aggressus est Hungaros, non quidem in Bajoaria, sed prope sinum maris Adriatici, ubi eis Aquilejam eripuit. E quibus simul intelligere licet quousque Hungari his temporibus fuerint remoti, ut præfatus Clar. Pray non diffiteatur cit. l. eos quoque Pannoniæ parte maxima desertа, sedes trans Danubium traduxisse.

Annal. Hung. P. 3 p. 362
Chron. Geschich. Böh. 2 Th. p. 365.

ANNUS 948.

Jam vero damnata semel agrestium multitudine ab frugibus ad metalla, nihil mirum si immitis fames, agriculturæ neglectæ individua comes, subsecuta est. Interibat passim famelicum vulgus, alii macie enecti similes umbris ardentem esuriem tolerabant. Crescente in dies malo permoti majores natu, Principem, qui tum forte Wissehradum advenerat, adeunt, petuntque remedium calamitati, cujus ipse provocator atque origo foret. Quibus ille: DEI voluntate & castigatione, non mea, inquit, imprudentia aut incuria eam plagam accepit respublica. Tua, reponunt illi, cupiditate, & non explebili avaritia perit respublica. Si aurum mandi posset, nihil esset, quam ob rem neglectam hodie rem rusticam merito accusaremus, nec metuendum esset, ut inter acervos auri fame contabescamus. Sed aratoribus abs te ad ærarias damnatis, fruges & alimenta populi ivere pes-

Ex neglecta agricultura fames.

pessum. Mirum sane, Principem alioquin facile irritabilem, tam audaci nudaque oratione non offensum; quin edicto revocatos fossores extemplo ad vomeres redire jussit. Non deerant, qui inviti se ab auri cupidine retrahi sinerent: tamen haud multo post prior agris felicitas redire, reique frumentariæ inopia tolli visa. (a)

ANNUS JESU CHRISTI 948.

AGAPITI II. PAPÆ 3. OTTONIS M. 12.
BOLESLAI I. AN. 12. MICHAELIS EP. RAT. 5.

(a) Haud vacat in hæc commentari, quæ ad explendam anni hujus lacunam allata esse, nemo non rei criticæ antiquitatisque peritus videt.

PRÆTERMISSA.

Ad historiam Ecclesiasticam Bohemiæ pertinet hujus anni Synodus Ingelheimensis septimo Idus Junii celebrata, de qua copiose Frodoardus, acta vero integra habentur apud Lambecium, & T. II. Conciliorum Germaniæ p. 610. Per compendium rem complectitur Annalista Saxo his verbis: *Synodus Ingelheim a XXXIV. Episcopis habetur, cui præsidente Marino Episcopo Romanæ Ecclesiæ Legato inclyti Reges Lodwicus & Otto affuerunt. In qua multis ecclesiasticæ utilitatis rebus discussis, causa quoque Hugonis filii Heriberti, qui Artaldum* (Artolfum) *Archiepiscopum expellens sedem Ecclesiæ Remensis invaserat, ventilatur, & omnium, qui affuerant, Episcoporum judicio condemnatur.* Supersunt hujus Synodi decem Canones: Primis tribus anathema fulminatur in Hugonem Comitem, infestatorem regni Ludovici, & Hugonem usurpatorem sedis Rhemensis; IV. statuitur: ne laici sine licentia Episcopi ecclesias dent, aut auferant. V. Ne laici presbyteros vexent. VI. Quot diebus feriandum sit in Paschate & Pentecoste. VII. Ut in Lytania majore jejunetur. VIII. Ut oblationes altaris a laicis non *Herm. Contr. apud Conis. ad b. a.*

attingantur. IX. Ut decimarum cauſæ non apud ſæculares, ſed in Synodo diſcutiantur. X. Tractat de inceſtis nuptiis. Dixi initio, hanc Synodum pertinere ad hiſtoriam eccleſiaſticam Bohemiæ, nam Synodo huic interfuit, ſubſcripſitque Epiſcopus noſter Ratisbonenſis Michael, ad quam eandem Synodum cum diœceſium Clerus, imo *Abbatum, Canonicorum, Monachorumque cœtus* vocatus, atque comparuiſſe referatur: nemini dubium eſſe poteſt, Michaelem plures e Clero noſtro, ac cumprimis ex Eccleſiæ Divi Viti primariis adminiſtris ſecum aſſumpſiſſe, Canonesque iſthic ſtatutos poſtea ad diſciplinam Eccleſiæ Bohemiæ fuiſſe traductos. Peſſina primum Eccleſiæ Divi Viti Præpoſitum Collegio Sacerdotum e vetuſtis membranis profert *Gerhardum Bavarum Ratisbonenſem*, quem a S. Wenceslao ſub errectionem Eccleſiæ iſthic conſtitutum aſſeverat, cui cum ſucceſſor non legatur, niſi circa annum 971, vix dubitare licet, eundem hoc anno adhuc præfuiſſe, eidemque Synodo Ingelheimenſi interfuiſſe.

Peſſin. Rad. p. 604 5

Ad hunc annum quoque ob cognoſcendos Epiſcopatus Pragenſis, poſtea erecti, limites referenda videretur inſtitutio Epiſcopatus Miſnenſis Bohemiæ finibus adſiti, quandoquidem diploma Ottonis M. a Lunigio & Meibomio prolatum hunc ipſum annum præfefert, & paſſim Saxoniæ hiſtorici cum Petro Albino eundem annum amplectuntur. At vero jam doctiſſimus Vir Sigismundus Calles vitia hujus diplomatis recte adnotavit, ut merito apocryphis ſeu vitiatis ſit accenſendum, præſertim cum ex Ditmaro tempus annis facile viginti poſterius edoceamur.

Lunig. Spicil. eccl. P. II. Append. p. 96.

Chron. Miſn. Provinc. Tit. XXII. p. 277

Series Ep. Miſnenſ. in Diſſert. prævia.

ANNUS 949.

Hungari avidiſſima rapinarum gens in Moraviam magna vi irrumpit, (a) exhauſtaque populationibus regione pinguiores Bohemiæ prædas inhians pagos quaquaverſum prædatur, captivorumque non parvum numerum ſecum rapit. Senſit tempori Boleslaus hoſtium conſilia, duobusque agminibus obviam procedit, altero Czaslaviam

laviam ipſe defendendam ſuſcepit, altero Sudislaum Hrobskium Ohebii (b) edita & arborum concædes inſidere jubet. Jam & hoſtis caſtra caſtris oppoſuerat, tenuitque ea vallorum collatio ipſos duos de viginti dies, neutris ad ſummam rei quicquam facientibus, donec Bohemi Hungaros adorti magna cæde multarunt. (c) *Hungari eduntur a Bolesl.*

Hungarus ubi nihil ſe hic proficere videt, in Auſtriam, abhinc in Carinthiam tempeſtatis inſtar populabundus infunditur. Iſthic novis auxiliaribus copiis auctus ad caſtrum quodpiam Laboch dictum conſidet, ferro igne, hominumque cædibus in obvia quæque graſſatur. Non tulere ſic bacchantem Godefridus Dux Meraniæ, alterque Princeps Tyrolenſis, & Gregorius Patriarcha Aquilejæ, qui ſociatis cum Eberhardo Carinthiæ Duce viribus Hungaris prælium offerunt; utrinque magna militum ſtrages facta, poſtremum victi Hungari tanta clade, ut nonniſi perpaucos ſalvos fuga præſtiterit. (d) Præda omnis Moravis Bohemisque rapta, victoribus Carinthiis præmio fuit, captivi Bohemi ſine pretio domum dimiſſi. *Infunduntur in Carinthiam.* *Internecione delentur.*

ANNUS JESU CHRISTI 949.

AGAPITI II. PAPÆ 4. BOLESLAI I. AN. 13. OTTONIS M. 13. MICHAELIS EP. RAT. 6.

(a) Qui hujus & priorum duorum annorum geſta Hungarorum in Moravia, rapinas, cædes, urbium everſiones fuſiſſimo calamo tractata legere cupit, Peſſinæ Martem Moravicum adeat; ſed non magis veterum hiſtoriarum gnarus dictorum narratorumque Peſſinæ vadimonium in ſe ſuſcipiet, quam ipſiusmet Hagecii. Sane mera ſomnia eſſe, *L. 3. & 1. p. 231.*

De antiq. Morav. Part. 2. *scriptum anno* 1630

esse, quæ ex MS. Comenii de Olgo Russorum Principe a Moravis in Regem adscito, ejusdem bellis fatisque excerpsit, convincunt hodierni Russorum Annales in summam lucem vindicati.

(*b*) Oheb montis situm jam P. II. p. 441 & 447 indicavimus.

(*c*) Antequam Boleslaus Ottonis partes sequi ac tueri cœpisset, vix credibile, Hungaros aliquid hostile adversus Boleslaum tentasse; de quo quidem apud nullum veterem fideque dignum historicum mentio, quin hoc ipso & priore tempore Bohemos Hungaris amice usos fuisse ex Porphyrogenito ostendi. Et vero minus recte hanc Hungarorum irruptionem in præsentem annum conjecit Hagecius, cum ex Luitprando L. 5. c. 15. & Annalista Saxone constet, illis in Italia & Aquitania negotium fuisse cum Berengario,

Pagius in Crit. Baronii ad h. a. N. 5.

(*d*) Hæc clades retro spectat ad annum 944, quo de ea in Prætermissis egimus. Cladis vero circumstantias, nominaque Ducum & Patriarchæ Aquilejensis desumpsit Hagecius ex Bonfinio, qui quamvis fateatur, *multos ex Ungaris occubuisse, desideratis tamen Germanorum ducibus, profligatoque Patriarcha, Alemannos quoque fusos & fugatos fuisse. At Ungaros direptis tribus regionibus præda oneratos in Pannoniam cum victoria rediisse.* E quo Bonfinii loco simul argumentum discimus irruptionis Hungaricæ in Bohemiam & Moraviam ab Hagecio multis rerum circumstantiis amplificatæ. Cladi enim illi Carinthiacæ mox commemoratæ præmittit hæc verba. *Referunt* (Ungarorum Annales) *Ungaros post Moraviam & Bohemiam hostili manu populatas* (*quæ ultra Danubium magnæ Germaniæ partes sunt*) *citra Danubium mox arma vertisse, inprimisque finitimas sibi Carnorum &c.*

Bonfin. Dec. 1 *l.* 10. *p.* 158.

PRÆTERMISSA.

Inducias Ottonem inter & Boleslaum hoc anno adhuc tenuisse, persuadent tam extera Ottonis bella, quam altissimum veterum silentium, quidpiam hostile ab alterutro motum esse. Cum vero anno sequente Otto maximo exercitu irruperit in Bohemiam, conjicere fas est: Boleslaum in propositis ab Ottone pacis conditionibus morosum, refractariumque fuisse in acceptandis, ut Otto jam tot exterarum gentium victoriis clarus, domique a seditionibus satis securus, rem bello decernen-

endam judicaverit. Porro cum ex Cosma nostro testatum sit, nec ante, nec post Ottonum tempora quidpiam juris concessum fuisse Germaniæ Regibus & Imperatoribus in Bohemiam, præter annuum tributum, manifeste eruitur, Boleslao nostro hoc unum stetisse animo, ut Bohemam gentem in perpetuum hoc eodem tributo, quod a cæde S. fratris sui denegaverat, liberaret; ob eamque causam & inducias in tot annos fuisse protractas, & eum pacis conditionibus subscribere nullatenus voluisse, dum anno sequente victoris imperia exsequi coactus est. Hoc anno vero Ottonis exercitus in domandis Danis distentos fuisse, ubi insigni apud Slesvig potiti victoria, regnum Daniæ (Heraldo Principe baptizato) Ottoni vectigal reddiderunt, ex Witichindo & Adamo Bremensi copiose legere est. Quid post devictos Danos egerit Otto ex Helmoldo l. 1. c. 9. discimus: *Witichindus l. 2. p. 661 & seq. Adam. Brem. l. 2. c. 2. p. 16.* *Rebus*, inquit, *rite peractis in Dania fortissimus Otto Rex convertit exercitum ad subjugandos slavorum rebelles, quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipse tantum deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vita simul & patria libenter offerrent victori, baptizatusque est totus gentilium populus. Ecclesiæ Slavonicæ tum primum constructæ.* Annalista Saxo, qui perperam duobus annis serius hanc Danorum cladem & deditionem reponit, domitos cumprimis enumerat Slavos septentrionali oceano obtentos: *Luiticios, Wltabos, Circipanos, Abodritos* aliosque scil. hodiernæ Pomeraniæ, Brandeburgi, & Meklenburgi incolas. Et vere recte scripsit Helmoldus, post devictos Danos *Ecclesias Slavonicas tum primum constructas*, nam hoc ipso anno Ottonem in pago Slavico Heveledun (Havelberg) in civitate Brendunburg (Brandeburg) episcopalem sedem erexisse, constituto religioso viro Thiatmaro seu Ditmaro, ex ejusdem diplomate legimus, quod eruditissimus vir Philippus Wilhelmus Gerken, de historia Brandeburgensi, Magdeburgensi, Marchicaque summe meritus, in lucem, quod scio, primus protulit; e quo discimus, jam anno superiore in Synodo Ingelheimensi rem circa erectionem Episcopatus istius actitatam fuisse, cum *consultu Marini* (qui nomine Pontificis Synodo huic præsederat) *Venerabilis Præsulis Romanæ Legati Ecclesiæ, nec non Friduricī* (Moguntini) *Adaldagi* (Hammaburgensis) *Archiepiscoporum, aliorumque Episcoporum quam plurimorum* id se fecisse testetur Otto. Quod magis magisque confirmat: superiore anno quosdam e Clero nostro Bohemo Synodo huic interfuisse, cum de limitibus hujus Episcopatus, qui proxime Bohemiam contingebant, actum fuerit. Designantur vero ab Ottone huic Parochiæ seu Diœce- *Stifts Historie v. Brandeburg p. 335 Eundem annum consignat Annalista Saxo*

si

ſi, provinciæ & limites: *Moraciani, Ciervisti, Ploni, Zpriavani, Hevelledun, Vuvcri, Riaciani, Zamcici, Daſſia, Luſici*, termini vero conſtituuntur: *orientem verſus ad flumen Odera, auſtrum & occidentem verſus uſque ad Albiam flumen, ad aquilonem vero uſque ad fines provinciarum Vuvcri, Riaciani, Daſſia.* ita ut omnem ſuperiorem inferioris Luſatiæ magnam partem uſque ad fontes Albis fluvii complexus fuerit hic Epiſcopatus. Verum erecto poſtea Epiſcopatu Miſnenſi atque Pragenſi limites Parochiæ Brandeburgenſis coarctatos fuiſſe, pluresque pagos huic alterique, tum e plaga meridionali, tum orientali fuiſſe adjectos, ſuo loco oſtendemus.

ANNUS 950.

Continuavit his annis per Bohemiæ orientalis plagam argenti ubertas ad Lipnicenſem rivum, (a) unde ejuſce regionis accolæ mirum quantis opibus cumulati. Id cum ad Boleslaum perlatum eſt, pluribus miſſis foſſoribus, atque in triginta fodinas partitis, viſcera terræ tanta diligentia juxta ac dexteritate explorata ſunt, ut trium annorum ſpatio ſingulari cœli beneficio ingens argenti vis effoſſa ſit, quod pene diebus ſingulis Wiſſehradum comportabatur. Iſthic cum æraria ipſæque areæ paria haud eſſent capiendo, ſecretiores ac ſubterranei fornices cameræque ſtructæ, intra quæ omnis illa rudis argenti vis conſtipata.

Quod quantumvis occultiſſime fieret, latere tamen Proceres regionumque Præfectos haud potuit. Monitus itaque comiter Boleslaus: Non utique ſapienter tanto hominum labore in lucem prolatas opes nataliciis rurſum tenebris damnari, earum adminiculo arces erigendas, foſſoribus majora ſti-

pen-

pendia ſtatuenda, ac cumprimis probam monetam cudendam eſſe. Reſpondit laconice Princeps: ad dubios reipublicæ eventus, poſteritatique rectius eas ſervari, ſi quando incertæ hæ venarum metallicarum divitiæ foſſorum induſtriam falſuræ eſſent. Scribunt nonnulli, Sanctum Wenceslaum ſe ſe Boleslao viſu aſpectabilem præbuiſſe, ac juſſiſſe, ut numum ſua imagine ſignaret. (*b*)

ANNUS JESU CHRISTI 950.

AGAPITI PAPÆ II. AN. 5. OTTONIS M. 14.
BOLESLAI I. AN. 14. MICHAELIS EP. RATISB. 7.

(*a*) De Lipnicenſis caſtri ſitu actum jam P. II. ad an. 800. Rivus, qui ad Zwetlez naſcitur, pluresque lacus efformans tandem ſe in Zazavam exonerat, nomine caret.

(*b*) Omnes noſtri conſentiunt Boleslaum Sævum monetam imagine & nomine S. Wenceslai ſignatam procudiſſe, innuitque in hunc locum ex Balbino noſter P. Victorinus: uſque ad Rudolphi & Mathiæ Regum Bohemiæ tempora morem perſtitiſſe, ut aurei numi cum effigie S. Wenceslai excuderentur. Reperiuntur omnino complures numi in diverſis numophylaciis, Boleslai nomine, & S. Wenceslai tam nomine quam effigie inſigniti, quorum decem excudi fecit noſter P. Adauctus; ſed quis vadem præbere ſe auſit, numorum iſtorum aliquem Boleslai I. de quo agimus eſſe? Jam ſupra pag. 33 & ſeq. innuimus propter rudiores ac proxime literis Slavicis accedentes characterum ductus, unicum nobis videri denarium Boleslai ſtujus, quem P. Adauctus prima Tomi Sectione pag. 87 num. 1. excuſum dedit, quemque nos ſimulacro ejusdem Boleslai ſubjecimus; cui cum poſteriores omnes diſſimiles ſint, characteresque expolitionem majorem præſeferant: quidni potius eos filio, Boleslao Pio, adſeramus? Nolumus interea controvertere, jam ab eodem Boleslao I. denarios nomine & imagine S. Wenceslai fuiſſe procuſos;

Balb. l. 7. in Notis ad c. 15.

Beſchr. böh. Münzen 1. Band 2 Abtheil. p. 123.

Chronologische Geschichte Böhmena 2 Theil p. 376. & 386 387 seq.

id soluum adstruimus: certa illorum exempla deesse hodie, quibus judicium nostrum convincatur; quidquid vana & ab Ecclesia Divi Viti longe petita argumentatione arioletur doct. Compilator Seriei Chronologicæ. Si quod monimentum pœnitentiæ suæ, & cultus erga S. fratrem suum in numis reliquit Boleslaus, habemus luculentum satis ejus indicium in mucrone & auricula, quam prima numi parte verosimillime præsentari jam supra indicavimus. Ceterum de nomine & effigie S. Wenceslai in numis jam a Boleslaorum nostrorum temporibus, sæculoque X. usurpata id certum est ex typorum collectione, quem a viginti facile annis non præter magnum laborem sumtumque feci: scil. in omnibus passim Ducum nostrorum denariis usque ad Fridericum Ducem epigraphen: *Scs Wenceslaus*, seu ejusdem imaginem sub diversis historicis repræsentationibus, aut etiam symbolis observari. Friderici mox memorati pater Wladislaus I. Rex bracteatos excudere cœpit suo nomine nonnisi insignitos, quem morem dein secutus Przemislaus, Ottocarus I,; reliqui usque ad Wenceslaum II. ne quidem nomen suum bracteatis indiderunt, unde ominino hoc tempore & unius sæculi spatio tam inscriptio quam effigies S. Wenceslai in numis nostris evanuit. Et vero cum Wenceslaus II. *Grossos, parvosque* Pragenses excudere cœpisset: nec is, nec filius Wenceslaus III. in iisdem inscriptionem aut imaginem S. Wenceslai adhibuit; primus rursum Joannes Rex utramque in argenteam suam minutam monetam *parvis Pragensibus* æqualem induxit, sed nec filium Carolum IV. nec nepotes Wenceslaum & Sigismundum, nec denique Albertum, Ladislaum & Georgium Reges imitatores habuit. Primus denuo veterem morem resuscitavit Wladislaus II, a quo etiam in auream monetam traductus, quæ auri cum effigie & nomine S. Wenceslai excudendi ratio omnino dein usque ad Rudolphum II. & Mathiam perduravit, ut recte Balbinus & P. noster Victorinus adnotavere.

PRÆTERMISSA.

Stranskÿ Reip. Boj. c. 3 §. 10

I. Postquam Otto, ut Stranskius scribit: *Boleslaum totos quatuordecim annos nunc victorem nunc victum bello in Bohemia fatigasset*, tandem hoc anno in deditionem accepit; quod Frodoardus coævus ad hunc annum his verbis exprimit: *Otbo Rex, qui quamdam Wenedorum* (Wenedorum & Sclavorum generico nomine sæpe Bohemi referuntur) *magnam obsederat urbem nomine Praidam* (codex S. Victoris ha-

Frodoardus in Chron. ad h. a.

habet *Praidem*, Pragam) *regem ipsorum in subjectionem recepit.* Continuator Rheginonis, cujus verba etiam exscripsit Cosmas noster, inquit: *Bohemorum Princeps Bolizlaus Regi rebellat, quem Rex validissima manu adibat, suæque per omnia ditioni subjecit.* Sigebertus Gemblacensis ad eundem annum: *Rex Otto in Bojemiam contra Bolizlaum proficiscitur, Boizlaus vero Regi reconciliatur, eique tandem feliciter subjicitur.* Luculentissime vero omnium Witichindus: *Illo tempore Rex* (Otto) *proficiscitur in militiam contra Bolizlaum Regem Bohemorum, & cum capienda esset urbs, quæ nuncupabatur Nova, in qua clausus obsidebatur Bolizlavi filius, prudenti Rex consilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hostium spoliis aliquod periculum incideret. Considerata itaque virtute Regis, ac innumera multitudine exercitus, Bolizlaf urbe egressus, maluit tantæ majestati subjici, quam ultimam perniciem pati. Subque signis stans, & Regem audiens, responsaque reddens, veniam tandem promeruit. Inde plena victoria gloriosus factus Rex Saxoniam regressus est.* Ditmarus porro hujus deditionis aliam circumstantiam adjungit a prioribus omnibus prætermissam: *Boleslaus*, inquit, *restitit multo tempore audacter, & postea devictus a Rege viriliter fratri suimet Henrico Bavariorum Duci ad servandum traditus est.* E quibus verbis tam exteri, quam quique patrii scriptores concludunt: Boleslaum hoc anno seu captivum seu obsidem abductum, & Henrico Bavarorum Duci in custodiam traditum fuisse. Sed res supra fidem est: Witichindum non minus atque Frodoardum coævos, priorem plane Ottonis lateri proximum, & velut scenæ hujus spectatorem, tam notabilem circumstantiam, quæ ad amplificandam Ottonis gloriam plurimum collatura fuisset, præteriturum fuisse, qui Boleslaum libere urbe egressum, sub signis Ottonem audiisse, responsa reddidisse, ac tandem veniam promeruisse, minime vero captivum, aut obsidem abductum memorat. Quin & alio loco ejusdem belli cum Boleslao gesti mentionem faciens, ait id perdurasse *usque ad quartum decimum regis imperii annum*, & captivitatis alicujus penitus ignarus, subjungit: *Ex eo regi fidelis servus & utilis permansit.* Quis sibi vero persuadeat, Boleslaum ante acceptam aliquam cladem, præliique eventum (præsertim cum Witichindus ipsiusmet Ottonis metum innuat, *ne miles illius aliquod periculum incidat*) se ipsum captivum traditurum fuisse? Sed ne obsidem quidem abductum fuisse credibile est. Nam de obsidibus petitis traditisque ea perpetuo gentium omnium consuetudo legitur, ut filios quidem, proceres primosque gentis, nunquam pacisentes Principes seipsos obsides obtulerint

Cont. Rhegin & Cosmas ad b. a.

Sigeb. Gembl. ad b. a.

Witichindus l. 3 p. 652.

Ditmarus l. 2 p. 331

In Annal. Boj. ad h. a. dederintque. Adelzreiter quidem hanc ipsam difficultatem animo circumspiciens Strachyquatem filium Boleslai obsidem in Bavariam ductum opinatur, ut in Divi Emerami cœnobio monachum indueret. Nos quanquam ipsi sentiamus, Strachyquatem hoc, aut sequente anno Ratisbonam studiorum causa deductum: obsidis tamen instar datum repugnant ea, quæ de voto patris prodidit Cosmas. Imo si verba Ditmari ad obsidem aliquem Henrico in custodiam datum, de quo dubito, respiciunt: malim admittere, Boleslaum Boleslai filium obsidem datum, ut Ditmarus nominis similitudine deceptus patrem filio substituisse videatur. Sed rectius verba hæc Ditmari: *Henrico Bavarorum Duci ad servandum traditus est*, legenda aut intelligenda sunt: *ad observandum traditus.* Cum nempe Otto eo ipso tempore epistola Agapiti Papæ & Adelaidis evocatus fuerit ad Italiam, eoque iter mediatus sit, tradidit ille Henrico fratri Boleslaum servandum seu observandum, ut ne sub absentia sua novi quid aut hostile moliretur. Nisi dicere malimus, ab Ottone in Saxoniam regresso in limitibus Bohemiæ Henricum cum parte exercitus relictum fuisse, qui Boleslaum observaret, num pactis & conditionibus suis staturus esset. Multo minus vero altera varians Ditmari lectio *ad serviendum*, quam Leibnitius Ditmaro suo restituto subjicit, sustineri potest. Nunquam Duces Bohemiæ Ducum Bajoariæ clientes aut tributarii fuere. Quantis bellis & sanguine non stetit Germaniæ Regibus Imperatoribusque tributum istud Bohemicum, quod sub creatis noviter Germaniæ Regibus passim in controversiam tractum fuit a gente nostra? quis igitur credat id unquam Bavariæ Ducibus pensitatum, aut clientelam aliquam præstitam fuisse? Jam vero duo isthic præterea enucleanda sunt, & quidem 1mo quæ urbs illa fuerit, quam obsedit Otto. 2do. Quibus conditionibus Boleslaus deditionem feciſſe videatur, quæ propter prolixitudinem in sequentes Paragraphos dispescimus.

Baronius ad h. a.

II. Veteriores nostri omnes cum Cosma ignoraverunt, Ottonem hoc anno urbem aliquam Bohemiæ obsedisse, a quibus igitur frustra indicium aliquod istius urbis petitur. Primum omnium Theodoricum de Nihem sæculi XV scriptorem deprehendo, qui in historia Joannis Papæ XXIII hæc scribit: *Otto primus, Augustus magnus, natione Saxo, jam quingentis vel circiter annis elapsis, per multos annos bellando cum Duce Bohemorum . . . . . in opido Nova Colonia super Albiæ seu Muldaviæ flumen sito Pragensis diœcesis recepit in deditionem, & sibi ac Ro-*

Apud Meibomium T. I. p. 47.

Romano Imperio perpetuo & omnino subjecit. Sed complures authoris istius circa gentis nostræ historiam hallucinationes convincunt, eum indicium illud de *Nova Colonia* seu hodierno Colinio non aliunde, quam ex Witichindi verbis: *urbs quæ nuncupabatur Nova* per conjecturam aliquam desumpsisse, ut urbs ea, quæ suo tempore Nova Colonia appellata est, hanc ipsam a Witichindo proditam novam urbem fuisse crediderit. Dubravius sæculi XVI patrius scriptor, libro quinto nihil hæsitans, circumstantiisque obsidionis mirum quantum variatis *Boleslaviam* urbem nominat, ad quam Bolesiaum deditionem Ottoni feciſſe vult, magno simul Chronologiæ vitio, cum obsidionem hujus urbis priorem translatione corporis S. Wenceslai defigit. Dubravium posteriores secuti omnes tum nostri, tum etiam quique exteri, quibus assertionis suæ haud aliud fundamentum est, quam quod eo plane tempore Boleslavia primum condita legatur in Cosma, quæ proinde merito pro *nova urbe* a Witichindo prodita haberi debeat. At Witichindus verbis expressis ait: *urbs quæ nuncupabatur, nova*, non quæ recens aut noviter condita est. Nec vero Boleslavia, de qua hic sermo, unquam novæ urbis nomen tulisse legitur. In gravissimum errorem prolapsus est Fabricius, qui hodiernam Novam urbem Pragensem seu Neo-Pragam quatuor sæculis posterius a Carolo IV conditam a Witichindo indicatam fuisse credidit. At vero Frodoardus per nomen proprium hujus urbis *Pruida* proditum manifestum posteritati reliquit indicium, non aliam urbem fuisse quam Pragam, sive librariorum oscitantia vocem hanc corruptam, sive fortassis ab ipso Frodoardo diminutiva græca terminatione *Pragis Pragidis* de industria ita inflexam dicamus, ut Micro-Pragam obsessam fuisse clarius indicaret. Eam certe urbem antiquitus *Novam civitatem* appellatam fuisse, jam P. II. p. 382 coævis documentis ostendimus. Contendit quidem R. P. Athanasius, Micro-Pragam non prius *novam civitatem* appellatam, quam *circa annum* 1253 *quo teste continuatore Cosma multum ampliata est.* Sed suo tempore ex Melitensibus diplomatibus ostensuri sumus, etiam multo prius eam hoc nomen tulisse. Witichindus cum simul *magnam* urbem appellat, ad universam Pragam tam majorem trans, quam minorem cis Moldavam sitam respexit, quæ omnino, ut re ipsa fuit, ita ab omnibus etiam veteribus pro magna urbe passim agnita est. Et vero si obsidionis circumstantiæ a Witichindo proditæ in examen deducantur, non eæ commodius rectiusque quam de Praga explicari possunt. *Minor* enim Praga (quod nomen illa, uti & altera *majoris*, antiquissimis temporibus tulit) erum-

Dubrav. hist. Bojem. l. 5. p. 35.

pen-

penti e Saxonia Ottonis exercitui prior objecta fuit, *in hac clausus obsidebatur Bolizlavi filius*, ut inquit Witichindus, cum verosimillime Boleslaus ipse cum copiis suis se trans flumen Moldávam in majorem civitatem aut Wissehradum traduxerit. Sub reconciliationis spem flumen idem transgressus, atque in minorem Pragam delatus, postea *urbe egressus* est ad Ottonem, cumque eo sub signis pacis conditiones fecit. Quod qua ratione de alia magna urbe Bohemiæ circumquaque obsidione exercitus Ottoniani cincta explicari possit, haud video, præsertim ut Boleslaus hac in urbe minime clausus, postea tamen illa egredi, & cum Ottone paciscí potuerit. Quodsi admittimus, facile explicantur etiam reliqua Witichindi verba: quod *prudenti consilio Otto dimemerit prelium, ne miles in rapiendis hostium spoliis aliquod periculum incideret*, facile enim Boleslai exercitus copiæque per vada Moldavæ, aut alio modo in ripam alteram transire, periculumque Ottonianis militibus inferre potuerunt. Ceterum nostri recentiores quique in hujus obsidionis circumstantiis enarrandis eloquentissimi juxta ac copiosissimi sunt. Dubravius ait: *Boleslaum omnibus rebus ad sustinendam obsidionem necessariis, frumento, pecore, telis, armis, viris instructum in oppido fuisse. Non ita Cæsarem foris commeatu abundasse, vacuis ubique ex vicino horreis, & pecoribus longius in silvas abactis. Unde paulo post factum, ut ob rerum penuriam animum ad molliora inflexerit.* Quæ si quis etiam magis amplificata legere voluerit, Balbini adeat Epitomen.

Balbin. in Epit. p. 108.

III. Jam ut ad pacis conditiones, Boleslaum inter & Ottonem initas, transeamus, altissimum de iis inter veteriores silentium, qui præter deditionem & subjectionem haud quidquam aliud commemorant. Dubravius omnium primus est, qui quatuor pacis conditiones his verbis exprimit: *Prima*, inquit, *erat, ut commissa piacula omnibus modis expiaret. Altera, ut exules Christianos revocaret ab exilio. Tertia, ut tributum nuper remissum denuo exsolvendum reciperet. Ultima, ut eadem conditione atque cæteri Germaniæ Principes in nomen Cæsaris juraret.* Quas Fabricius, Balbinus, aliique plures adjunctis etiam auctisque circumstantiis exscripsere. Hagecius, qui summo Chronologiæ vitio deditionem hanc Boleslai meris figmentis respersam demum ad annum 964 narrat, conditionem etiam eam ab Ottone præscriptam docet: ut quoties Romanorum Imperatori visum fuisset, is succedsoresque Duces Bohemiæ in aula Imperatoris adessent, ac coquinari ministerio de-

Dubrav. l. 5. p. 35.

pu-

putati aheneum lebetem ſuper ignibus verſarent. Quas nugas ad eum annum refutabimus. Alii alia adjecere. Verum quemadmodum Witichindus ſuperioribus annis unica munera & tributa ab omnibus vicinis Slavis denegata queritur, ita haud aliam cauſam moti adverſus Boleslaum belli, (quidquid ex Fabricio obtendat Author Seriei Chronologicæ) finem, conditionemque fuiſſe merito judico, quam idem Bohemicum tributum, quod a morte fratris ſui Boleslaus Ottoni diſputavit, & a quo onere gentem Bohemam in perpetuum deliberare conatus eſt. Si quid ultra hoc factum, id ſolum certe fuit præterea, quod per 14 annos intermiſſam penſionem conſtitutis certis annis & vadimonio pedetentim ſarſerit. Nam ſummam eam pecuniæ, quæ facile centum viginti millia florenorum æquabat, Boleslaum ſimul unoque tempore expunxiſſe, temporum iſtorum ratio haud facile admittit. Miror itaque nimiam credulitatem doct. Compilatoris Seriei Chronologicæ, qui ſupra relatis Dubravii conditionibus utroque pollice ſubſcripſit. Qui enim admittere fas nobis ſit, Boleslaum *eadem conditione, atque ceteros Germaniæ Principes in nomen Ottonis juraſſe*, quos vaſallos ejus fuiſſe, omnique clientelæ ſumme obnoxios, apud omnes exploratum eſt? cum contra præter annuum tributum de nullo clientelæ onere ſeu Boleslai ſeu poſteriorum Ducum noſtrorum quidquam proditum ſit? Omnibus hiſtoriam Bohemiæ ſcribentibus inſtar regulæ eſſe debent verba legatorum noſtrorum coram Henrico III. apud Coſmam ad an. 1040: *Hoc* (tributum) *omni anno ſine refragatione tibi ſolvimus, & tuis ſucceſſoribus ſolvere volumus. At ſi aliquo præter ſolitum legis jugo nos aggravare volueris, mori potius prompti ſumus, quam inſuetum ferre onus.* Quare quidquid hæſitet, ac fluctuet Schminkius, vera ſcribit Stranskius; Ottonem hac ſola conditione pacem dediſſe Boleslao, *ut majorum exemplo & abſque libertatis præjudicio omni coleret ejus majeſtatem, ac penſionem annuam penderet.* Neque vero etiam video, qua ratione prima conditio, *ut Boleslaus commiſſa piacula omnibus modis expiaret*, ad Ottonem ſpectaverit. Quidquid in fratrem ſuum ſanctum peccavit, Epiſcopi ſui aut Summi Pontificis intererat animadvertere, & remedia expiationis præſcribere, non Ottonis; ut taceam nec in ullo vetere proditum eſſe, Boleslaum Chriſtianos exilii damnaſſe. Si qui clientes fautoresque Sancti Wenceslai ſtatim poſt cædem metu dilapſi ſunt, iidem pridem rebus pacatioribus enatis, ut de Podivino conſtat, in patriam rediere. Porro cum Witichindus huic deditioni Boleslai ſubjungit: *Ex eo Regi* (Ottoni) *fidelis ſervus & utilis permanſit*, innuit illam

Chronol. Geſchicht. Böh. 2 Th. p. 367

Chronol. Geſchicht. Böh. 2. Th. p. 369.

Schminkius in notis ad Gold. l. 2. c. 3. Stranskius Reipl. Boj. c. 3. §. 10.

lam armorum ſocietatem, quæ poſtea inter Ottonem & Boleslaum coaluit, ut alter alteri ſub noviter emergentibus bellis hoſtibusque auxilio præſto eſſet, uti annis ſubſequentibus viſuri ſumus. Ex hac amicitia & armorum ſocietate etiam poſterius a pluribus Ducibus noſtris obſervata, inducta conſuetudo quædam & lex, ut Dux Bohemiæ Imperatorem in expeditionibus ſuis comitaretur, & auxiliares copias ſuppeditaret. Marignola noſter vocat hanc conſuetudinem *ſtatutum Regum antiquorum*; ſic enim de Wladislao Duce noſtro loquitur: *Juxta ſtatutum Regum antiquorum ad nutum Regis Henrici quarti Dux Wladislaus nepotem ſuum æquivocum miſit cum armatis Romam.* Quod demum ſub invectam regiam dignitatem in Bohemiam ad ea itinera etiam, cum Rex Germaniæ ad coronationem Romam proficiſceretur, traductum eſt, ſcilicet ut trecenti armati ex Bohemis adjungerentur. Fridericus vero II anno 1212 primus arbitrio Ottocari reliquit, ſeu hos trecentos armatos transmittere, ſeu trecentas marcas numerare.

Goldaſtus in Appendice docum. num. XIII.

III. Poſtremum ſuboriri poteſt quæſtio, num Boleslaus Sævus Regium nomen geſſerit, & dignitate regia conſpicuus fuerit, cum coævi duo ſcriptores Frodoardus & Witichindus, imo paulo poſteriores quique, ac inter eos Conradus Urſpergenſis eidem regis titulum tribuant. Huic opinioni favere videtur Monachus Pegavienſis in vita Viperti Groicenſis. Hic ante Wratislaum noſtrum primum Regem Bohemiæ commemorat quendam Regem Bougonem (Boleslaum corrupta voce ſcriptum fuiſſe ſuſpicatur Schwarzius) qui Ducibus & Marchionibus imperitavit, dominationemque ſuam per Sorabos dilataverat. Juvat Monachi hujus ex c. 2. §. 7. * verba exſcribere. *Memini* (inquit Vipertus ad Wratislaum noſtrum) *quendam anteceſſorum tuorum Bougonem dici, cujus principatui non dicam Comites, aliosque nobilitate opibusque pollentes, imo Duces ac Marchiones militabant. Is adeptus dominium nomenque regium in provinciam forte Soringorum* (Soraborum) *ſuum dilataverat imperium, aliisque Principibus æque potentibus famoſior & eminentior claruit.* Cum igitur ante Wratislaum nihil uſpiam de Bohemiæ Rege aliquo proditum ſit in veteribus, non levem quidam conjecturam capiunt, Boleslaum Sævum Regem fuiſſe. Verum in voce *Bougonem* ſeu errorem & oblivionem nominis Viperto obrepſiſſe, ſeu eam amanuenſium oſcitantia depravatam fuiſſe, indubium eſt. Verosimillime autem *Bougonis* hujus nomini ſubſtituendum erat *Suatopluci*, magnæ Moraviæ & Bohemiæ Regis, de quo jam copioſe

Schwarzius in elucidato Coſma apud Menken. T. I. p. 2057.

* *Apud Hofmann T. I. Germ.*

P.

P. III. Annalium noſtrorum egimus. Is enim Bohemos, Moravos, aliasque omnes vicinas Slavicas respublicas ſub ſua poteſtate habuit, quemadmodum ſimilia de eo ſcribit Ditmarus: Bohemi *regnante Suetopulco quondam fuere Principes noſtri. Huic a noſtris parentibus quotannis ſolvebatur cenſus, & hic in ſua regione Marhan dicta Epiſcopos habuit, quæ omnia hic & ſui ſucceſſores propter ſui arrogantiam perdiderunt.* Hujus etiam amiſſi tituli regii cauſa Wratislaum nomen & dignitatem regiam accepiſſe paſſim hiſtorici ſcribunt, ut ſuo loco dicemus. E quibus planum fit, locum hunc Monachi Pegavienſis minime ad Boleslaum ſpectare, ſed ut jam alias crebro monuimus: a veterioribus Ducis & Regis nomen promiſcue fuiſſe adhibitum, præſertim autem Primores Ducum, qui regulis minorisque poteſtatis Ducibus dominabantur, Reges paſſim appellatos fuiſſe. Hac non alia ſignificatione Frodoardus Witichindusque Regis titulum Boleslao tribuit, quoniam & is, ut jam ſupra vidimus, plures regulos, Ducesque minores ſub ſua poteſtate habuit. Majori cautela uſus eſt Annalium Fuldenſium Compilator, qui Wratislaum noſtrum S. Wenceslai patrem, & Spitigneum fratrem ejus *Primores Ducum* vocavit. Porro quanquam in numo, quem Boleslao I. adſerimus, nomen illius nudum nullo *Ducis* aut *Regis* adjecto titulo ſpectatur, indubia tamen ex computu & ſerie Regum noſtrorum habemus argumenta, ab antiquiſſimis retro temporibus nec Boleslaum nec S. Wenceslaum inter Reges cenſum fuiſſe. Sic enim in multis diplomatibus Ottocarus I Rex Bohemiæ ſcribit ſe ordine *tertium Regem Bohemiæ*, Wenceslaus I ejusdem filius *quartum*, nepos Ottocarus II *quintum*, Pronepos Wenceslaus II *ſextum* &c. Videlicet ut omnes hi pro primo Rege Bohemiæ nonniſi *Wratislaum*, pro ſecundo *Wladislaum* agnoverint.

Ditmarus l. 6. p. 399.

ANNUS 951.

Boleslaus conſilio Procerum ſuorum intra urbem Pragam vaſtas ſumtuoſasque ædes conſtrui præcepit, quas peritiſſimis rei fuſoriæ ſignandæque monetæ artifi-

Bolesl. Pragæ domum monetariam condit.

cibus locavit, (a) Isthic novus numus, antica parte S. Wenceslai, postica Ducis Boleslai referens effigiem, excusus est eo pondere, ut tres semunciam æquarent. (b) Nec subsitit hic Boleslai Pragæ excolendæ sollicitudo, nam & pluribus magnificæ structuræ domibus urbem decoravit, & Wissehradi posita sublimi turre cognomine Boleslavka (c) cellas capaces e saxo excidi fecit. Denique ad cædem silvarum, culturamque agrorum cura conversa, quæ omnem regionem tantum beavit, ut tam re frumentaria, quam auri argentique divitiis affluere cœperit.

Novum numum cudit.

Pragam amplificat.

ANNUS JESU CHRISTI 951.

AGAPITI PAPÆ II. AN. 6. OTTONIS. M. 15.
BOLESLAI I. AN. 15. MICHAELIS EP. RAT. 8.

(a) Pragæ domum monetariam, denariosque Boleslai excusos fuisse probat prolatus posticæ partis typus cum Epigraphe *Praga.* Boleslai II imperio alteram domum monetariam Melnicii fuisse ex simillima numi inscriptione suo loco ostendemus.

(b) Nec hæc duplex effigies, nec pondus respondet numis, pondere multo inferioribus, quos hodie Boleslaorum nomine insignitos superstites habemus. Primos numos Ducis & Principis imagine excusos Udalrici deprehendimus, uti ex typis a nostro P. Adaucto datis videre est. Stranskius, qui similibus pene verbis atque Hagecius numum Boleslai describit, pondus illius idem statuit, ait enim *Vallensis hodierni unam quasi partem sextam* $\frac{1}{6}$ æquasse. Sed viri isti una cum Balbino præter visa unquam exempla ad normam hodie excusarum monetarum de ætatis istius numis ratiocinati sunt. Certe Stranskium nunquam ejusmodi numos vidisse probant ea, quæ subjicit: *Ex eo*, inquit, *porro tempore eadem bonitate pondereque as fundebatur usque ad tem-*

Beschr. böh. Münzen 1. Band 2 Abt. p. 214.

Stranski Reipl. Boj. c. 18 §. 2

tempora Wenceslai hoc nomine Regis Bohemiæ secundi. Qui si Ducum istorum monetas oculis usurpasset, advertisset procul dubio, jam eas bonitate seu puritate argenti a Brzetislai I morte deflexisse, tantum postea usque ad Wladislaum I Regem pedetentim depravatas fuisse, ut paulo quid minus æris dimidio admixtum observasset, quod de ævo suo eodemque ipso tempore queritur etiam Cosmas. Hæc pecuniæ depravatio procul dubio causa fuit dein Wladislao, quod e purissimo argento bracteatos procudere cœperit. Nec vero in ullo numophylacio, aut libro monetario hactenus mihi ex hac ætate numum a vicinis gentibus procusum ejusve typum spectare licuit, qui hodierni Imperialis sextam partem æquasset pondere; minuti omnes sunt, & ne quidem grossi hodierni magnitudinem pondusque obtinentes. Ceterum an tamen Boleslao huic numus imagine S. Wenceslai insignitus concedi possit, in Prætermissis §. II. ventilabimus.

(*c*) Verosimillime Hagecius Boleslao in Wissehrado monimentum statuere voluit simile illi, quod Neklan reliquit. Nam turrim *Neklanka* isthic adhuc anno 1420 ante eversionem castri hujus superfuisse, docet imago vetus hoc anno picta, cujus typum suo tempore in his Annalibus scalpro excusum publicabimus, quanquam Hagecius jam anno 1036 corruisse adstruat.

PRÆTERMISSA.

I. Pace cum Ottone M. constituta, hoc tandem aut sequente anno verosimillime Boleslaus votum suum explevit, quod de nato sibi filio post cædem sancti fratris sui conceperat, quod verbis istis Cosmas exprimit: *Si iste meus filius* (inquiebat Boleslaus) *superstes fuerit, ex toto corde meo DEO eum voveo, clericus ut sit, & serviat Christo omnibus diebus vitæ suæ pro meo peccato & hujus terræ pro populo.* Jam vero quod ad hunc aut sequentem annum spectat, & quomodo fidem hanc DEO datam liberaverit, ex eodem Cosma audire libet: *Post hæc genitor* (Boleslaus) *voti non immemor, cum esset jam puer docibilis, & multum parentibus amabilis, non ferens pater ut suis discederet præ oculis, misit eum Ratisbonam tradens sub regulares alas Abbati Sancti Emeramni Martyris. Ibi ecclesiasticis & regularibus sanctionibus est imbutus, ibi monachico habitu indutus, ibi usque ad virile robur est enutritus.* Cetera quæ ad enuclationem rerum a Cosma narratarum pertinent, jam ad annum 934 expedivimus, cui nempe anno per-

peram Hagecius votum Boleslai, & missionem filii Strachiquatis Ratisbonam illigaverat. Nam incredibile est prius, & durante bello cum Ottone Boleslaum in Bavariam missurum fuisse filium, quo Otto obsidis loco uti, & nescio quas graves pacis conditiones extorquere potuisset. Agebat Strachyquas praesente anno jam decimum quintum aetatis suae annum, qui suscipiendo religiosae vitae statui conveniens erat. Sortitus autem est in ordine Divi Benedicti nomen Christianni, habeturque passim pro authore vitae SS. Ludmillae ac Wenceslai, e qua crebro Annales hosce illustravimus. De eo porro nobis crebro sermo erit, nec tacebimus dubia & difficultates nostras, quae nos retrahunt, ut ne eidem hanc vitam eadem rerum & verborum amplificatione, qua a Balbino excusa est, concedendam esse judicemus.

II. Supra quidem innuimus, ex superstitibus Boleslaorum numis unicum nobis videri, qui ex pluribus ibidem allatis rationibus Bolelao I. vindicari possit. At quandoquidem una & constans est patriorum historicorum, quamquam recentiorum, vox & sententia, monetas posteriorum Ducum nostrorum effigie & nomine S. Wenceslai signatas originem sumere ab hoc ipso Boleslao, ut ne pervicacis obstinatique animi a quibusdam damnemur, qui omnes patrias traditiones, ut illi quidem ajunt, pessum eamus, istorum in gratiam periculum facere & inquirere libet, nullusne alius hos inter denarios numus sit, qui aeque Boleslao I adseri valeat. Nos quanquam ingenue fateamur omnia circa genuinam cognitionem denariorum istorum, cujusnam Boleslai e tribus sibi ordine succedentibus sint, cimmeriis tenebris obsita esse, tamen negare haud ausimus denarium illum, quem Grossothecae author in secundo supplemento Tab. XL. Num. 37 protulit, quemque etiam P. noster Adauctus inter Boleslai II denarios Num. 10 excusum dedit, uti proxime Boleslai I signaturae accedere, ita a ceteris saltem in epigraphe differre. Nullus enim eorum in utraque fronte nomen S. Wenceslai praefefert, in omnibus Boleslai nomen latine terminatum legitur, cum ab eo denario, de quo hic nobis sermo, utrumque absit, Sancti Wenceslai vero nomen ita expressum cernatur, ut latinitatem minime sapiat, reliqua quae adjecta sunt, a latino idiomate prorsus abhorreant. Huc accedit quod characteres istius numi haud multo elegantiores sint characteribus illius denarii, quem supra Boleslao I adjudicavimus. Tam vero in antica quam postica parte una eademque inscriptio sine ullo *Sancti* aut *Divi* indicio legitur: VENLAES OXVZOIC. Primam vocem

cem, ſive contracta ſive monetarii imperitia corruptam dicamus, *Wenceslaum* denotare nemo dubitabit. Quid altera vox OXVZOIC velit, denotetque, quis Oedipum agat? Slavicam tamen potius eſſe, quam latinam nemo non admiſerit. Quid ſi iſthic litteram X ſecundo loco poſitam slavicum vetus *Ch* eſſe dicamus, quam cum monetarius rudis in latino alphabeto non deprehenderet, veterem Cyrillicam retinuit, ſubſtituitque, ita ut vox hæc OCHVZOIC legenda ſit? Nam reperio in Lexicis Dalmaticis Illyricisque ſecundum veterem dialectum *ochuschujem* hodie *ochiſchujem* expiare, *ochiſchujuchi* expiatorium ſignificare, qua ſignificatione idem eſſet VENLAES OCHVZOIC, quod *Wenceslaum expians*, ut proinde numus hic expiatorius videri poſſet, cujus excuſione Boleslaus publicam expiationem meditatus, ſanctum fratrem ſuum ob intentatam cædem expiare conatus ſit. Hanc lectionem ſignificationemque ſi amplecti libuerit ſuperioris ſententiæ patronis, habebunt enim vero præter effigiem & nomen S. Wenceslai in denario hoc ſempiternum monimentum veræ pœnitentiæ ac publicæ expiationis a Boleslao ſuſceptæ. Hæc ſi amplius a vere pœnitenti Boleslai animo probare voluerint, præſto illis eſt paulo ſupra allatum Coſmæ teſtimonium, quod ſtatim a patrata cæde illum remorſus & pœnitentia inceſſerit, cum filium ſuum recens natum ordini monaſtico devovit. Habebunt etiam in monetis ſucceſſorum ipſius præſidium, quibus iſtiusmodi memoriales denarii minime erant incogniti. Verum quandoquidem denarii iſtius (quem quoque Boleslai ſimulacro ſubjectum Lectori ob oculos ponimus) inſcriptionem retulimus, jam ad areas ipſas utriusque frontis transeamus. In parte antica ſpectatur pectoretenus rudiſſimo ſcalpro cælata imago S. Wenceslai radiato capite, manuque dextera ſceptrum teneus. In poſtica area viſitur manus e nubibus protenſa, e cujus utroque latere inverſum ω obſervatur. Simillimi ſigni ſunt plerique denarii Boleslai II, nec non uxoris ſuæ Emmæ, niſi quod in illis obverſa dexteraque facies S. Wenceslai præſentetur. Eruditus Eques Sileſius apud Kœhlerum, item MS. Monetarium Ducum & Regum Bohemiæ ex utroque latere poſitos characteres compendiique ſigno notatos habet pro literis V. M. legitque *Viti manus*, ſcilicet per manum eam e nubibus protenſam S. Viti manum explicans, quam S. Wenceslaum in Bohemiam intuliſſe plurimorum hiſtoricorum eſt ſententia. Eum in errorem horum ductu & me ipſum pertractum fuiſſe jam P. III. profeſſus ſum, præſertim poſtequam in eodem Kœhlero P. 7. p. 417 alium numum reperi, qui integram inſcriptionem *Divi Viti manus* habere

vi-

visus. At jam prolatis visisque pluribus ejusmodi denariis res in propatulo est, e latere positos characteres haud alios esse quam græcum A & Ω monetariorum imperitia & oscitantia non raro deformata, quodque characteres isti, scilicet *Principium & finem* denotant, manum ipsam e nubibus protensam denotare, symbolum nempe esse DEI patris, qui est rerum omnium principium & finis. Quemadmodum autem græcos hos characteres, eorumque significationem non ab alio quam Divo Apostolo suo Methudio natione Græco edocta est gens nostra, ita etiam procul dubio symbolum manus e nubibus protensæ ab eodem accepit. Nam Græci universim hac figura DEum, ac cum primis DEum patrem repræsentare sunt soliti, quemadmodum hodie triangulo inter nubes radiosque efformato eum passim denotare in usu est. De hoc vero manus symbolo copiosissime juxta ac eruditissime differit Clar. Vir Assemannus in suis Kalendariis T. I. P. I. c. 5. p. 50. ubi contra Kieslingium & Suicerum asserentes Dei *repræsentationes apud Græcos fuisse ignotas* ostendit, manus istiusmodi imagine antiquissimis ecclesiæ græcæ temporibus DEum fuisse repræsentatum. Libet ex authore hoc doctissimo non omnibus cognito quæpiam exscribere: *Purum putum est*, inquit, *Suiceri, Kieslingii & sectariorum mendacium asserentium imagines DEI apud Græcos esse ignotas: In Menologio Græco Basiliano quod Basilii Porphyrogeniti jussu scriptum pictumque fuit circa annum Christi 980, & authenticum servatur in Bibliotheca Vaticana, in prima semestri parte, quæ sola exstat, frequenter occurrit imago DEI Optimi Maximi, non quidem sub specie hominis, sed sub forma manus humanæ e nubibus prodeuntis, radiosque emittentis &c.* E quo codice demum, cum facile 40 ejusmodi picturas descripsisset, subjungit: *En habes mi Kieslingi in sex prioribus anni Græcorum mensibus depictam DEI conspicui & immensi imaginem plusquam quadraginta vicibus, habes Spiritum Sanctum in forma columbæ, Patrem DEum in forma manus humanæ, DEum ipsum simpliciter & absolute vel in forma manus humanæ, vel in forma radii e cælo prodeuntis.* Post hæc producit plures alios vetustos Græcos codices picturam manus sub repræsentatione DEI referentes, quorum præcipuum nomen meretur codex Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis sæculo exeunte V vel ineunte VI scriptus, & apud Lambecium l. 2. p. 1007 item l. 7 a pag. 2 ad 15 fragmenta Geneseos complectens, *Hoc in codice* (inquit Assemannus) *singulis fere paginis occurrit imago DEI sub forma manus humanæ in nubibus. Sic fol. 1. p. 2. Manus DEI in nubibus, infra serpens arbori circumvolutus, Adam*

&

& Eva brevibus tunicis veſtiti &c. fol. 5. p. 1. manus DEI in nubibus, & ſub ea iris tanquam ſignum pacti divini poſt diluvium &c. &c. E quibus dein muſivisque Eccleſiarum Italicarum evincit, eum pingendi morem etiam latinis communem fuiſſe. Nec vero manum hanc ſub ſymbolo DEI in monetas referre ſolum uſitatum fuit Ducibus gentis noſtræ, quod in monetis Regum Anglorum, Francorum, Ducum Saxoniæ imo & Pontificum Romanorum Imperatorumque cum iisdem græcis characteribus aliisque latinis videre licet in libris quibusque monetariis, quos ſi doct. Compilator Chronologicæ Seriei conſuluiſſet, minime exempla plura præter numum Ethelredi Anglorum Regis a ſe excuſum deſideraſſet. Et vero cum pluribus locis ad Pagium provocet, inſpexiſſet Annum illius 875 p. 704, deprehendiſſet iſthic Ludovici II Imp. denarium ſimili forma excuſum. At locupletiorem in hoc argumento eſſe ſupervacaneum cenſeo, quandoquidem noſter P. Adauctus hoc in genere, quidquid dicere oportet, abunde perſecutus eſt. Illud unum adjiciendum autumo: ex ſupra relatis erui, Groſſothecæ authorem aliosque complures folſos fuiſſe, qui palmam eam e circulis ſeu nubibus protenſam, & utroque laterę græcis literis A. Ω. munitam pro *manu benedicente* habuerunt, explicaruntque. Poſterioribus quidem temporibus iſtiusmodi palma characteribus his carens ad ſignificandam *dexteram excelſi* & protectionem divinam traducta eſt. Sic refert Mabillonius in miraculis S. Benedicti, Floriacenſe monaſterium olim ejusmodi manum in inſigni ſuo cum epigraphe *Dextera Domini* geſtaſſe. Imo vox ipſa *manus* tropice in ſignificationem *protectionis* tranſiit, ut pluribus exemplis demonſtrat Dufreſne in Gloſſario, quod luculentiſſimis teſtimoniis etiam in ſigillis Ducum & Regum noſtrorum roboratum eſt, nam iſthic inſcriptio paſſim legitur: *Pax Wladislai, Ducis Friderici, Regis Wenceslai, Regis Ottocari &c. in manus* (id eſt protectionem) *S. Wenceslai.*

Chron. Geſchich. Böh. 2 Th. p. 289.

Beſchr. böh. Münz. VII. St. §. 7. pag. 142 & ſeq.

Mabill. Sæc. IV. P. 2.

AN-

ANNUS 952.

Dalymilus e gente Horbogæa (a) filius Kwietoſchii quanto opibus copioſior, tanto Boleslao potior in amoribus, ut amplius Principis demereretur gratiam, omnem operam cum vernaculis ſuis ad minerarum ſtudium contulit, in agros Lipnicenſi rivo vicinos tota mente omnique animi impetu incubitum eſt. Huc ad acre ſaxum (quod nomen erat Lipnicenſium valli uni) hortatu uxoris ſuæ (quam Pythiam fuiſſe Klipta (b) ſcribit, foſſorum cœtum ſubmiſit. Hi fodicando viſcera terræ omni induſtria perſcrutantur, & hem! forte in ingentem argenti maſſam incidunt, quæ ſimilitudinem equi referebat ad vivum velut omnibus lineamentis a natura expreſſi, ut a periſtiſſimo artifice propior vero fabrefieri haud potuiſſet. (c) Lætus tam inſperato munere Dalymilus nil cunctatus inoffenſum plauſtro Wiſſehradum devexit, deditque dono Boleslao rerum harum cupidiſſimo. Non præter admirationem ſpectavit hoc naturæ miraculum Dux nuſquam antea his terris viſum, quod ut omnium oculis pateret, in area Wiſſehradenſi ſuper eminente ſaxo locari juſſit cum dicto: Roma olim æneis & arte manuque factis gloriata eſt gaballis, Bohemia mea jam equos argenteos humanam artem neſcientes oſtentat, quanto autem argentum æri præſtat, tanto auguſtius futurum eſt Czechorum nomen præ Romanis. (c) Confluxit vero certatim ad hoc ſpectaculum omnis late Bohemia, repertusque aliquando

Invenitur argenteus equus.

In area Wiſſehradi publice ſtatuitur.

in-

inter turbam nonnemo aruſpicinæ haud rudis, qui diceret: poſt quadringentorum ac decem annorum intervallum majorem etiam, & admiratione digniorem auri maſſam in Giloviæ montibus effoſſum iri.

ANNUS JESU CHRISTI 952.

AGAPITI II. PAPÆ 7. OTTONIS M. 16.
BOLESLAI I. AN. 16. MICHAELIS EP. RAT. 9.

(a) Koernerus in ſua diſquiſitione de antiquitate fodinarum Bohemicarum p. 52. Hagecium omni loco tanquam certum ducem ſecutus ab eo *Horbog* ridicule deducit ſuperſtitem familiam *Horbachorum*. Ceterum non male interpretatus nomen Horbog germanice Berggott, ea tamen ætate dicebatur ſcribebaturque Gorbog montanus DEus.

(b) Hem fontem! e quo tot fabellas hauſiſſe, ſuaque locupletaſſe videtur Hagecius. Peſſina quidem in Phoſphoro ſuo *vetuſtiſſimum Bohemiæ ſcriptorem* vocat, ſed ad neminem quam Hagecium provocat. Mirum ſane, ſi alicujus nominis fuit author hic (nemini quidem præter Hagecium cognitus) quod ipſe Hagecius in Catalogum authorum Annalibus ſuis præmiſſum eundem non inſeruerit. *Peſſina Rad. 3. p. 163*

(c) Nimium credulus in his fuit Balbinus, qui huic narrationi ſubjungit: *Naturam etiam in metallicis, aliisque ſubterraneis rebus animantium figuras imitari, eoque opere velut ludibundam gaudere. Ut nonnunquam natura imitetur figuras animantium, nemo in dubium verterit.* Ea vero neque incredibilia viſa ſunt doct. Compilatori Seriei Chronologicæ, ut in majus firmamentum etiam ex Balbino Theobaldum de fodinis, Geſnerum de foſſilibus, Oſualdum Groſſium de ſignaturis vades ſtiterit. Naturam etiam in metallicis ludere, & quandoque rudi ductu artefacta, animantiumque figuras imitari, nemo controverterit. At fodinam aliquam unquam tantam ſimul fudiſſe maſſam, quæ equi magnitudinem æquaſſet, quæque equum omnibus lineamentis ita ad vivum *Balb. Dec. 1. l. 2. c. 5* *Chronol. Geſchicht. Böh. 2 Th. p. 395*

expressisset, ut etiam artem superasse dici potuisset, *Judæus*, ut cum Horatio loquar, *credat apella, non ego*. Verosimillime nomina vernacula *Equus*, *asinus*, *canis*, *anser* &c. quæ fossores aurariis argentariisque indere soliti, hodieque solent, occasionem dedisse istiusmodi figmentis, jam pluribus ostendit noster P. Adauctus.

Beschr. böh. Münzen 1. Abth. p. 103.

PRÆTERMISSA.

Acta Synodi hujus.

I. Ad historiam ecclesiasticam rursum pertinet anni hujus synodus, quæ Augustæ Vindelicorum *Indictione X. Anno vero Regni Ottonis XVI, sub die VII Idus Augusti* celebrata est. Ejusdem synodi meminit ad hunc annum Hermannus Contractus apud Urstisium. Cum vero in Actis hujus synodi die VII Idus seu 7 Augusti adhuc computetur annus XVI Regni Ottonis, novum id ad vindicandum S. Wenceslai martyrii annum, stabiliendaque ea, quæ ad annum 937 in Prætermissis copiose diximus, argumentum est. Inter Episcopos, qui huic synodo interfuerunt, subscripseruntque, etiam refertur *Michael Episcopus* noster *Ratisbonensis*, qui procul dubio pro more temporum illorum rursus Clero Bohemo stipatus adfuit. Acta hujus synodi potissimam partem ad posteritatem transcripta sunt, excusaque cum suis XI Canonibus leguntur apud Canisium antiquarum lectionum Tomo V, & in Conciliis Germaniæ Tomo II p. 622. Canones, qui ad disciplinam ecclesiasticam referuntur, compendio hæc continent: I. Ab officio deponendus Episcopus & in sacris constitutus, qui uxorem habuerit. II. Clero universim gravissime prohibetur venatio. III. Alea. IV. Ne mulieres cohabitent Clericis. V. Monachis inhibetur extra claustrum sine licentia Abbatis sui ire. VI. Providentia cœnobiorum committitur Episcopis. VII. Permittitur Clericis transire ad statum monasticum. VIII. Sanctimonialibus transitus ad strictiorem observantiam. IX. Laicis demitur potestas quenquam sinè consensu Episcopi beneficio suo privandi. X. Lis decimationum ad solum Episcopum spectet. XI. Clerici, cum ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur. De hac synodo mentionem etiam facit auctor vitæ S. Udalrici contemporaneus, visionemque illius his verbis enarrat: *Finita itaque synodo præfata, Dei Martyr* (S. Petrus) *monstravit illi* (S. Udalrico) *loca castrorum, ubi postea Otto Rex adhuc manens regalem locutionem cum populis diversarum provinciarum habuit, ubi Rex Perengarius de Longobardia, & filius ejus Adelbertus cum mul-*

Apud Mabillon Sæc. V. Bened. p. 425.

multis Episcopis se præsentaverunt, & suo dominio subdiderunt. Indicavitque ei supergressionem Ungarorum (hæc demum anno 955 facta est) *& loca belli, & quamvis laboriose victoriam Christianis conæssurum esse nunciavit.*

II. Hermannus Contractus apud Canisium ad hunc annum ait: *Otto Rex Bohemiam, & filius ejus Luitolfus Dux Italiam petivit.* Quod utrumque nonnisi post mensem Augustum peractamque synodum fieri potuit, nam ut ex Frodoardo legitur: Otto usque ad Pascha erat in Italia ibidemque Papiæ celebravit Paschalem festivitatem, tum ad sua rediens Augustæ Vindelicorum interfuit synodo, postquam *mediante Augusto mense conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum & Longobardorum publicus . . . agitur, ubi præscriptus Berengarius cum filio suo Adelberto Regiæ se per omnia in vasallitium dedit dominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit regendam. Marca tantum Veronensis & Aquilejensis excipitur, quæ Henrico fratri Regis Ottonis I. committitur,* inquit Continuator Rheginonis. In eodem Conventu videtur Otto filium suum Liudulfum sibi successorem constituisse in Regno, cum Frodoardus id accidisse dicat, *antequam is Italiam peteret.* Petivit itaque post hunc Conventum Liudulfus Italiam, procul dubio, ut Conradum Lotharingiæ Ducem isthic liberaret, cujus custodiæ Papia sub reditum suum in Germaniam ab Ottone commissa fuit, & ipse Otto post hunc Conventum *petivit Bohemiam.* Quam ob causam autem Otto petiverit Bohemiam, & quid isthic fecerit, nuspiam proditum. Hostiliter ingressum fuisse cum aliquo exercitu, non admittunt Witichindi verba, qui Boleslaum ab anno 950 fidelem & utilem Ottoni perstitisse prodit, imo & exempla plura annorum consequentium testatum facient, Boleslaum passim Ottoni armorum socium fuisse. Quidsi fortassis honoris causa Boleslaus hoc anno Conventui Augustano interfuit, eumque Otto simili officio demulcere volens, comitatus est in Bohemiam? Quid si sociandorum armorum causa adversus Hungaros adiit? Nam Hungaros superioribus annis (imo adhuc lapso 951;) crebrius infestasse Italiam & Gallias, ex Frodoardo aliisque Gallicis scriptoribus liquet? Sane annos posthinc tres jam Boleslaum contra Hungaros cum Ottone in acie stetisse, ad eum annum lecturi sumus. Ab hoc ipso tempore & non prius repetendus omnis hostilis animus Hungarorum in Bohemam gentem conceptus; atque si auctoritate veteri nituntur tot Hungarorum irruptiones in Bohemiam & Moraviam

Frodoardus ad h. a.

Continuator Rheginonis ad h. a.

Frodoardus ad an. 953.

viam attentatæ, quas Hagecius Dubraviusque commemoravit, ea non tam facile ante annum præsentem admitti possunt.

ANNUS 953.

Moravi fossores Bohemos obruunt.

Moravorum post Suatobogium (a) reliquiæ Kwietniczium, rivumque Bobram (b) accolentes clanculum non parvo numero ad Zdiarenses usque montes penetrarunt. Inde exploratores missi numerum, vim, conditionemque fossorum in horum locorum argentariis exquisitum. Reduces nunciarunt: metallicorum non amplius quadringentis esse, tertiamque partem passim diem noctemque intra cavernas occupari. Moravi tempus occasionemque aucupati, in inermes impetum faciunt, fossorum alios proturbant, cæduntque, alios foras proserpentes crudeliter trucidant. Interfectorum strages numerum sexagesimum æquabat, quos omnes arreptos in profundam specum præcipites agunt. Atque cum facinoris confidentia prædabunda multitudo jam ad septingentos accrevisset, nihil cunctata operam velocem impigramque ad eruendum argentum confert, quod plaustris equisque impositum in Moraviam (c) transmittit. Audaciæ conscius factus Boleslaus mille armatos ad vindicandas injurias adversum progredi jubet. At Moravi vel fama nunçioque exterriti in pedes se proripiunt, & fossore vacuas ærarias relinquunt, quas novis submissis metallicis Boleslaus illico excolere cœpit.

Argentum erutum in Moraviam transmittunt.

Fugiunt.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 953.

AGAPITI II. PAPÆ 8. OTTONIS M. 17.
BOLESLAI I. AN. 17. MICHAELIS EP. RAT. 10.

(a) Is passim ultimus Moraviæ Rex ante eversionem Regni hujus a nostris habitus, sed Moymiro posteriorem locum & memoriam concedendam esse, jam copiose P. III. ostendimus.

(b) Hodie hic rivus Bobruwka nomen fert ad limites Bohemiæ Moraviæque, fontes suos haud longe Polna indipiscitur.

(c) Stredovskius plane locum, in quo depositum fuit argentum, prodit, nempe *Trebicium*. Quæ magis magisque exaggerata, qui legere volet, recentiores Moraviæ scriptores adeat, suo passim arbitratu non veterum fide, Hagecii inventa amplificantes.

PRÆTERMISSA.

Poterat Boleslaus hujus & sequentium annorum turbas ad utilitatem suam convertere, atque rursum Ottoni pactum tributum extorquere, si Liudulfo filio, Conrado Lotharingiæ Duci Ottonis affini, multis Franconiæ, Saxoniæ, Bajoariæque primoribus, denique Hungaris ipsis, per hos in caput Ottonis excitis, adhærere, & cum iis communem causam facere voluisset. Verum datam is semel fidem, & procul dubio anno superiore magis firmatam liberaturus, non modo quievit, eum præsente anno belli flamma ad ipsam Bohemiæ limitibus viciniſſimam urbem Reginoburgum penetraret, sed & postea in hostes Ottonis Hungaros ipse arma convertit. Et quanquam rem a nemine vetustiorum consignatam literis habeamus, Boleslaum a Liudulfo filio, Conradove ad defectionem solicitatum fuisse: vix tamen dubitare licet, quando quidem multo acerbiorem hostem Hungaros in ejus caput concitarunt. Causam autem hujus enatæ seditionis Hermannus refundit in nimium favorem Ottonis, quo Henricum fratrem præ filio prosequebatur; Witichindus in nuptias cum Adelhaide Liudulfo exosas, quod Regni cobæredem metueret; clarissime autem omnium Frodoardus illam his verbis exprimit: *Exponitur interea inter Othonem Regem & Liudulfum filium ejus, Conradum quoque Ducem, & quosdam regni ipsius Primates*

Herm. Contr. apud Canis. ad h. a.
Witichinus l. 3
Frodoardus ad h. a.

tes discordia. Nato siquidem Regi filio ex moderna (Adelhaide) *conjuge, ferebatur eidem puero Rex regnum suum promittere, quod olim priusquam Italiam peteret, Liudulfo delegaverat, & Magnates suos eidem promittere fidelitatem jure jurando fecerat. Rex igitur Conradum a Ducatu Lotharienſium removet, & Conradus quærebat, ut regem caperet &c.* Quid vero Liudulfus nobis vicinus egerit, ex Hermanno Contracto audire libet: *Otto . . . filium contra ſe incitavit, magnaque totius regni turbatio diverſarum ſtudiis partium facta eſt. Arnolfus filius Arnolfi quondam Dux Noricorum partibus ſe Luitolfi contra Regem jungens Auguſtenſem urbem, Epiſcopatumque deprædatur, & beatum Udalricum Epiſcopum Regi fidum in caſtello Mandichinda obſeſſum capere vel occidere nititur. Sed ſuperveniente cum copiis militum Adalperto de Mathale Comite, & Theopaldo Epiſcopi fratre item Comite pugna victus turpiter repulſus eſt.* Impetus dein omnis Ratisbonam converſus, ſic enim Witichindus: *Bajoarii Comites . . conjuncti ſunt Liudulfo, qui pergens cum eis cepit urbem regiam, quæ dicitur Reinesburg cum ceteris in ea regione munitiſſimis, omnemque pecuniam Ducis* (Henrici) *ſuis militibus diviſit, conjugem cum filiis patrui & amicis non ſolum urbe, ſed & regione excedere coegit.* Sed non cunctatum Ottonem, eodemque adhuc anno Ratisbonam obſedisse his verbis complectitur Annaliſta Saxo; *Rex* (Otto) *in Bajoariam iter dirigens Ratisbonam obſedit, in qua obſidione pene uſque ad Natale Domini permanſit. Bajoarii autem repentino ejus adventu nec ad bellum, nec ad pacem vertebantur, nec publicum bellum præſumebant, ſed clauſi muris grandem exercitui laborem ſuæque regioni ſolitudinem parant.* E quibus conjicere licet, etiam Strachiquatem Boleslai filium iſthic obſeſſum fuiſſe, cum ante tempora S. Adalberti monaſterium S. Emerami deſeruiſſe non legatur. Hem tot tantaque novi belli irritamenta cauſasque, datæ fidei memor, deſpexit Boleslaus.

Herm. Contr. a. l.

Witichindus c. l.

Annaliſta Saxo apud Eccardum T. I. ad h. a.

ANNUS 954.

Fama per Bohemiam increbuit, Moravos junctis Hungaris in perniciem gentis Czechicæ armari. Quare Boleslaus, cui congenita quædam fuit animi circumſpec-

ſpectio, Bohemos ſuos in omnem eventum vigiles paratosque eſſe jubet, & ne minerarum illicio ad novos novosque inſultus incendantur invidi vicinorum oculi, omnes & ſingulas obrui complanarique imperat. Nec vero rumor is fefellit Bohemos; nam aderant paulo poſt Teutones ſociatis Hungaris, caſtraque metati ſunt ad vicum Opoczicznę undique aurarias argentariasque circumſpicientes exquirentesque. At cum loco aperto ſe minus tutos futuros, operisque metallicis præter munimen aliquod diſtineri rem plenam periculi credunt, circumquaque ſilvas ſternunt, ſepimentumque vallo munitum pro more cujusdam urbis circumdant, cui nomen Borowsko impertiunt. (a) Interea dum tota illa regione impune graſſantur ingrati hoſpites, Boleslaus veluti rerum ſecurus id unum agit, ut per Czaslavienſem, & Malinenſem delectam juventutem graſſatio in interiora Bohemiæ cohibeatur, ipſe velut e ſpecula meditatus opportunum tempus, quo Pragenſium ceterarumque civitatum auxilio vecordes opprimat. Hæc Boleslai conſilia ſubolere viſi æſtatem totam inter munitionem conſumunt metallo exquirendo intenti; verum quandoquidem omnis vicina regio ob diuturnam prædationem re frumentaria deſtitui cœpit, commeatus ex Moravia expetere neceſſum fuit. (b)

Teutones Hungaris permixti irrumpunt in Boh.

ANNUS JESU CHRISTI 954.

AGAPITI PAPÆ II. AN. 9. OTTONIS M. 18. BOLESLAI I. AN. 18. MICHAELIS EP. RATISB. 11.

(a) Supereſt hodie oppidum hujus nominis in Czaslavienſi provincia, haud procul Kralovicio diſſitum. Incolæ accolæque magnam olim fuiſſe urbem contendunt.

(b) Hæc ſeu Hungarorum ſeu Teutonicorum in Bohemiam irruptio vix quidem conciliari poteſt cum iis, quæ apud coævos hoc anno leguntur. Omnis Hungarorum impetus in Franciam, Lotharingiam, Galliasque convertebatur, ut in Prætermiſſis adnotabimus; Teutonici vero vicini (alii Ottonis, alii Liudulfi partes ſequentes) mutuis inter ſe odiis inimicitiisque collidebantur.

PRÆTERMISSA.

Egit hoc anno rurſum ſpectatorem graviſſimorum bellorum civilium Boleslaus, nec flagranti Ratisbonæ filioque Strachiquatis iſthic obſeſſo ſuppetias tuliſſe legitur. Liudulfus vero Ottonis filius Conradusque Lotharingiæ Dux cum ſe Ottoni impares armis cognoſcerent, pretio conduxerunt Hungaros, quæ omnia ex Witichindi l. 3. copioſe ad hunc annum narrat Annaliſta Saxo. Verba ſunt ejusdem: *Interea audivit* (Otto) *quia Avares intrantes Bavariam jungerentur adverſariis, diſponerentque publico bello eum temptare. At ille ſatis imperterritus tali neceſſitate, nunquam ſe gratia Dei Dominum ac Regem oblitus eſt, ſed collecta valida manu obviam procedit acerrimis hoſtibus.* Nihil tamen hoſtiliter ſeu in Bajoraria ſeu Saxonia Hungaros adverſus Ottonem tentaſſe, ex eodem Annaliſta compertum habemus: *Rex* (inquit) *ingreſſus Saxoniam circa Kal. Julii obvios habet legatos Ungarorum tanquam ob antiquam fidem & gratiam eum viſitantes, re autem vera, ut quibusdam videbatur, eventum belli civilis conſiderantes, quos cum ſecum aliquantis diebus retinuiſſet, aliquibus munuſculis donatos remiſit.* Proſequitur narrationem Annaliſta: Hungari *diverterunt ab Ottone, acceptisque Ducibus a Liudulfo omnem Franciam pervagati ſunt.* Ad Wormatiam cum rurſum Rhenum tranſiiſſent, a Conrado exauctorato Lotharingiæ Duce excipiuntur & prædabundi per universum illud regnum pa-

Annaliſta Saxo ad h. a.

Frodo. ad h. a.

pagosque Viromandenſem, Lauduenſem, Rhemenſem, Catalaunenſem Burgundiamque deducuntur. Nam Otto anno priore Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum fratrem ſuum Lotharingis Ducem dederat, quod multorum Principum Epiſcoporumque ac ipſiusmet Friderici Moguntini Archipræſulis odium adverſus Ottonem incendit. Non minus iſthic res erant turbatiſſimæ: Wigmannus juncto ſibi Ekberto Saxoniam perterret, Bavarorum complures civitates ad arma provolant, Liudulfus filius exturbato Henrico Principatum Bajoariæ obtinet, Slavi Uchri Geroni Marchioni cruentum bellum inferunt. Sed conflagratio Ratisbonæ, acriorque urbis hujus oppugnatio belli inteſtini finem fecit. Rem denuo verbis Witichindi narrat Annaliſta Saxo: *Proximum agens Rex Paſcha cum fratre ſuo* (Henrico) *ducit exercitum poſthæc contra Reinesburch, iterum armis machinisque urbem torquens, ubi dum præſidio Saxonum urbs deſtituitur ac fame vexatur, portis urbani egreſſi cum urbe tradiderunt ſe ipſos Regi.* Quin & filius Liudulfus *nudis plantis patri proſternitur intima tactus pœnitentia oratione flebili patris primum deinde omnium præſentium lacrymas extorquet. Amore itaque paterno ſuſceptus in gratiam ſpondet ſe obtemperaturum conſenſurumque omni paternæ voluntati.* Hem virtutem! quam in Slavo Duce merito mirentur univerſi, qui veteris ſuæ libertatis immemor tot bellis civilibus minime uſus eſt, maluitque tributo manere obnoxius, quam datam fidem frangere. Ceterum ex anni hujus Chronicis diſcimus Ottonem habuiſſe concubinam Slavico nobili genere prognatam, ex eaque ſuſcepiſſe filium Wilhelmum, qui hoc ipſo anno Friderico defuncto in Moguntina ſede ſucceſſit, quique a prudentia ac probitate omnium hiſtoricorum calamis celebratur, de quo Witichindus: *Wilhelmi mater licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata,* Slavam vero fuiſſe Ditmarus docet: *Wilhelmus de matre quamvis captiva tamen nobili, & Slavonica, & ex Rege prædicto* (Ottone) *genitus.* Cujus gentis hæc nobilis Slava fuerit, nihil compertum. Quid ſi Tugumiri ſupra nominati ſoror fuit, cumque eo in captivitatem delapſa jam ſub Henrico patre? An fortaſſis hæc cauſa fuit tam diu ſervati Tugumiri in aula Ottonis, & dein ad Principatum ſuum avitum reducti, ut ſupra narravimus? Quod exquirere ac enodare Hiſtoricorum Brandeburgicorum intererit.

Witichindus l. 3. p. 661

Ditm. l. 2. p. 338.

ANNUS 955.

Sub tempus vernum minerarum Bojemarum uſurpatoribus adfuit ex Hungaria auxiliaris manus duum millium capitum, itemque poſt triceſimum diem altera bis mille equitum, ſub poſteriorum adventum illico regio, ne quid turbate ageretur & indiligenter, inter veteres & novos prædatores diviſa eſt. Equitibus Zliczenſis ſeu Curimenſis ager, pediti omnis Albina Regio ad latrocinandum ceſſit. Quo ferali diſcurſu Libuſſæ (a) vetus caſtrum hoſtiles flammæ hauſere. Hac nempe prædandi licentia eques pedesque hoſtis paſcebatur. Impatientes cunctationis Primores terræ Boleslaum urgent, conſcriptum alioquin militem ad reprimendas hoſtium latrocinationes expediat. Ille ſero velut ſomno evigilans cogit copias, & adverſus Hungaricum peditatum dirigit. Conſiliorum iſtorum conſcii facti Hungari aciem inſtruunt, proceduntque Bohemis obviam ad pagum uſque Lhotice, prope quem ſe ſilvæ latibulis occulunt. (b) Boleslai exercitus latentis hoſtis ignarus Albim trajicit, ſed hem iſtiusmodi tranſitu occupatum, impeditumque ex improviſo adoritur Hungarus, occidione pene delet paucis acceptæ cladis nunciis e media cæde domum elapſis. (c) Ab ea pugna victores, Bohemiam jam ſuam rati, per Albis litora audaces decurrunt, pluribus captivis in Hungariam transmiſſis, omnia diripiunt, ab incendiis tamen deinceps ſibi temperant, quod ſedes has poſthæc colere meditarentur. Peditum exemplum ſecutus eques, qui Curimenſem agrum perſultabat,

Hungari accipiunt auxilia. rescopias.

Caditur Boleslaus.

bat, & ipſe a facibus abſtinuit, oppidumque Freyerwar, quod eorum lingua urbem albam ſignificat, a fundamentis condere cœpit, idque per ſummum otium, ſummoque urbanorum Curimenſium periculo & damno, quod metu portis pedem efferre non auderent. (d) *Hungari condunt Freyerwar.*

ANNUS JESU CHRISTI 955.

AGAPITI II. PAPÆ 10. OTTONIS M. 19.
BOLESLAI I. AN. 19. MICHAELIS EP. RAT. 12.

(a) De hoc caſtro jam actum P. II. ad an. 710 p. 112.

(b) Supereſt hodie in Czaslavienſi provincia vicus Lhotice medio lapide Selovio diſſitus proximusque amni Selivka. Sed Geographiæ etiam Bohemæ minus peritum in his ſe prodidit Hagecius. Nam cum ſuperiore anno dixerit Hungaros munimentum ſuum condidiſſe ad Borowsko, Hungari retro verſus Moraviam, non in interiora Bohemiæ progreſſi fuiſſent, multo altius enim meridiem verſus Lhotice vicus ſitus eſt. Et vero Albis fluvius hic nuſpiam fluit, qui longiſſime diſtat.

(c) Nec eam cunctationem provido Boleslai animo, nec cladem tanto ſæculi hujus Heroi a manipulo peditum acceptam recte affinxit Hagecius. Quin imo Hungaros hoc ipſo anno fuſos fuiſſe, attritosque a Boleslao, in Prætermiſſis ex Hepidano oſtendemus.

(d) *Feyerwar* Hungaris albam urbem ſignificat. Rudera hujus loci ad Curimium, quæ diu nomen conſervarunt, procul dubio his narrationibus, obliterata rerum memoria, occaſionem præbuere. Jam P. II. oſtendimus ante Caroli M. imperium Hunnos ſeu Avares trans Danubium, & plura Moraviæ Bohemiæque loca coluiſſe; quid ſi abhinc adhuc repetendæ hæ nominis reliquiæ?

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno primum, quod constat, se non modo *fidelem* sed etiam *utilem* præbuit Ottoni Boleslaus, cum ab Hungaris impetito auxiliares non modo copias misit, sed & ipse prælii hujus aleam expertus. Verum quandoquidem ubivis veterum magis, quam nostris verbis loqui optamus, belli hujus & victoriæ historiam ex ipso tum vivente Witichindo audire libet, cui nihilominus breviter, quæ ante Hungarorum fragem acta sunt, ex Hermanno Contracto præjiciamus: *Ungarii*, inquit, *cum tantis, ut nunquam ante copiis* (centum millia fuisse scribit Hepidanus) *percurſa Bajoaria Licum fluvium transeunt, Basilicam S. Afræ Augustæ incendunt, S. Episcopum Udalricum multa instantia divinum implorantem auxilium Augustæ cum suis obsessum armis circumstrepunt. Otto vero*, inquit Witichindus, *cœpit ire contra hostes sumtis secum paucis admodum e Saxonibus, eo quod jam bellum Sclavonicum urgeret. Castris positis in confiniis Augustanæ urbis, occurrit ei exercitus Francorum, Bajoariorumque. Cum valido quoque equitatu venit in castra Cunradus Dux, cujus adventu erecti milites jam optabant non differre certamen. . . . Igitur ab utriusque exercitibus latrocinantibus agminibus notificabatur non longe exercitus ab altero fore. Jejunio in crastino indicto, jussum est omnes in crastinum paratos esse ad bellum. . . . Erectis signis procedunt e castris numero quasi octo legionum. . . . Primam & secundam, tertiamque legionem direxerunt Bajoarii, quibus præfuerunt præfecti Ducis Henrici, nam ipse bello interim aberat, eo quod valetudine corporis laborasset, qua & mortuus est. Quartam vero ordinavere Franci, quorum procurator & rector erat Dux* (Lotharingiæ) *Conradus. In quinta, quæ erat maxima, quæ dicebatur regia, ipse Princeps* (Otto) *vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique juventute, coramque eo Angelus* (vexillum) *penes quem victoria, denso agmine circumseptus. Sextam & septimam construxerunt Suevi, quibus præfuit Burchardus, cui nupserat filia fratris regis. In octava erant Bohemi electi milites mille armis potius instructi quam fortuna, in qua & sarcinæ omnes & impedimenta quæque, quasi ipsa esset tutissima, quæ esset novissima. Sed aliter res acta est, ac arbitrabatur: Nam Ungari nihil cunctantes Lech fluvium transierunt, circumeuntesque exercitum, extremam legionem sagittis lacessere cœperunt, & impetu cum ingenti vociferatione facto aliis cœsis, aliis captis, sarcinis om-*

Herm. Contr. ad h. a. apud Canisium.

Witichindus l. 3. p. 656

omnibus potiti, ceteros legionis illius armatos fugere compulerunt. Similiter septimam ac sextam aggressi plurimis ex eis fusis in fugam verterunt. Rex autem cum intellexisset bellum ex adverso esse, & post tergum, novissima agmina periclitari, misso duce (Conrado) *cum quarta legione captivos eripuit, prædam excussit, latrocinantiaque bostium agmina perturbavit. Fusis latrocinantibus undique adversariorum agminibus, signis victricibus Dux Conradus ad regem revertitur, mirumque in modum cunctantibus veteranis militibus gloriæ victoriæ ac assuetis cum novo milite & fere bellandi ignaro triumphum peregit. . . . Totum pondus prælii ex adverso jam adesse conspiciens Rex, exhortandi gratia allocutus est socios suos hoc modo:* Orationem hanc prolixitatis ergo prætermittimus. Prosequitur vero Witichindus: *Et his dictis arrepto gladio & clypeo ac sacra lancea ipse primus equum in hostes vertit, fortissimi militis ac optimi Imperatoris officium gerens. Hostium audaciores primum restitere, deinde ut socios viderunt terga vertere, obstupefacti nostrisque intermixti exstinguuntur. Ceterorum vero alii equis fatigatis villas proximas intrant, circumfusique armati cum mœniis pariter concremantur. Alii flumen contiguum transnatantes, dum ripa ulterior ascendentes non sustinet, flumine obvolvuntur & pereunt. Eo die castra invasa, captivique omnes erepti. Secundo die ac tertio a vicinis urbibus reliqua multitudo in tantum consumta est, ut nullus aut rarus evaderet. Sed non adeo incruenta victoria fuit de tam sæva gente: Chunradus quippe Dux fortiter pugnans animi fervore solisque ardore, qui eo die nimius erat, accensus æstuat, vinclisque loricæ solutis dum auram captat, vulnere sagittæ adverso gutturis defixæ cadit. . . . Tres Duces gentis Ungariæ capti, Ducique Henrico presentati, mala morte, ut digni erant, multati sunt, suspendio namque crepuerunt. Triumpho celebri Rex factus gloriosus ab exercitu pater patriæ Imperatorque appellatus est.* Frodoardus Witichindo synchronus paucis his verbis rem absolvit, atque cum Witichindus Ducem non nominat, qui octavæ Bohemorum legioni præfuerat, ipse Boleslaum, quanquam corrupta voce, fuisse prodit. Verba sunt: *Hungari cum immensis copiis & ingenti multitudine Bajoariam ingrediuntur, volentes venire in Franciam: Contra quos Otbo Rex cum Burislao* (Boleslao) *Sarmatarum Principe, & Conrado jam sibi pacificato pugnavit, & eosdem Hungaros interimens cunctos pene delevit. Conradus autem qui valde fortiter ea die pugnaverat, & regem præcipue de victoria confortaverat, ibidem peremptus est.* Frodoardus ad h. a.

Tantum & non amplius de hoc bello, Hungarorumque cla-

clade memorat Frodoardus, ut proinde merito duorum errorum arguendus sit doct. Compilator Seriei Chronologicæ, qui cum Frodoardum citat, nunquam fontem legisse videtur. Nam ut ex verbis præmissis liquet, nusquam Frodoardus ordinis, numerique legionum, quæ adversus Hungaros militabant, meminit; quod alterum est: falsum est Conradum, Lotharingiæ Ducem exauctoratum, hoc anno Hungaros per totam Bajoariam ferro & igne omnia populantes ad nigram usque silvam deduxisse, nam Frodoardus jam *pacificatum* memorat. Constatque superiore anno, postquam se submisisset filius Liudulfus, paulopost etiam Conradum veniam impetrasse ab Ottone, eique Franciam, quam administret, concessam fuisse. Non fuit itaque Conradus, quem Compilator Seriei Chronologicæ infra *Ducem Francorum* appellat, alius a Conrado exauctorato Lotharingiæ Duce. Et vero hoc ipso in prælio etiam sauciatum fuisse Episcopum nostrum Michaelem ipse confitetur apud Arnolphum Vohburg. de miraculis B. Emmerami his verbis: *Contigit aliquando secus Licum flumen sub Ottone Saxonigena Imperatore primo gravi interfuisse prælio, ubi cum a Christianis esset triumphatum, Ungari meam abscidentes auriculam gladiis ac spiculis inter ceteros me straverunt, ac adæquaverant glebis. Ibi insperato raptus, ad salutem sensi beneficiis adesse patronum clementem S. Emeramum.* Istud autem primo prælii hujus impetu, cum posteriores tres legiones cæderentur ab Hungaris; accidisse, ac proinde Michaelem legioni Suevicæ associatum fuisse ex Ditmaro conjicitur, cum eo prælio *nostros victos ac prostratos* dicat. Verba Ditmari sunt: Michael *cum commissa sibi optime diu regeret, commoventibus iterum orientales Ungaris, cum ceteris Bavarorum Principibus his ad succurrendum venit. Sed exorto mox in eos duello, prob dolor! nostri victi ab hostibus, atque prostrati sunt. Episcopus autem abscissa sumet auricula, ceteris sauciatus membris cum interfectis quasi mortuus latuit. Juxta quem inimicus homo jacens, & hunc vivere solum ab insidiantium laqueis tunc securus cernens, hastam sumpsit, & necare eundem conatus est. Tunc iste confortatus in Domino post longum mutui agonis luctamen, victor hostem prostravit, inter multas itineris asperitates incolumis notos pervenit ad fines. Inde gaudium gregi suo exoritur, & omni Christum cognoscenti. Excipitur ab omnibus bonus miles in Clero, & servatur optimus pastor in populo, & fuit ejusdem mutilatio non ad dedecus, sed ad honorem magis.* Quod ad tres Duces Hungariæ captos attinet, Hermannus quidem Contractus eos Ratisbonæ patibulis suspensos indicat,

Chronol. Geschicht. Böh. 2. Th. p. 398.

Ditmarus l. 2. p. 336.

Herm. Contr. apud Urstisium ad h. a.

sed

ſed nec ille, nec Witichindus, nec quisquam veteriorum omnium trium nomina prodit. Hepidanus unicum eorum nomine *Pulszi* (Græcis, ac cumprimis Cedreno, *Boloſudem*, Hungaris *Bulchu* appellatum fuiſſe contendit Cl. Georgius Pray) poſteritati tranſcripſit. Vetus charta apud Hundium* ait: *Ungarorum Rex Bulko cum quatuor Ducibus Lelio, Sura, Toxo, & Schaba & innumera gentilium multitudine Bajoariam denuo ferro & igne deſtruxit.* Quod cum procul dubio legiſſet Aventinus, omnes quinque captos & Reginoburgi ante portam orientalem patibulo affixos fuiſſe ſcribit. Sed recte ex Porphyrogenito vindicavit, Toxum Geyzæ patrem ſuſpendio affectum non fuiſſe, Cl. Georgius Pray, quod poſterius eum ſuperfuiſſe veteres oſtendant memoriæ; nec vero Lele ſeu Lelium inter hos tres fuiſſe, nos ſequenti paragrapho teſtatum faciemus, ut proinde ſi ex his 5. Ducibus, quos vetus charta Hundii prodit in expeditionem Bajoaricam hoc anno profectos, tres capti patibulisque ſuſpenſi ſunt, veroſimillime *Bulko* ſeu *Pulszi* ab Hepidano prolatus, *Sura* & *Schaba* fuerit. Ceterum dies, qua hæc cruentiſſima clades Hungaris, Ottoni vero victoria omnibus ſuperioribus glorioſior accidit, fuit dies S. Laurentii ſeu IV. Idus Auguſti, ut omnes veteres novique conſentiunt; perperam igitur doct. Compilator Seriei Chronol. III Idus Auguſti adnotavit.

Hepidan. ad h. a. apud Gold. Rer. Alam. T. I.

Annal. Hung. T. I. p. 364

* *Hund. T. III p. 154*

Aventinus l. 5 p. 304

Georg Pray c. l.

Chronologiſche Geſchichte Böhmens 2 Theil p. 399

II. Nimia anxeſi uſus eſt Witichindus ſupra relato loco, cum ait: *reliquam Hungarorum multitudinem in tantum confunitam fuiſſe, ut nullus aut rarus evaderet*, quod magis magisque etiam exaggeravit Aventinus. At in vita S. Udalrici producuntur oculati teſtes, qui tantam cladi ſuperſtitiſſe multitudinem faſſi, quanta ad novam expeditionem ſufficeret. Verba Synchroni ſunt. *Et quamvis incredibilis numerus illorum* (Hungarorum) *occiſus fuiſſet, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, ut hi, qui de propugnaculis Auguſtæ civitatis eos venire conſpexerant, non pugna laceſſitos eos redire æſtimaverint, donec prætereuntes civitatem ulteriora Lyci fluminis littora feſtinando repetere cognoverunt.* Porro cum Annales Hildeshemenſes ad hunc annum in genere fateantur: *Otto Rex Ungarios cum magno periculo ſui ſuorumque magna & cruenta cæde proſtravit.* Contra Sigebertus Gemblacenſis de hujus anni eventu dicat: *In tantum ſunt Hungari victi & attenuati, ut ultra nec jam mutire auſi fuerint.* Ut Veteres hi concilientur, nihil reſtat dicere, quam tam Witichindum quam Sigebertum univerſim de fatali caſu Hungarorum hujus anni loqui, eosque his verbis

Apud Mabill. ſæc. V. Benedc. 12 §. 13. p. 440

Annal. Hildesheim. ad h. a.

Sigeb. Gembl. ad h. a.

bis respexisse alteram cladem, quam post Augustanam a Bohemis acceperunt, ita ut his duabus attriti ultra mutire ausi non sint. Et vero Bohemos alteram victoriam retulisse ab Hungaris testis nobis est Hepidanus Monachus S. Galli vetus, sæculique XI, aut ut alii malunt X, scriptor cujus verba ad hunc annum sunt: *Otto Rex cum Agarenis* (Hungaris) *pugnabat in Festivitate S. Laurentii, eosque DEO auxiliante devicit, & erat numerus illorum centum millia, & multi illorum comprehensi sunt cum Rege eorum* (imo Regulo) *nomine Pulszi, & suspensi sunt inpatibulis. Et aliud bellum cum eis gerebatur a Pœmanis, ubi comprehensus est Rex illorum nomine Lele exstincto exercitu ejus.* Hem causam a scriptore extero proditam, cur Hungari non amplius mutire ausi; postquam enim de prima clade retulisset, solum eos *devictos multosque* ab Ottone *comprehensos*, a Bohemis contra *exercitum exstinctum* fatetur. Scio quidem Clar. Georgium Pray in dubium vocare, num geminum hoc anno bellum ab Hungaris gestum fuerit, cum nemo alius præter Hepidanum illius mentionem faciat. At vero satis nobis est, quod unus tam vetus author præsertim alienigena (quibus aliarum gentium historia non multum cordi erat) id testetur, qui præter Augustanum & *aliud a Pœmanis* bellum gestum fuisse expressis verbis declarat, qui insuper Lele Hungariæ regulum in eo comprehensum prodit. Quod si huic ideo non credimus, quia unicus est, nec Frodoardo credendum erit, qui etiam unus commemorat hoc anno Boleslaum Ottoni adjutorem fuisse in bello slavonico, quod quidem sat locupleter narravit Witichindus, quin verbo Boleslai meminisset. Porro si omnia expungenda ex gentium historiis, quorum unus tantum testis scriptor est, quantus hiatus passim fœdabit annales? quoties optimæ certissimæque memoriæ resecandæ erunt? Sane Hepidanum vera scripsisse probat illa pax & quies Hungarorum, quam ab hoc anno vicinis gentibus & cumprimis Ottoni Boleslaoque dabant, ut attritos, nec posthac mutire ausos, non immerito quique veteres scripserint. Non autem coercita gentis istius audacia ex Ottonis clade (ut supra ex Biographo S. Udalrici cognovimus) profluxit, igitur præter hanc aliud longe periculosius vulnus accepere Hungari. Sed a quo nisi Bohemis? quemadmodum docet Hepidanus unicus longinquus scriptor tacentibus vicinis germanis, quibus omnis Bohemorum gloria & commendatio stomachum movit. Jam ut alteri etiam difficultati Georgii Pray satisfaciamus, qui ait ideo sibi verisimile non videri hoc bellum Bohemicum; *quod Hungari immensas copias secum hoc anno ad Lycum amnem addu-*

Annal. Hung. P. III. p. 366

adduxerint. Nos vero minime asserimus, Hungaros hoc anno diversum, separatumque exercitum ab illo, qui ad Licum fluvium egit, contra Bohemos expediviſſe, ſed unum eundemque fuiſſe, qui prius ab Ottone, dein a Bohemis cæſus eſt. Quod qua ratione fieri potuerit, jam veroſimillimis conjecturis declarabimus: Certum eſt, ut annis ſuperioribus oſtendimus, hactenus Hungaros amice uſos fuiſſe Bohemis, ad illud quidem uſque tempus, dum Boleslaus pactis quibusque conditionibus cum Ottone pacem & armorum ſocietatem iniit. Jam cum Hungari ad Licum fluvium adverterint, Bohemos plane adverſum ſe arma prehendiſſe & cum Ottone in acie ſtare, cui dubium videri poteſt id eos admodum pupugiſſe & bilem in nares civiſſe, adeo ut prætergreſſi univerſum Ottonis exercitum, quemadmodum Witichindus narrat, omnem vim in unam Bohemam legionem converterint; ſed cum in auxilium miſſo Conrado res minus feliciter illis poſtremum cecederit, victasque Ottoni manus dare coacti ſint, caſtris exuti inque fugam converſi; tantus autem adhuc numerus ex clade reſtiterit, quantum miratur Biographus S. Udalrici; an minus veriſimile credi poteſt, eos tanto numero in ſua revertentes vindictam in Bohemos ſpiraſſe? quam ut explerent, maculamque prioris cladis detergerent, opportuniſſimum ſibi viſum præſens tempus, cum Boleslaum ad Licum fluvium diſtentum atque a ſuis ditionibus longe abſentem cognoſcerent, Bohemos vero minime opinantes imparatosque ſe offenſuros ſperarent. Transgreſſi igitur alicubi Danubium ſeu in Bohemiam ſeu Moraviam Duce Lelio irruperunt; ſed præter opinionem ſuam iſthic exercitum Boleslai motibus Hungarorum invigilantem deprehenderunt, a quo ad internecionem uſque, Duce eorum Lelio capto, deleti ſunt. Quod ſi admittimus, nemini incredibile videri poterit geminum hoc anno Hungarorum bellum geminaque clades. Nec vero Hepidannus Slavonicum Ottonis bellum, cui Boleslaus quoque hoc anno interfuit, cum Bohemico confudit, ut ſuſpicatur Clar. Pray, meminit illius ſingillatim ad hunc annum quoque Hepidannus, diſpeſcit penitus a Bohemico, & tertium loco recenſet. Quin cum Sclavonicum hoc prælium in feſtivitate S. Galli accidiſſe memoret, calculus temporis vix quidem admittit, ut concedamus Boleslaum noſtrum bello huic Bohemico interfuiſſe, qui procul dubio a Lico fluvio Ottonem cum ſuis copiis in Sclavoniam comitatus eſt. Minime igitur probari poteſt conſilium doct. Compilatoris Seriei Chronologicæ, qui his Georgii Pray hæſitationibus tam facile de-

Chron. Gotwic. T. 2. p. 394.

deterritus, ei victas manus dedit, atque bellum hoc Bohemicum ab Hepidano commemoratum a præsente anno removendum statuit.

III. Neque hic gloriæ Bohemæ, fidelitatisque, quam Boleslaus Ottoni receperat, terminus: Slavi aquilonares cum intelligerent bellum intestinum longe lateque grassari, ac Ottonem in reprimendis Hungaris distentum, nova bella movent, *varieque*, ut Witichindus l. 3. loquitur, *pugnatum est a præside Thiaderico adversus Barbaros*, qui quamvis ibi urbem cepisset ac exussisset, postea tamen circumventus a Slavis probe multatus est. *Fœda*, inquit Witichindus, *nostrorum fuga facta.* Otto igitur huic malo tempori prævertere studens, cum cognosceret Hungaros accepta clade ad sua redire, nihilque ab ipsis amplius metui, eundem exercitum adversus Slavos aquilonares deduxit, quem Boleslaus cum suis comitatus est, quod ex Frodoardo haurimus:

Frod. ad h. a. *Post hoc bellum* (Hungaricum) *pugnavit Rex Otto cum duobus Sarmatarum regibus, & suffragante sibi Burislao* (Boleslao) *Rege, quem dudum sibi subdiderat, victoria potitus est*, inquit idem coævus author. Hepidannus etiam nomina Slavicarum gentium Ducisque, item diem victoriæ, ab omnibus aliis prætermissam, posteritati transcripsit: *Eodem anno*, inquit, *Otto Rex & filius ejus Luitolf in festivitate Sancti Galli pugnaverunt cum Abatarenis* (Abotritis) *& Vulcis, & Cyripsanis* (Circipanis) *& Tolosenis* (Tolenzanis) *& victoriam in eis sumpsit, occiso Duce illorum nomine Ztoignavo, & fecit illos tributarios.* Witichindus rursum copiosissime bellum istud enarrat, sed omni mentione Boleslai & Liudolfi filii prætermissa, e quo tamen nomina duorum illorum Regum seu Ducum Sarmatarum a Frodoardo indicatorum discimus: scil. alter erat *Nacon*, alter frater ejus *Stoinef*, de posteriore capto & occiso scribit; *Stoinef colle eminentiori cum equitibus eventum rei exspectabat: socios inire fugam cernens, fugit & ipse, lucoque quodam cum duobus satellitibus repertus a viro militari cujus vocabulum erat Hosed, certamine fatigatus, armisque nudatus capite cæsus est.* Postera die caput ejusdem in campo positum fuisse, circaque illud septuaginta cæsorum capita, persequitur idem Witichindus, quem hæc prolixe enarrantem nullamque Boleslai aut Bohemorum mentionem ingerentem exscribere haud vacat. Ceterum duo adhuc ad elucidationem temporum præsentium spectantia haud prætermittenda sunt: Primum est mors Henrici Ducis Bajoariæ, fratrisque Ottonis, de quo Continuator Rheginonis & Annalista Saxo ad hunc annum: *Henricus frater*

Hepidannus ad h. a.

Witichindus l. 3. p. 658

Contin. Rhegin. ad ann. 952.

ter regis desperatis rebus recuperatis, recepto Bavariæ Ducatu, obiit, cujus filio Henrico pius Rex Ducatum & Marcam dedit. Nempe Marcam Aquilejensem & Veronensem (quam ante pater ejus ab Ottone acceperat) non Marcam orientalem seu Osterrichiam, ut perperam quidam sensere. Alterum est: quod ex Boleslao Pio hoc anno natus sit filius nomine Boleslaus, qui dein Rufi seu III nomen obtinuit, si verus est calculus Stransky aliorumque nostrorum, qui eum ætatem ad 82 annum provexisse scribunt. Nam cum eum anno 1037 demortuum ex Cosma constet, deductis ætatis suæ annis hic natalis annus resultat. Matrem is habuit Hemmam regio sanguine prognatam, quæ ante Boleslaum hunc jam alium filium Wenceslaum nomine marito peperit, in juventute sua fratri Boleslao præmortuum. E quibus conjicitur Boleslaum II præsentis filium saltem jam annis abhinc duobus matrimonium cum Hemma iniisse. Sed de Hemma hac plura suo loco.

Stg. Calles Annal. Austriæ I. 4. 254 seq.

ANNUS 956.

Boleslaus Hungarorum late vagantium, finesque protendentium audacia non mediocriter territus, grandem militis Czechici cogit exercitum, cui cum summa potestate præfecit Zwikosium Krabæ filium, virum uti militaris disciplinæ peritum, ita animi fortitudine perstrenuum, (a) quem in Curimensem regionem progredi jubet tam temerarios hostis insultus oppressum. Traductæ copiæ in montem Neklasowinam (b) occurrentes sibi habuere Hungaricos manipulos, qui confidentia freti elato ingenti clamore in attonitos Bohemos impetum faciunt, perturbatisque ordinibus cladem quaqua versum inferunt. Miserabilis spectatu rerum facies! cæditur Boleslai tam nobilis exercitus paucis per silvarum latibula salutem fugæ præsidio quærentibus. Cecidit

Boleslaus adversus Hungaros Zwikosium mittit.

Cæditur.

eo infelici prælio agminis Dux Zwikoffius, alterque Comes Hlawaczius multis bellicis facinoribus clarus. Nuncius tam funeſtæ ſtragis quanto Boleslai metum auxit, tanto magis Hungarorum miſtam lætitia accendit audaciam, ut jam univerſæ Bohemiæ imperium, Czechorumque omnium excidium animo deſtinantes agros inter ſe diſpeſcere ac colere occeperint. (c)

Quæ cum Hungaris tam auſpicato cadunt, majori jam fiducia ab Albi & Labkovizio (d) ad plagas in occidentem ſolem protenſas ſigna convertunt, Slanenſis montis, ſalſis fontibus inclyti, illiciis allecti, locum occupare caſtro & munitionibus obfirmare conſtituunt. Jam jam ventum eſt in vallem vici Chyrzin, ubi feſſi quieſcunt, noctemque tranſigunt. Gichan (e) expeditionis Dux authorque ſub ipſam pene auroram præfectos militiæ adeſſe jubet, narratque ſomnium per quietem ſibi oſtenſum. Vidi, inquit, virum procero corpore mihi candidi medullam panis offerentem, præcipientemque iſthic oppidi molimen. Somnium felix omen rati Hungari præter moram locum ſepiunt, condendæque civitati operam locant, Huham nominari ſtatuentes, quod tenuis ejusdem nominis vicus iſthic ſteterat. At vero ſententiæ iſti nequaquam adſenſus eſt Gicha, qui a medulla panis urbem nomen indipiſci voluit. Hinc dicta urbs Hungarico idiomate Belwar, quam poſtea Bohemi Welwar appellarunt. (f)

Hungari Slanenſem agrum meditantur.

Welwar urbs condituv.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 956.

JOANNIS XII. PAPÆ AN. 1. OTTONIS. M. 20.
BOLESLAI I. AN. 20. MICHAELIS EP. RAT. 13.

(*a*) Huic loco ſubjungit noſter P. Victorinus; *Krabæi illi fuere, qui cum poſteris Comitibus de Oſſik & Poſtupicz gentilicium inſigne raſtra ferebant.* At fruſtra gentilicia nomina & inſignia hoc ſæculo venari noſtros, jam aliàs crebro docuimus. Certum tamen eſt *Grabiſſas* ſeu *Grabicios* (ita enim hæc familia ſe appellabat, ſcribebatque) pro clypeo geſtaſſe duo decuſſata raſtra. Eſtque hic primus omnium clypeus, quem medio ſæculo XII deteximus in authentico membranaceo diplomate Archivi Zderaſienſis, quemque ſuo loco excuſum proferemus. Eſt autem clypeus ſeu ſigillum Cojatæ filii Grabiſſæ Magni dicti, de quo Vincentius a nobis editus p. 56. *Tomo I. MSS. nuſquam ante hanc editorum.*

(*b*) De hujus montis ſitu egimus P. III ad an. 886 p. 227.

(*c*) P. Victorinus noſter ex Peſſina aliisque mirum quantum hujus cladis narrationem cauſasque amplificat. Quæ merito prætermittimus, quod attritis ſuperiore anno tantoopere ad Licum, & rurſum ſeu in Bohemia ſeu Moravia Hungarorum viribus, univerſa anni hujus hiſtoria ab Hagecio prolata inter figmenta reponenda ſit; qui præterea immerito duo vitia Boleslao, ſcilicet uti ante avaritiam, ita hoc loco timiditatem affinxit, quorum ne veſtigium quidem in veteribus legere licet, quin bellum in quindecim annos cum Ottone protractum heroici ſui animi perpetuum eſt monumentum.

(*d*) Hodie paſſim Lobkowicz vicus ſede nobilitatis inclytus ad Celſiſſimum Principem Ferdinandum a Lobkowicz ſpectat.

(*e*) De Gichan Hungarorum Duce nuſpiam, quantum ſcio, apud vetuſtos memoria. Gylas a Curopalate nominatur, *qui*, ut is ait, *Turcarum* (id eſt Hungarorum) *Dux Conſtantinopolim ingreſſus baptizatur, paribusque* (cum Boleſode) *& ipſe affectus muneribus & honoribus diſceſſit. Aſſumſit autem ſecum monachum quendam Hierotheum nomine, qui habebatur religioſus & pius, Turciæ Epiſcopum a Theophylacto*

lacto delectum, qui eo profectus multos a barbaro errore in religionem Christianam traduxit. Verum Gylas in fide permansit, neque ipse Romanos invadens, neque captos Christianos negligens, sed redemptos pretio curans, in libertatem vindicabat.

(*f*) Eandem oppidi originem, conditique annum amplexatus est Stranskius; verum præterquam quod interpretatio nominis violenta sit, hoc anno sane accidere minime potuit, cujus principia si ad imperium Boleslai Sævi reponenda sunt, ad eos regiminis annos rejicienda erunt, quibus Boleslaus adhuc cum Hungaris amicitiam coluit, nam posterius Hungaros se se vi usque in viscera Bohemiæ immersisse, isthicque agros coluisse, oppida struxisse, pugnat cum sincerioribus veterum memoriis. Minus contradictionis parit illa Welwarii origo, quam supra dedimus ex MS. quodam.

Stransky Reip. Boj. c. 2. §. 14

PRÆTERMISSA.

I. Cæsi bis superiore anno Hungari per 16 facile annos ab irruptionibus in Bavariam Bohemiamque cessavere, unde recte supra allatus Sigebertus & Chronographus Saxo tantum attritos scribunt, ut nec quidem ultra mutire auderent. Notæ tamen ex Aloldo commemoratæ Hungarorum cladi subjungunt: *sed tamen Osterrichium eis proximam nequaquam in pace esse sinebant, donec eorum Dux quem Ursum* (Toxum interpretantur quique a germanica voce Dachs) *appellabant, homo ferox & rapax instar belluæ, a quo nomen habebat, superesset.* Quod tamen de latrocinationibus regulorum quorumque finitimorum potius, quam justis bellis accipiendum videtur, nam ex omnibus veterioribus testatum sit Hungaros per plures annos quievisse. Unde si fide nituntur, quæ de Boleslai Sævi bellis cum Hungaris copiose narrat Dubravius, minime ea ad superiores annos, quibus iisdem amice usus, nec ad confines, sed paulo posteriores spectant. Id tamen negare nolumus, pro more illorum temporum crebro collisiones quasdam inter Moravos limitaneos Hungarosque ex finium controversia enatas, dum illi latius latiusque sua explicare denuo inciperent, isti virtute bellica eruptas terras a Moravis occupari ægre ferrent. Ceterum an ea pestis, quam hoc anno per universam Germaniam & Gallias effusam fuisse scribit Frodoardus, etiam Bohemiam Moraviamque vexaverit, nihil compertum habemus.

Dubravius p. 36.

Frodo. ad h. a.

II.

II. Anno hoc aut proxime duobus sequentibus Cl. Vir Godefridus Henschenius S. Adalbertum secundum Pragensem Episcopum natum censet, *utpote qui* (verba sunt authoris) *anno DCCCCLXXII, cum Magdeburgum studiorum causa mitteretur, jam tunc memoriter didicisse psalterium traditur Num. 5 in priore vita: unde colligimus eum tunc annum egisse circiter decimum sextum.* Nobis vero alia præterea persuadet ratio, nativitatem illius ante annum præsentem, ut quique nostri statuunt, vix admitti posse, cum enim sub annum 960 ostensuri simus illum ab Adalberto Russorum Episcopo Sacramento confirmationis insignitum fuisse, in valde tenera quatuor aut summum quinque annorum ætate id accidere debuit, cum credi vix possit tam labilem in re tam gravi fuisse pueri Adalberti memoriam, ut hujus perceptæ confirmationis postea non meminisset, & secundo se ab eodem Adalberto Magdeburgi confirmari desideravisset. Huc accedit alterum argumentum ex Cosma nostro petitum, qui S. Adalbertum ante mortem Ditmari (cui in Episcopatu Pragensi altero anno successit) *adhuc ordine subdiaconum* Magdeburgo rediisse narrat, ut proinde S. Adalbertum ætatem triginta annorum (quæ tum ad Sacerdotium a Conciliis requirebatur) necdum attigisse conjici merito possit. Ad hunc annum idcirco pertinet, quod primus Biographus S. Adalberti de illius nativitate & parentibus narrat: *In illis finibus* (Bohemiæ) *ubi Christianitatis pulcherrima floruit, erat vir Slawnik nomine* (alter Biographus addit, qui regum tangit lineam sanguinis,.. Henrico Regi accessit proximus nepos) *potens in honore & divitiis, amore justitiæ, ac operibus misericordiæ percarus suis. Vir magnus inter cunctos ejus terræ habitatores, auro & argento locupletissimus, inter delicias sæculi fidus custos divinæ legis, ambulans solicite juxta præcepta sacerdotum, carus populo toti, sed præcipue amicus pauperum. Hic accepit uxorem dignam generis sui* (alter Biographus vocat Strziezislawam nobilissimam ex genere Bohemorum) *ipsam honestis moribus plenam, quæ audiendo verba vitæ plus sitivit, eademque operando famem non explevit, nec delectabatur matronarum pompis, nec auro lapidibusque pretiosis, omnia pro minimo ducens, quæ stulti maxima putant. Sancta erat moribus, sancta sermonibus, fortis, ut dicunt, in jejunio, familiaris DEO in oratione, mater lugenti pupillo, peregrino & viduæ gratissima soror. Pro his ergo & similibus, quibus ambo florebant virtutibus, honoraverunt eos debiles & divites, & coluerunt maxime pauperum turbæ. Itaque cum de tam prænobili conjugio sancta proles merito foret nascitura, inter magnanimos juvenes, quos procreaverant, na-*

Acta SS. ad 23 April. in Comment. prævio §. 1.

Cosmas ad an. 969

Concilium Neo-Cæsariense Can. 11. A. relatense III. Can. 1.

Acta SS. ad 23 April. c. 1. p. 178

Ibid. p. 187.

natus eſt illis puer ſpecioſior cunctis, cui poſt in ſacri baptiſmatis lavacro datum eſt nomen Woytbiech. quod nomen ſonat conſolatio exercitus.

ANNUS 957.

Boleslaus Satecenſes ſuppetias evocat.

Boleslaus tandem Hungarorum graſſandi licentiæ frena injecturus, ad ſuppetias militares Satecio evocandas animum convertit. Accerſitis itaque in Wiſſehradum regionis iſtius Satrapis populique ſenioribus, Kalendas Maji deſignat, ad quas cum omni apparatu bellico, veteranis, ſtipendiisque claris bellatoribus prope Pragam adeſſent. Caſtris in loco Letna dicto poſitis, luſtratoque exercitu Boleslaus, quid quid e Pragenſi Satecenſique milite infirmius minusque exercitatum erat, præſidio arcis Brunduſinæ maxime & Nehodianæ (a) imponit, quod roboris fuit in hoſtem Welwarienſem rapit. Hungarus miles etſi equitatu minime inſtructus erat, non tamen e re ſua arbitratus Boleslaum perpeti, ut ad ipſa ſepimenta propius accederet, itaque intrepido animo obviam in campum procedit priorum victoriarum ſuperbia inflatus, ſola ut alias vociferatione (b) Bohemos terrendos fugandosque animo ſuo præſtituens. Dimicatum iſthic eſt decretoria pugna ancipitique Marte diu, ac contentione hoſtium tanta, ut parum abfuerit, quin mota loco Bohemorum acies terga vertiſſet. Nutabat certe, jamque fugam circumſpiciebat, cum in tempore adfuit Boleslaus cum trecentorum haſtatorum globo, quem ad incerta pugnæ ne-

mo-

more vicino texerat. Invectus in latus hoſtium ſuis pariter animum & trepidationem hoſti injecit. Ita inclinata Bohemorum acies veſtigio reſtituta Hunnum omni parte preſſit, qui impar tantis viribus receptui canere, cumque Duce ſuo in ſepimenta ſua ſe conjicere, portarum & repagulorum obſtructiones aggreſſus eſt. At vero fugitivo Hunno permixtus Bohemus miles ſimul in oppidum illapſus cæde implevit omnia, ſublatoque clamore: „ad Hungariam, ad Hungariam canina capita! „ ne uni quidem vitæ veniam conceſſit. Fama caſus tam funeſti poſteaquam ad equites Hungaros in Curimenſi regione relictos penetravit, hi non præter metum tempori rerum ſuarum ſecuritati proſpecturi, cœptam nuper urbem vallo murisque conſolidare occipiunt. *Sternuntur Hungari.*

ANNUS JESU CHRISTI 957.

JOANNIS XII. PAPÆ AN. 2. OTTONIS M. 21.
BOLESLAI I. AN. 21. MICHAELIS EP. RAT. 14.

(*a*) De arce Brunduſina ſupra pag. 29. actum. Quam arcem Nehodianam intellexerit Hagecius, quove loco ſteterit, explorare haud licuit, quam nec in Catalogo arcium Balbini, nec alibi reperi.

(*b*) Clamore primo impetu in congreſſibus bellicis uſos paſſim Hungaros, tam ex Witichindi relatis ad annum 955 legimus, quam ex aliis veteribus cognitum eſt.

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno rurſum Ottonem M. bellum adverſus Slavos geſſiſſe, Chronographus, Annaliſta Saxo, & Continuator Rheginonis, aliique

veteres annunciant. Ad quam expeditionem denuo Boleslaum suppetias tulisse, vix quidem dubitare licet, quandoquidem etiam posterius passim inter Ottonis auxilia legitur. Bellum autem istud adversus Rhedarios Slavos gestum fuisse, prodit Witichindus de obitu filii Liudolfi, hoc anno in Italia demortui, loquens: *Literæ autem obitus ejus* (Liudolfi) *allatæ sunt Imperatori* (Regi Ottoni) *cum esset in militia, qua militavit contra Redarios.* Insignem victoriam Ottonem ex hoc bello reportasse apud Witichindum & Lambecium legitur. Erant autem Rhedarii Slavi, *qui integrum regionis tractum ab originibus Panis usque ad ejus influxum in Oderam, & a fontibus Havelæ usque ad fluvium Fubram incolebant, adeoque Marchiam Uckeranam, Megapolitanam, Dynastiam Stargardium, & hodiernum Principatum Stettinensem in Pomerania anteriori possidebant*, inquit author Chronici Gottvicensis. Georgius Fabricius & Frencelius contendunt, hac ipsa expeditione ab Ottone & Gerone Marchione Rhetre metropolim Rhedariorum cum Radegasto nominato illo Slavorum idolo (ad quod omnes vicinæ Slavicæ gentes ipsique Bohemi, ut alibi meminimus, munera sua annua deferebant) fuisse eversam. At certum est ex Ditmari libro 6 tam urbem hanc, quam idolum multo posterius exstitisse, innuitque Helmoldus primum anno 1151 utriusque eversionem factam per Niclotum Principem terræ Obotritorum. Sic enim ille: *Fanum quoque celeberrimum cum idolis & omni superstitione demoliti sunt.* Quod Nicol. Marescalcus clarius explicat: *Sed & Cissinos & Rhetarios*, inquit, *rebellantes Niclotus negotio haut ita magno coercuit, & in officio retinuit; Rhæram tamen, ante urbem tum celeberrimam, aratro æquavit, quæ nunquam coaluit. Idolum Rhadagasti cum nimis argyrocopei stustulit &c.* Nec vero Witichindus (ad quem Fabricius, Frencelius, aliique provocant) Rhætram aut Radegastum nominat, sed generico urbis, Saturni vero idoli nomine utitur, cujus verba sunt: *Urbis prædam militibus suis donavit, simulachro Saturni ex ære fuso, quod ibi inter alia urbis spolia reperit, magnum spectaculum populo præbuit.* Quæcunque itaque alia urbs & idolum Rhedariorum esse potuit.

Witichindus l. 3. p. 660 Lambec. Bibl. Vindob. l. 2 p. 647 in notis.

Chron. Gottvicense l. 4 p. 738 Fabricius in Orig. Sax. Frencelius de idolis Slavorum.

Helmol. Chron. Slav. c. 71.

Annal. Hertul. & Vandal. l. 2 c. 39.

Witichindus l. c.

II. Cum anno superiori nativitatem S. Adalberti illigaverimus, quo mense autem aut anni parte natus sit, minime testatum habeamus, ac proinde num ad priorem aut præsentem annum miraculum, quod circa lactentem puerum accidit, pertineat, definiri haud possit, hic adducere fas esto, & id quidem verbis ipsis primi Biographi transcribo:

Iste

Iſte (Adalbertus) *quantus eſſet futurus cum ignoratum fuerit, parentes pepercerunt formæ ejus, & præ nimia pulcritudine quam habuit, deſtinaverunt eum ſeculo: quid quid autem pius error, vel mala venia parentum in hoc deliquit, mox culpæ proditor cæleſtis iræ gladius correxit. Cernentes namque infantuli corpuſculum ſubita magnitudine excreviſſe, & præ nimia inflatione ventrem toto corpore majorem, ſicque in horas majore dolore addito periculum imminere.* Alter Biographus brevius ait: *Lacte plenus parvulus homo febricitat, mortem vicinam parentibus minatur.* Sed prioris verba proſequamur: *Turbantur parentes, decurrunt ubertim lacrymæ patris, & curvis unguibus lacerat ora pallida nutrix, ſtant mæſti fratres, ſævit dolor intra viſcera matris; nec vox, nec animus, nec color certa ſede manent. Tandem ſub ipſa morte confugiunt ad pium & miſericordem Dominum, & quæ pro hominum neceſſitate plus omnibus Sanctis ſuccurrere ſolet, Matrem Domini appellant. Inde veniunt ad templum cum magna humilitate ac dejectione cordis, ponentesque puerum ſupra altare S. Mariæ votum placabile voverunt eum Domino.* Alter Biographus votum præmittit, votumque Clericatus fuiſſe exprimit his verbis: *Dixerunt territi parentes tremula prece: Non nobis Domine, non nobis vivat puer iſte, ſed Clericus in DEI Matris honore portet jugum tuum pulchra cervice. Sic dicunt, ponuntque ſuper altare Virginis. Receſſit in ictu oculi vis doloris, infantulus ad ſe redit ſoſpes omnibus membris.* Hæc non minus atque bella, aliaque gentis noſtræ geſta ad hiſtoriam cumprimis eccleſiaſticam Bohemiæ, in hac præſertim rerum inopia, ſpectare nemo non arbitrabitur.

Acta Sanct. ad 23 April. c. 1. §. 2. p. 179.

Ibid. p. 188.

ANNUS 958.

Boleslaus capto & direpto Welwario, molimen novæ urbis in agro Curimenſi intercepturus, fortuna adhuc calente, militumque ferocibus animis uſus, movet in alteram Hungarorum manum nupernis hiemalibus acceſſionibus multum auctam. Neklaſſovinam itaque montem occupatum

festinat prior, vixque hic castrametatum terruere sui sinistris loci auspiciis & nupernæ acceptæ cladis funesta memoria. (a) Contra is metu projecto locum felicem prædicare, diemque crastinum clara victoria nobilitandum plena fiducia pronunciare. Neque cunctabatur Hungarus ardens in prælia, jamque præter Bohemorum opinionem maximo numero haud procul adversa in conspectu figit tentoria. Interea Bohemi noctis silentio ad tutanda castra sua latis profundisque scrobibus eruendis dant operam, quem morem fallendi hostis suo periculo ab ipsis didicere Hungaris. Et hem! cum vix aurora diem annunciasset, adsunt hostium globi terriculosis clamoribus se se in castra Bohemorum infundentes laqueorum isthic positorum penitus ignari, quibus cum ordines Bohemi ultro cedunt, majoraque excurrendi spatia indulgent, miserandum dictu! provolvuntur in scrobes, (b) postremique primos vi & impetu in easdem cum equis proturbant, omnes effera militis Bohemi manus tribulis fudibusque neci dat. Et ne victoriæ plenitudini quid deesset, hanc inter stragem Boleslaus undique per Curimenses silvas concædes arborum fieri imperat, ne cuiquam equiti hosti effugiendi locus pateat. Ad unum itaque concisi omnes ea immanitate, cui ipsi nuper in jugulandis Bohemis exemplo præivere. Nobilitatus tot palmis Boleslai exercitus quievit, dieque primum subsequo non pridem ab Hungaris cœptæ civitati castra admovit. Expediti speculatores nunciant: Hungaros noctis beneficio elapsos ad unum omnes, vacuamque incola a se repertam civitatem. Captum Freywarium, prædæ mi-

Cæduntur secundo Hungari.

li-

litum ceſſit, quid quid iſthic reliquum hoſtis fecerat, muri domusque ſolo æquata.

ANNUS JESU CHRISTI 958.

JOANNIS PAPÆ XII. AN. 3. OTTONIS M. 22.
BOLESLAI I. AN. 22. MICHAELIS EP. RATISB. 15.

(*a*) P. Victorinus ex poſterioribus noſtris quibusque hiſtoricis hæc rurſus mirum quantum amplificat, ſed operam in rebus tam incertis, imo manifeſto falſis, referendis perdere nolumus.

(*b*) Recte in Hagecio, quem præ manibus habeo, adnotavit quæpiam recentior manus in margine: *Procul dubio omnes hi Ungari cum equis ſuis oculis orbi fuerunt, qui luceſcente die in has ſcrobes provoluti.*

PRÆTERMISSA.

Sterilis hic annus a rerum in patria geſtarum ſinceris memoriis. Hiatum hunc facile ex Peſſina, Stredovskio aliisque explere liceret, ſi eis in his fidem adhibere non vetaret Chronologiæ juſtum examen, & temporum præſentium ratio. Interim hoc anno rurſum Ottonem adverſus Slavos bellum geſſiſſe, ex Frodoardo diſcimus, cujus verba ſunt: *Otho Rex adverſus Sarmatas abiit*, quod idem refert Albericus. Sigebertus Gemblacenſis hæc aliquanto latius explicat: *Wigmannus* (inquit) *a facie Regis Ottonis trans Albiam fugiens Sclavos in regnum ejus conduxit, quos Rex fortiter debellavit occiſo Regulo eorum cum multis, & ſeptingentis captivis capite cæſis.* Wigmanni geſta copioſe proſecutus eſt Witichindus, apud quem l. 3. (qui ea cognoſcere cupit) legi poſſunt. An rurſum Boleslaus hoc anno inter auxiliares belli hujus fuerit, nihil a veteribus proditum. Ceterum hoc anno rurſum *in octavis Paſchæ conſenſu Heroldi Archiepiſcopi* (Salisburgenſis) *cæcati* (ab Henrico Fratre Ottonis) *apud Ingelheim in præſentia Regis habitam XLI Epiſcoporum ſynodum* tam Annaliſta Saxo, quam Continuator Rheginonis refert, cui proinde & Michaelem Epiſcopum noſtrum interfuiſſe vix du-

Frodoardus ad b. a.

Albericus in Chron. ad b. a. Sigeb. Gembl. ad b. a.

Annaliſta Saxo Contin. Rhegin ad b. a.

dubitare licet. Denique tam Ticinus in Epitome Hiſtoriæ Roſenthalenſis, quam Frencelius in Nomenclatore utriuſque Luſatiæ ad hunc annum rejicit Budiſſinæ urbis in finibus Bohemiæ poſitæ, atque paſſim Ducum noſtrorum imperium veneratæ originem. Sed quid de fabuloſo etymo nominis initiisque urbis hujus ſentiendum ſit, jam Parte II. ad an. 653 p. 42 & P. III. ad an. 882 p. 212 expedivimus.

Ticinus c. 7. p. 258.

Frencel. apud Hoffman. T. II p. 28.

ANNUS 959.

Curimenſes Boleslaovictoriam gratulantur

Curimenſes cives urbe egreſſi victori Boleslao mixtas gratulationibus referunt gratias propterea, quod hoſte Hungaro depulſo ſe metu, & tam diuturna obſidione liberaverit, propter quam vix ulli caput extra muros protrudere conceſſum erat. (a) Ad quos Boleslai laconicum ſimulque erinaceum reſponſum erat: ſe ſe non tam Curimenſium, qui alteri parerent Principi, (b) quam ſuorum clientum, civiumque cauſa tot periculis caput ſuum objeciſſe; ſecuritatem ſalutemque univerſæ Bohemiæ expeditionis ſuæ caput fuiſſe. Contra Curimenſium una vox erat: Hoſtividus Dynaſtes noſter nuper profugus nusquam comparet, incertum ubi gentium degat, ſi plane non periit. Non alteri quam tibi caduci Principatus jura competunt; nam & Luczani orbi Duce te venerati Dominum. (c) Acceptis cum benevolentia in jus ditionemque Curimenſibus Boleslaus, Feyerwarienſis oppidi nuper ab Hungaris excitati rudera ad reparandum ornandumque Curimium libèraliter dono dedit. Nec ſegnis civium iſtorum erat opera tam benefico Principe, nam

ex

extemplo magnifico & sumtuoso opere conditæ ædes plures familias huc allexere. Inter cetera loci decora vasti ambitus curia medio foro condita (d) prima Przemislai & Libussæ jura legesque recepit, quibus tum non modo Praga; sed & ceteræ Bohemiæ urbes deferebant. Crevit dein civitas brevi temporis spatio ad eam amplitudinem, famamque, ut inter præcipuas nomen mereretur. *Curimium magnificentius struitur.*

ANNUS JESU CHRISTI 959.

JOANNIS XII. PAPÆ AN. 4. OTTONIS M. 23.
BOLESLAI I. AN. 23. MICHAELIS EP. RAT. 16.

(a) Postremo anni superioris die Boleslaum ex Hungaris victoriam retulisse oportuit, cum anno præsente primum victori gratulati sint Curimenses. Sed quis non videt Hagecium ad explendas annorum lacunas hæc mirum quantum diduxisse, cum quod adferret, non reperisset.

(b) Nemo adducetur, ut credat Curimenses hoc tempore adhuc peculiares suos Duces habuisse, qui Pragensium tam vicinorum & cum primis Boleslai imperium non respexissent. Ita nempe præter crisim unica Ducis Curimensis in vita S. Wenceslai memoria occasionem præbuit posterioribus nostris integram seriem Ducum Curimensium ad hunc usque annum effingendi.

(c) Eundem annum adunati Ducatus Curimensis cum Pragensi sequitur Stranskius, cui non alius, quam Hagecius facem præluxit, qui nescio quo fonte præterea certos imperii annos eisdem assignat. Series vero Principum apud eum hæc est: I Crocus. II. Borzislaus Svogi filius. III. Gehonius. IV Mstibogius. V Rozhonius. VI Slavomilus. VII Horzeslaus. VIII Dolisius. IX Crasnicus. X Leslaus. XI Mstibogius. *Stranskius Reipubl. Boj. c. 2. §. 3. p. 22.*

XII

XII Drzslaus. XIII poſtremusque Hoſtivodius, quorum omnium ſi alium fontem quam Hagecium quæras, operam luſiſti.

(*d*) Curiam pervetuſtam adhuc in hac civitate ſupereſſe, in qua Principatus inſignia & Principum veſtimenta aſſerventur, Balbinus ſcribit.

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno bellum adverſus Slavos ab Ottone continuatum fuiſſe teſtatur Continuator Rheginonis his verbis: *Rex iterum Sclavos invaſit, ubi Thietmarus* (nepos Geronis Marchionis) *occiditur.* Quibuscum Slavis hoc bellum geſtum ſit, ex Witichindo diſcimus: *Eo quoque tempore Gero Præſes Sclavos, qui dicuntur Luſiki potentiſſime vicit, & ad ultimam ſervitutem coegit non ſine ſui tamen gravi vulnere, nepotisque optimi viri caſu, ceterorum quoque quam plurium nobilium virorum.* Sclavi Luſiki (item Luſici & Luzici dicti) non fuere alii, quam hodierni inferiores Luſatæ, quorum pagus Slavicus ſecundum Abbatem Gotvicenſem ſe ſe ad utrumque litus fluminis Sprevæ, & a fluvio Niza ſeu Niſſe uſque ad fluvium Bober ſeu Caſtorem protendebat, a quo etiam Gero *Marchio Luzici* tam a Ditmaro, quam Annaliſta Saxone appellatur. Præter hoc bellum cum Luzicis aliud hoc anno cum Meſicone Poloniæ Duce geſtum fuiſſe docent nos Annales Gernrodenſes, qui anno præſenti binam Meſiconis Poloniæ Ducis cladem, quam eodem loco præmiſerat, eidemque tempori adſcripſerat Witichindus his verbis: *Miſcam* (Miſacam habet emendatior lectio apud Leibnitium, aliter etiam Miſeconis nomine paſſim a veterioribus refertur) *Regem, cujus poteſtatis erant Slavi, qui dicuntur Licicaviki, duabus vicibus ſuperavit, fratremque ipſius interfecit, prædam magnam ab eo extorſit.* Annales Gernrodenſes utriusque pugnæ plures circumſtantias commemorantes Miſacam etiam captum fuiſſe tradunt. Per Miſcam hunc, quin Witichindus Meſiconem ſeu Miecislaum nominatiſſimum Poloniæ Ducem, primumque inter Polonos Chriſtianum intellexerit, vix dubitare licet, quandoquidem eum paulo infra *generum Boleslai Bohemorum Regis* appellat; At vox *Licicaviki Slavi* oppido perplexa eſt: Annales Gernrodenſes aliudque Witichindi MS. exemplar *Zucicavicos* appellat. Sed nec horum, nec illorum pagum aut nomen uſpiam indigitatum reperio. Erat quidem Lizzi & Ligzize pagus Slavicus, ſed is ad confluentem Havelæ & Albis interque fluvium Strumam. Erat alter pagus Vene-

Contin. Rheg. a. h. a. Witichindus l. 3. p. 660

Ditm. l. 2. p. 333. Annal. Saxo ad h. a. 963 Apud Meibom. T. II. p. 421.

Venedicus Zuze & Suſſe, aliis Zuſele, proximus mari Baltico in terra Wagirenſium, verum nec huc, nec illac imperium Meſiconis & Polonorum hoc tempore protenſum fuiſſe, e documentis certis hiſtoricis conſtat. Vocem hanc in Witichindo corruptam eſſe varia lectio oſtendit, ut proinde nihil certi de Slavorum iſtorum ſitu ſtatuere liceat. Si tamen conjecturis locus aliquis concedendus, ex poſterioribus relatis Ditmari ſuſpicari licet, vocem hanc *Zleſacos* legendam eſſe, nam ſub Ottone I jam huc perrupiſſe germanos, & urbem Nemetzi hodie Nimpſch condidiſſe, ſuo loco oſtendemus. Conjicitur id etiam ex collatione locorum, quibus poſtea Wigmannus bellum cum Meſicone geſſit. *Zleſaci* autem ſeu *Zleſane* pagus omnino Meſiconi ſubjectus erat, quemadmodum poſterius univerſi Sileſii Polonorum nomine cenſebantur. Nomen ſuum hic pagus a Zabotho monte hodie der Zottenberg invenit, complectebaturque hodiernos Principatus Glogovienſem, Croſſenſem, Briegenſem, & Wratislavienſem, quemadmodum id manifeſte ex Ditmaro eruitur, qui *Croſno*, hodie Croſſen, *Glogow* hodie Glogau, *Nemetzi* hodie Nimpſch, & *Worcislavam* hodie Wratislaviam, in his Principatibus ſitas urbes, inter terminos pagi Silenſis ſeu Zleſiæ reponit. Jam vero hæc omnium prima luculenta memoria eſt, qua Meſico cum gente ſua Polona in ſcenam hiſtoricam prodit, quam prætermittere nequaquam potuimus, quod tam Ottoni, quam Boleslao Bohemisque poſtea complura cum eodem Meſicone fuerint negotia.

Vide Grundelingium in Atlante Brandeburg. de Vilinorum ſitu, cum quibus Wigmanno negotia erat.

II. Non prætermittenda etiam hoc anno mors Witichindi Monachi Corbejenſis, cui pene uni gens noſtra pauculas debet certas ſub Henrici Aucupis & Ottonis I imperio memorias. Et quanquam nemo hactenus ſcriptorum, quod ſcio, emortualem ejus annum definiverit, ipſeque Henricus Meibomius in vita illius a ſe lucubrata fateatur non proditum eſſe, quo anno & tempore obierit: exiſtimamus tamen nos minime receſſuros a vero, ſi præter omne dubium eidem annum præſentem adſcripſerimus, quem videlicet ex Necrologio Fuldenſi haurimus, in quo hæc verba leguntur; *Anno DCCCCLIX Wittikind Scholaſticus & Acolutbus XIIX Kal. Jul.* Quibus verbis Witichindum, de quo agimus, indigitari, dubitare haud licet. Nam ſcholaſticum fuiſſe, Trithemius ad annum 952 & 954 innuit, cum eum in Corbejenſi monaſterio ſcholæ Monachorum publice præfuiſſe, complures doctiſſimos diſcipulos (poſtea ad Epiſcopatus & Abbatias promotos) reliquiſſe, eique in munere ſcholaſtico Otricum virum Sanctum ſucceſſiſſe ſcribit.

Apud Leibnitium T. III. p. 764.

Quod alterum eſt, in eodem Necrologio Fuldenſi non paſſim quorumcunque Monachorum, ſed nonniſi ſeu infulis, ſeu Abbatiali dignitate ſeu doctrina clarorum virorum dies emortuales adnotantur, ut procul dubio propter ſcientiæ ſuæ famam, totque ſcriptos libros, quos Trithemius enumerat, merito in hoc Necrologio locum meruerit. Denique indubium eſt, Witichindum hoc annorum confinio fuiſſe mortuum, quanquam enim ejus hiſtoria paulo longius excurrat, atque ob id a Bellarmino & Natale Alexandro ab anno 946 uſque ad annum 975 floruiſſe aſſeratur, tamen hodie certum: eam ab altero quocunque fuiſſe continuatam, quod jam Trithemius in Chronico ſuo Hirſauguienſi adnotavit, & oppido rerum repetitio, & extra omnem Chronologiæ rationem enarratæ quæque res ad oculum oſtentant, uti etiam de Hungarorum in Saxoniam irruptione omnium poſtremo loco recenſita ad annum 937 indigitavimus. Quis autem Witichindi continuator fuerit haud conſtat hodie, fallitur enim Henricus Pantaleon, qui Witichindum alterum prioris ex fratre nepotem ibidemque Monachum Corbejenſem authorem continuationis hujus facit, ut docte convincit Meibomius. Libet hic in gratam viri iſtius memoriam, quam ei debet gens noſtra, adſcribere quæ Trithemius de eodem refert: *Witichindus Monachus Corbejenſis cœnobii in Saxonia, vir in divinis Scripturis doctus & in ſecularibus literis eruditiſſimus, ingenio promptus & clarus eloquio, metro excellens & proſa. Scripſit utroque ſtylo multa præclara volumina, quibus nomen ſuum poſteritati conſecravit, e quibus ego tantum vidi ſubjecta &c. Hæc vero omnia*, inquit Meibomius, *ut & liber de ſtudiis veterum, hiſtoria Saxonica, unoque epigramate ſeu Poematio excepto, injuria temporum, hominumque incuria interierunt.* Sed & idem annus e vivis ſuſtulit alterum, cui non minus ob hiſtoricas quasque ſuas memorias debet patria, Conſtantinum Porphyrogenitum orientis Imperatorem, uti hunc annum mortis critice exigit Pagius. Ejus laudes juſtitiæ, probitatis doctrinæque paſſim leguntur apud Authores græcos latinosque, qui Imperatorum Græcorum hiſtoriam perſecuti ſunt. Cognitio linguæ Slavicæ, quam operibus ſuis ubivis prodit, oppido oſtentat, quo in pretio hoc tempore, quo eam etiam Otto I didicit, hæc lingua fuerit.

Bellarmin. de Script. Eccleſ. Natal. Alex. T. VI. hiſt. Eccleſ. p. 77.

Pantaleon in Proſopograph. P. 2.

Trithemius de illuſtribus Germaniæ ſcriptoribus.

Pagius in Crit. Baronii ad h. a.

AN-

ANNUS 960.

Tam prosperе fluentibus rebus, militi Bohemo animus ardorque in bella magis magisque in dies crevit. Quod ut a Boleslao animadversum fuit, expeditionem in Moraviam Hungariamque adornavit. Miles omnis bifariam divisus. Alteri exercitui cum potestate præfectus Boyslaus Hrossi filius, cujus præclara opera nupernis Hungaricis bellis enituit, alteri Stoskius Brzomiri de Pssow filius. (a) Boyslaus multitudine sua Moravos inopinos adortus, capto Deblino, Lomnicioque, cum septingentorum captivorum spolio, aliisque opimis manubiis victor ad Principem revertitur. Alter copiarum Dux Stoskius non minori celeritate ac fortitudine Hungariam ingressus, nobili castro Drzewicz, expugnato plurimisque in captivitatem abductis, magnam argenti vim, nuperam ex clade fossorum ad Teutobrodam prædam, vindicavit. (b)

Boleslaus in Moraviam & Hungariam expeditionem adornat.

ANNUS JESU CHRISTI 960.

JOANNIS XII. PAPÆ 5. OTTONIS M. 24.
BOLESLAI I. AN. 24. MICHAELIS EP. RAT. 17.

(a) Ad hunc locum subjicit noster P. Victorinus: *Stossek iste fuit Comes de Mielnik S. Ludmillæ nepos. Hausek enim ejus avus S. Ludmillæ frater erat, ex quibus Comitibus linea virili Gutensteinios descendere probat Balbinus.* Sed quid de his Melniciorum & Gutensteiniorum originibus sentiendum sit, jam pridem P. III. præoccupavimus.

(*b*) Idem noſter P. Victorinus ex recentioribus quibusque noſtris hæc multum auxit. Sed cum nos vel indicia hiſtoriæ patriæ venamur his annis, deficientibus certis memoriis, fontem merito anhelamus unde hæc nomina propria Præfectorum, locorumque, unde has expeditiones hauſerit Hagecius? quæ in nulla anteriore ſeu MSta ſeu typis vulgata patria hiſtoria reperimus.

PRÆTERMISSA.

I. Cœpere ſuperiore anno, ut vidimus, Meſiconem inter & Ottonem inimicitiæ, cumque ſuperior evaſiſſet Otto, ereptis quibusdam locis in pago Zleſiæ, colonias germanas induxit, qui ſecuritatis ergo locum civitatis ritu muniverunt, a Slavis *Nemetzi*, quod Germani eum colerent, appellatum. Is deinde annis conſequentibus præcipuus bellorum Ottonem inter & Meſiconem fomes fuit, poſterior cum ſuſtinere nollet Geronem ejusque ſucceſſores eo uſque Marchiæ ſuæ fines extendiſſe, contra illi ſua manutenere viribus omnibus conniterentur, a mutuis incurſationibus ceſſatum haud eſt, adeo ut dein repetitis vicibus Germanorum exercitus ad Oderam uſque perrupiſſe, contra Polonorum copiæ Milzianorum terminos prætergreſſi ipſam Budiſſinam urbem infeſtaſſe legantur. Et procul dubio haud alio ſpectat hujus anni expeditio quam Ottonem denuo adverſus Slavos ſuſcepiſſe his verbis Albericus & Otto Friſingenſis indigitat: *Otto iterum pergit in Sclavos*, quibus Albericus ſubjicit: *Dum Rex rurſum contra Sclavos præcinctum movit, Joannes & Azo Scrinarius ab Apoſtolica Sede miſſi veniunt.* Quantos vero progreſſus his annis Otto adverſus Slavos fecerit, Annaliſta Saxo his verbis prædicat: *Igitur Otto Rex fortiſſimus univerſos Slavorum populos ſuo imperio ſubjecit, & quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipſe tanta deinceps virtute conſtrinxit, ut tributum & Chriſtianitatem pro vita ſimul & patria gratanter ſuſciperent. Baptizatusque eſt totus gentilium populus, Eccleſiæ in Slavonia ædificatæ, monaſteria etiam virorum ac mulierum DEO ſervientium plurima conſtructa. Tunc Slavonia in XX pagos diſpertita eſt, qui dicuntur ad Chriſtianam fidem omnes, exceptis tribus fuiſſe converſi. Pax fuit continua, Slavi ſub tributo ſervierunt.* Quæ etiam Pagius pro converſione Slavorum in hoc regionum confinio adfert. Ceterum an ſterilitas & fames, qua multos in diverſis regionibus hoc anno periiſſe me-

Albericus ad h. a. Otto Friſing. l. 6. c. 21.

Annaliſta Saxo apud Eccardū ad h. a.

Pagius in Crit. Baronii ad h. a

memorat Hepidannus, etiam patriam noſtram affecerit, exploratum non eſt. *Hepidannus ad h. a.*

II. Huic anno recte innectitur confirmatio pueri S. Adalberti; nam, uti narrat Annaliſta Saxo, Continuator Rheginonis, aliique, miſerat jam ſuperiore anno *Elgæ*, aliis Olga & Olha (quæ anno 954 in baptiſmo Helenæ nomen acceperat) Ingeri Ruſſiæ Magni Ducis relicta vidua legatos ad Ottonem, ut ſuæ genti Epiſcopum & presbyteros transmitteret, qui ſuper ea legatione multum gaviſus deſtinavit Libutium ex cœnobitis S. Albani, mox ab Adaldago Epiſcopum gentis Ruſſorum conſecratum. Sed, ut inquit Continuator Rheginonis: *Libutius priori anno quibusdam dilationibus ab itinere ſuſpenſus, XV. Calend. Martii anni præſentis* (ſcil. 960) *obiit.* Quare eidem demortuo ſuffectus ab Ottone Adalbertus monachus Sancti Maximini Trevirenſis, qui hoc anno iter ſuum in Ruſſiam per Bohemiam terrasque Slawnici patris S. Adalberti prehendit, atque S. Adalbertum puerum ſacro chryſmate unxit. Factus eſt idem Adalbertus poſtea Magdeburgenſis Archiepiſcopus, ad quem cum ſtudiorum cauſa miſſus fuiſſet S. Adalbertus noſter, immemor is jam olim a ſe confirmati pueri, eum denuo ſacro chryſmate unxit. Quod alter S. Adalberti biographus his verbis narrat: *Urbis* (Magdeburgenſis) *Epiſcopus tunc erat Adalbertus ipſe & primus, qui, quem ſuo nomine Adalbertum vocavit, bonæ indolis puerum Woytiech ſancto chryſmate linivit. Hæc cum facta eſſent parentes non norunt. Poſtea quando finito ſcholæ duello domum* (Magdeburgo) *rediit, recordata eſt mater pueri, quia Pruziis* (Ruſſis) *Epiſcopus gentium poſitus idem Adalbertus, cum ſuper regnum patris iter ageret, deductum fuiſſe filium cum ungendis pueris, ut primo chryſmate liniretur.* Quod omnino anno præſente accidit. Non neſcio quidem, eundem Adalbertum Ruſſorum Epiſcopum poſt annos duos rediiſſe ex Ruſſia, ut etiam tum per Bohemiam iter ſuum prehendere & S. Adalbertum confirmare potuerit, ſed major hoc pacto ætas S. Adalberto concederetur, ſcilicet ſeptem facile annorum, qua jam pueritiæ tenaeior eſſe ſolet memoria, nec credibile ſi jam ſeptennis S. Adalbertus idem ſacramentum ſuſcepiſſet, id penitus ejus memoria effluxurum fuiſſe, ut demum Magdeburgi ſe altera vice confirmari petiiſſet, aut admiſiſſet. Ceterum hic idem Adalbertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus multis poſterioribus ſcriptoribus errandi occaſionem præbuit, ut cum S. Adalberto noſtro con- *Acta Sanct. ad 23 April. c. 1. §. 4. p. 188.*

confunderetur, quod in quibusque veteribus ad *Pruzos* & *Pruſſos*, quem admodum noſter, miſſus legatur, qua in re illis facem præluxit Glaber Rodulphus.

ANNUS 961.

Boleslaus novâ expeditionem in Moraviam adornat.

Vix hieme ſeneſcente tempus vernum appropinquarat, cum Boleslaus deliberatione inita conſtituit per ſe ipſum rem in Moravia agere, quam valido inducto exercitu peſſumdare animus erat, ut poſthac regionem ſuam a Moravorum irruptionibus ſecuram præſtaret. (a) Aſſumtis itaque haud multo amplius bis mille viris infra munitiones caſtri Oheb caſtrametatus eſt, majora auxilia iſthic e ſuis propediem exſpectans. At fortunæ viciſſitudo conſiliis ſpebusque tantis mox tertio die multum fellis adſperſit. Nam peſtilentia ſæva prorſus atque immanis militem aggreſſa intra

Peſtilentia.

16 dierum ſpatium maximam partem depaſta eſt. Cadavera in ſcrobes ſilvæ Hrobicze nomine injecta. Tam atrox malum, quod tamen intra unius exercitus numerum claudi poterat, pejore inſuper conſilio immenſum crevit. Viſum eſt Boleslao morbidi militis reliquias diſſolvere, Pragamque reducere. Id vero fuit ardentem pruinam, aut urentes ventos immittere ſegeti ac pomariis. Namque ſparſus per Pragam & Kaurzimium Sateciumque miles omnem repente Bohemiam afflavit, ut necdum vertente anno ſcribat Klipta duas partes hominum lue abſumtas. (b)

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 961.

JOANNIS XII. AN. 6. OTTONIS M. 25.
BOLESLAI I. AN. 25. MICHAELIS EP. RAT. 18.

(*a*) Conveniſſet Hagecio indicare, cuinam his annis paruerit Moravia, cum hoſtem perpetuo Bohemorum declaret, tantumque incenſum Boleslai animum depingat, ut eam peſſumdare intenderit. Moraviam his annis penitus jam ſubjectam fuiſſe Bohemiæ Duci, controvertet hac hiſtoriæ luce nemo, & profecto univerſam non multo poſt ſub finibus Epiſcopatus Pragenſis cenſam fuiſſe ſuo loco oſtendemus.

(*b*) Hunc Kliptam paulo ſuperiorem ætate fuiſſe Hagecio jam alibi innuimus, nec vero de lue apud vetoteres memoria, quæ procul dubio a Klipta in paulo ſuperiores annos rejicienda fuit, quibus etiam in Germania Galliisque eam graſſatam coævi teſtantur.

PRÆTERMISSA.

Jam anno ſuperiore Joannes XII. Pontifex, ut Continuator Rheginonis & Annaliſta Saxo refert, legatos ad Ottonem miſerat: *vocantes Regem ad defendendam Italiam & Romanam rempublicam a tyrannide Berengarii.* Is itaque præſente anno, antequam iter in Longobardiam adornaſſet, *maximam ſuorum fidelium* (inquiunt iidem) *multitudinem Wormatiæ coadunavit, ubi conſenſu & unanimitate regni procerum, totiusque populi filius ejus Otto Rex eligitur, indeque progredicns convenientia quoque & electione omnium Lotharienſium Aquis Rex ordinatur.* Quanquam teſtatum haud habeamus huic Wormatienſi placito Boleslaum interfuiſſe, condecorandæ tamen tantæ ſolemnitatis ergo (nec enim adhuc cum recentioribus quibusque noſtris ſuffragium Bohemiæ Duci in electione Germaniæ Regum concedere fas eſt) ſeu ab Ottone officioſe vocatum, ſeu ſponte adfuiſſe per quam credibile eſt. Peſſina noſter memorat præterea Ottonem hoc anno alium *Ratisbonæ ſolemnem conventum Principum Imperii egiſſe, ad eum vocatum quoque Boleslaum officio & dignitate ſupremi coquinæ Imperialis Magiſtri, ſeu quod idem eſt, S. Rom. Imp. Archidapiferi decoratum fuiſſe.* Sed quemad-

Peſſina in Phoſphoro ſeptic. p. 163.

admodum hanc Imperialis Coquinæ Magistri dignitatem inter insulsissimas fabulas reponendam esse ad annum 964 ostendemus, ita de conventu aliquo Principum Ratisbonæ hoc anno celebrato altissimum inter veteres silentium. Præter Wormatiense illud placitum, quo electus filius in Germaniæ Regem, alius omnino Conventus Magdeburgi legitur, quo in præsentia Legatorum Domini Apostolici, plurimorum Episcoporum (quos inter etiam Michael Episcopus noster refertur) Marchionum Comitumque corpus S. Mauritii & quorundam Sociorum in Magdeburgensem Ecclesiam illata sunt. Atque is conventus ante Wormatiensem accidit, cum eo demum finito paulo post Otto ad Italiam transierit.

Annalista Saxo ad h. a. Concilia Germ. T. II. p. 626.

ANNUS 962.

Magna telluris ariditas.

Ne quid ad malorum cumulum deesset, prioris anni pestilentiam consecuta telluris ariditas, totum enim annum, haud aliter atque si clausum fuisset cœlum, nullos emittebat imbres. Quare raris fontibus Albis, Moldavæ, Izeræque aquæ putescere, lacus exsiccari, ut non modo silvestribus animantibus, sed & ipsis hominibus deficeret potus ad restinguendam sitim. Mense Novembri tanta nivium vis dejecta nubibus, ut gravitate sua arborum frondes domorumque tecta perfringeret, atque supprimeret, profunditate nec hominibus e domibus nec feris e suis latebris liberum egressum faceret. Octavo die, quitum in III Idus Novembris incidit, (a) uno velut momento temporis omnis hæc nivium moles in aquas abiit, unde tam vastæ eluviones per omnes rivos fluviosque, præsertim Albim, consecutæ, quæ omnem illi confinem planitiem ad oceanum usque misere de-

Mubes nix.

Exundatio aquarum.

po-

populatæ ſunt. Horum omnium memoria ut ad poſteros pertingeret, Boleslaus ſingula diligenter per ſcribas notari, atque ſacrario ſuo, inter cetera Ducatus cimelia, æternitati ſervanda, inferri juſſit. (b)

ANNUS JESU CHRISTI 962.

JOANNIS XII. PAPÆ AN. 7. OTTONIS. M. IMP. AN. 1. REG. 26.

BOLESLAI I. AN. 26. MICHAELIS EP. RAT. 19.

(a) Lupacius ex hoc Hagecii indicio tertiam Novembris hujus anni a maximis nivibus memorabilem in Ephemerides ſuas retulit.

(b) Ejusmodi frivolo teſtimonio paſſim Hagecius narratis ſuis auctoritatem conciliare adniſus eſt, quæ quomodo omnium ſe ſuperiorum hiſtoricorum noſtrorum oculos & induſtriam ſubterfugere potuerint, quis cogitatione aſſequatur? & quod nemo non miretur: omnia hæc ipſum Dalimilum rerum iſtiusmodi ingenioſum architectum latuerunt. Coſmas ingenue confitetur, ſe nihil de Boleslai I. geſtis temporibusque præter ea de ſeveritate reperiſſe; quare paſſim apud eum ingentes annorum hiatus ſpectare licet, nec ad hunc annum aliud, quam iter Ottonis in Italiam, quod ex Rheginonis Continuatore excerpſerat, conſignavit, quo commemorato ad annum 967 mortemque Boleslai tranſilit. Alia magis patriæ profutura ex hoc ſacrario procul dubio accepiſſemus, ſi mos eorum temporum hæc adnotare tuliſſet.

PRÆTERMISSA.

I. Ad temporum iſtorum ſeriem elucidationemque non prætermittendum, quod paſſim hoc anno veteriores de Ottonis Romana coronatione referunt. Compendio hic verba Continuatoris Rheginonis adjicere libet: *Rex natalem Domini Papiæ celebravit, indeque progrediens Romæ favorabiliter ſuſceptus, acclamatione totius Romani populi* *Cont. Rhegin. ad h. a.*

& Cleri ab Apostolico Joanne filio Alberici Imperator & Augustus vocatur & ordinatur. Cetera, quæ de Berengarii filiorumque Adalberti & Guidonis bellicis expeditionibus atque obsidione narrantur, merito prætermittimus. Subjicit vero idem Continuator: *Papa quoque multa illum* (Ottonem) *secum charitate detinuit.* Scilicet præter gravissima alia negotia, isthic etiam actum de erectione Archiepiscopatus Magdeburgensis, qui in hoc nostro regionum confinio primus fuit inter Slavicos, exemploque ac stimulo fuit aliis vicinis Slavicis Principibus ipsique Boleslao nostro, ut de episcopatuum erectione in terris suis cogitare occiperent. Synodo itaque Romæ habita (cujus sex Canones leguntur apud Leukfeldium, cuique Michaelem Episcopum nostrum interfuisse ex Annalista Saxone* discitur) decreta est per Bullam erectio hujus Archiepiscopatus, Merseburgense monasterium in episcopalem suffraganeam sedem converti jussum, admonitique *Mogontienses, Trevirenses, Colonienses, Saltzburgenses, Hanimaburgenses Archipræsules, ut Magdeburgensis monasterii in archiepiscopalem, & Mersburgensis translationis in episcopalem sedem totis cordis corporisque viribus consentanei fautores existant.* Accidit nihilominus, ringente pene Ottone, ut propter diœcesium & diversorum Episcoporum, præsertim Halberstadensis, quæsita jura rem nonnisi post plures annos ad effectum deducere potuerit. Quod ipsum cum in erectione Episcopatus nostri Pragensis accidisse suo tempore probaverimus, nemo mirabitur. Nam quanquam Boleslaus I jam a Joanne XIII per Miladam filiam suam facultatem impetraverit erigendi Pragensis Episcopatus, tamen propter Episcoporum Ratisbonensis & Laureacensis motas controversias, negotium istud nonnisi sub filio ejus, imperiique illius anno sexto, successore vero Joannis Benedicto absolutum est, ut suo loco ostendemus.

Leukfeld in antiquitat. Halberstat.

Bulla hæc habetur apud eundem Leukfeld N. 26. Sam. Lentzen in hist. Archiep. Magdeb. & in Conc. Germ. T. II. p. 627.

* *Annalista Saxo ad an. 961.*

II. Hoc anno Adalbertum gentium Episcopum ex Russia rediisse jam supra ad an. 960 insinuavimus, unde videlicet eum odium cumprimis Græcorum sacerdotum, quos multo ante Inger & Helena secum Constantinopoli eduxerant, exturbavit. Per Bohemiam eundem rursus reditum suum adornasse, multum credibile est; at quod eodem anno primum S. Adalbertum jam tum septennem confirmaverit, ex rationibus supra allatis concedi vix potest. Concinnius autem ad hunc aut priorem annum referendum est, quod alter Biographus de pueritia illius jam jam literis apta, ac quadam levitate animi severius a patre castigata narrat. Adalbertus, inquit, *cum intra plenilunium sensibilis pueritiæ*

Acta Sanct. ad 23 April. c. 1. §. 3. p. 188.

tiæ veniſſet, rudisque linguæ meatus ad loquelam extenderet primis elementis inficiendus presbyterorum datur in manus. Tunc (impulſus timore quodam) qui cunabulis pueri familiarius adhæſit, arduum deſperans iter, parandis litteris ſe comitem ſubtraxit, ſemelque & ſecundo concita fuga ad dulces parentes perrexit. Quo ſcito pater infrendens, diris ictibus & vitalibus plagis fugam correxit, & cum indignatione ſequens, non ab re filium tradidit ſalutiferis ſcholis. Nam aperuit DEus puero aurem cordis, & interjecto menſis ſpatio tanta gratia perfudit, ut exinde parendo ſeniori, uſque ad unguem Philoſophiæ, ejus papas morum & magiſter ſenſuum foret. De hoc S. Adalberti Papate, (qui a Biographo poſterius Clericus vocatur, ex prioribus autem ejusdem allatis verbis jam presbyter fuiſſe conjicitur) ſæpius nobis redibit ſermo, oſtendemusque non alium fuiſſe ab Anaſtaſio, qui dein primus Brevnovienſium Abbas fuit. Ceterum prior vitæ author ſummo compendio pueritiam S. Adalberti abſolvit: *Puer autem* (inquit) *proficiens ætate & ſapientia, ubi tempus erat, Chriſtianis imbuitur literis.* Recteque ſubjicit Henſchenius, illum hoc puerilis ætatis delictum potuiſſe prudenter ignorare. *ibid. p. 189*

ANNUS 963.

Otto Imperator hujus nominis primus Henrici ex Mechtilde filius imperii ſui ſecuritati quietique proſpecturus Principibus ſuis ſolemnem conventum indixit ad XV Kal. Aprilis Ratisbonam, (a) ad quem inprimis Boleslaum per legatos evocavit. Neglexit, contempſitque mandatum Boleslaus; quod indigne ferens Imperator per alios rurſum legatos jubet, exemplo ceterorum Principum adeſſet, clientemque ſe profiteretur. Legatis a Boleslao reſponſum: Nihil Cæſari unquam in majores ſuos juris fuiſſe, neque Duces

Boleslaus ab Ottone Ratisbonam vocatur

Bohemiæ unquam aliquo clientelari officio ſeu ipſi ſeu alteri fuiſſe obnoxios. Quodſi ſervitia clientelæque illi deeſſent, undecunque ea pararet, Ducem Bohemiæ pariturum nunquam. Reſponſum hoc Boleslai ſuperbius atque indignius, quam ut Cæſaris aures ferre poſſent, non mediocriter Ottonis animum pupugit, quem ut magis magisque legati ad iracundiam incenderent, refricant illi nefarie per inſidias ſanctiſſimi fratris Wenceslai interfecti memoriam, quo indigniſſimo auſu ſibi Principatum Bohemiæ præter ullum Imperatoris aſſenſum vendicaſſet, exaggerato denique aſperi trucisque Bohemi ingenio nullum non movent lapidem, ut vindicem manum in contumacem exerat. Hac legatorum oratione nullo pene negotio irritatus Ottonis animus non tam contumaciæ, quam innocenter effuſi fraterni ſanguinis cauſa Bohemis bellum inferre decrevit. (b) Verum tamen imminentem hanc tempeſtatem quo minus Otto eodem anno in Bohemos exereret, factioſa Roma, ſciſſaque per eos dies inter duos Pontifices Joannem XII. & Benedictum eo nomine VI. de Pontificatu furioſis animis digladiantes, obſtitit. Quibus turbis ut Imperator modum faceret, arma in Italiam convertit, capta urbe, veroque Pontifice Leone conſtituto in Germaniam rediit. (c)

Legatis aſpere reſpondit.

Expeditionem adverſus Bohemos decernit Otto.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 963.

JOANNIS PAPÆ XII. AN. 8. OTTONIS M. IMP. 2. REG. 27.

BOLESLAI I. AN. 27. MICHAELIS EP. RATISB. 20.

(*a*) Weleslavinus diem hunc in Calendarium ſuum tanquam certum retulit. Lupacius vero, cum advertiſſet hoc anno Paſcha XIIII. Kal. Maji incidiſſe, qua feſtivitate paſſim ſolemniores conventus ab Imperatoribus celebrari ſoliti, diem XIV. Kal. Maji ſubſtituit. Peſſina rurſum, cum hoc & priore anno Ottonem Romæ fuiſſe ex ſinceriorib hiſtoricis legiſſet, conventum plane duobus annis, uti ſupra vidimus, præoccupavit. Sed Ratisbonenſia illa Comitia anno 960 celebrata non fuiſſe, jam ad eum annum oſtendimus, quæ multo minus in hunc annum conjici poſſunt. Conſtat enim ex Continuatore Rheginonis ceterisque vetuſtis, Ottonem tam Natalem Domini quam Paſcha in Italia celebraſſe, totumque annum iſthic diverſis civilibus eccleſiaſticisque negotiis exegiſſe, quod præſertim ex diplomatibus illius, diverſis Italiæ locis ſubſcriptis, manifeſtum fit. *Peſſina cit. l.*

(*b*) Hem! quanto Chronologiæ vitio in hæc primum tempora Hagecius Ottonis bella rejecerit, quæ profecto 27 annis prius commemoranda fuiſſe, ex hiſtoricis, quorum Catalogum Annalibus ſuis præjecit, diſcere potuiſſet, ſi eos duces ſequi animo illius allubuiſſet.

(*c*) Et hæc hiſtoriæ vim maximam inferunt. Benedictus enim primum anno ſequente, Joanne XII demortuo, electus eſt. Leo vero iſte fuit *Pſeudo* non *verus* Papa, qui hoc anno Romæ præſente Ottone a quibusdam Epiſcopis contra Joannem XII electus, & illicito prorſus auſu intruſus fuit, ut copioſiſſime iſta a Luitprando ſeu illius Continuatore enarrantur.

PRÆTERMISSA.

Continuator Rheginonis poſteaquam hoc anno Italiæ caſtellum *Gard* captum narraſſet, ſubdit: *Apud nos quoque Sclavi, qui dicuntur Lunſinzani ſubduntur.* Sed qui rurſum hi Slavi Luſinzani, quorum no- *Contin. Rheg. ad h. a.*

men

men nuſpiam alias proditum, nec pagum eorum ſitumque a Gundlingio aut Abbate Gotvicenſi indicatum habemus. Plerique rerum Luſaticarum ſcriptores Luzanos ſeu hodiernos Luſatas indigitari ſuſpicantur, ſed præterquam quod illi paſſim nomine Luſiziorum a Rheginone referantur, jam ad annum 959 oſtendimus hos Luſizios ſeu Witichindi Luſikos *victos & ad ultimam* ſervitutem redactos, ab eoque pago & Marchia Geronem nomen & titulum Marchionis Luſizi traxiſſe. Ajo itaque veroſimillime hanc vocem peregrinam, quemadmodum ſuperiorem Witichindi *Licicaviki* corruptam eſſe, & non ſecus atque ſupra *Sleſani* legendum eſſe, quibuscum hoc anno Geroni Marchioni negotium fuiſſe innuit Annaliſta Saxo his verbis: *Interim Gero, orientalium Saxonum marchio Luſizi & Selpuli Miſeconem quoque cum ſibi ſubjectis Imperiali ſubdidit ditioni.* Quod utique nemo de univerſa Polonia, ſed Sileſiæ parte Geroni Marchioni confini acceperit, quam Meſiconis imperium reſpexiſſe jam ad annum 958 docuimus. Subjectio vero ea non habuit ampliores limites quam tributum annuum, quod omnino ea Poloniæ pars Ottoni ſucceſſoribusque dependebat, in quo præſtando cum moroſi obnitentesque eſſent Polonorum Duces, etiam multo poſterius expeditiones a Germaniæ Regibus ſuſceptas fuiſſe legemus. Et vero hoc annorum confinio Miſeconem inter & Ottonem ceſſaſſe inimicitias ex ſilentio veterum conjicitur. Nam & Witichindus de bello Wigmanni adverſus Miſeconem conſequentibus annis ſuſcepto agens, *Miſacam amicum Imperatoris* appellat.

Annaliſta Saxo ad h. a.

Witichindus l. 3.

ANNUS 964.

Otto valido exercitu ingreditur Bohemiā.

Necdum Imperatoris ſtomachus indignum illud ſuperioris anni reſponſum Boleslai concoxerat; itaque dubio adhuc vere (a) Bohemiam, qua Bavariæ finitima eſt, valido exercitu ingreſſus, vaſtabat. Cujus fama conſternati regionum Præfecti, cum viderent, non jam cum vago Moravo aut inſtabili Hunno, ſed bellicoſo Cæſare & triumpha-

phalibus copiis rem sibi esse, universi Boleslaum Wissehradi adeunt præter arma Martemque non aliud quam ferociam spirantem. Excepta est sæpius ad pacis clientelæque nomen indignantis vox: Perire malim, quam servire Cæsari. Nec aliud urgente Principe regionum Præfectis reliquum erat, quam militem Bohemum copiis Ottonis opponere, ulterioribusque in Bohemiam insultibus frænum injicere. Cæsar audito Bohemos contra se adventare, missis in Bavariam nunciis, ab alia parte alteram Germanorum manum in Bohemiam infundit. Quæ hostium multitudo parum fortes Præfectos penitus exanimavit, ut iterum iterumque Boleslai aures pulsarent, deditionem faceret, indignum quippe probrosumque haud esse, clientelæ officiis obnoxium esse Cæsari. Cujuscemodi, jam precibus jam minis, jam suis, regionisque universæ periculis ob oculos positis, tandem locum concessit Boleslaus, ut legatos mitteret nunciatum, se propediem adfuturum dictis Cæsaris parentem. At vero contempta legatione magis magisque Bohemiæ fines vexabat Otto; jamque Boleslao de alio consilio placandi Cæsaris cogitandum erat. Assumtis nonnullis servitiis eques ad hostium castra contendit, comitibus in vico proximo subsistere jussis, unus solusque Cæsarem adit, quem ut primum in conspectu habuit, equo desiliens provolutusque in genua veniam flagitat. Rogatus a Cæsare quis esset? & cujus delicti gratiam peteret? Vide Cæsar, inquit, quid tua possit virtus nominisque fama: Boleslaus sum Dux Bohemiæ in DEum Majestatemque tuam injurius, ultro ad te supplex venio pacem rogatum, habiturus ne-

Boleslaus opposuit militem Bohemum.

Otto altero exercitu irrumpit in Bohemiam.

Boleslaus veniam ab Imperatore flagitat

neminem Boleslao obſequentiorem, ſi animum ad veniam inflectis. (b) Nec deerat Principum, Comitumque Imperii ſuffragium, Boleslaum venia dignum pronunciantium. Preſſit inter hæc longius linguam Imperator, ac denique infit: quid quid in ſe peccatum eſſet, impunitate facile donari; at cædem innocentiſſimi fratris vindictam expoſcere; quam cum Principes Imperii DEO competere, eidemque permittendam eſſe dictitarent, mitigatus tandem Ottonis animus veniam dedit, ea tamen lege, ut tam Boleslaus, quam omnes poſteri Bohemiæ Duces ſibi ſuisque ſucceſſoribus clientelæ officiis adſtringerentur. Quorum ut jam coram Boleslaus documentum præberet, coquinari miniſterio perpetuo addictus, caldarium ſuper igne verſare juſſus eſt. (c) Huc condemnatus Boleslaus, cùm nil officii ſui prætermitteret, ſtipiti inſidens aliquando fumum oculis extergebat, interveniens Cæſar ſtare, caldariumque furca verſare præcepit. (d) Erat ea regione, qua caſtrametatus eſt Otto, haud ignobilis vicus Draſtow nomine, quem is ædibus ornatum, murisque cinctum in civitatem extulit, & quandoquidem hic loci latino idiomate verba: *Tu ſta* ad Boleslaum ſtipiti inſidentem Imperator prolocutus eſt, locum poſt hac Tuſtam appellari voluit, (e) quod nomen latinum in hunc diem civitas obtinet, Tevtones quidem Tauſs, Bohemi Domazlicze, ſane haud alia ratione, vocant, quam quod latrocinationum mox poſito interdicto, Ottonianus miles offenſus moribus atque importunitate Bohemorum, ſæpius cum indignatione cum eisdem expoſtulaverit: non tam protervos futuros in Germania, quales quantique domi ſuæ eſſent. (e)

Boleslaus ad coquinare miniſterium condemnatur.

Caldarium verſat.

Tuſta urbis fabuloſa origo.

Ea

Ea ſcena peracta, Boleslaus militiæ Præfectos cum copiis Pragam redire jubet; ille cum 20 equitibus Ottonem Ratisbonam ſecutus, & iſthic coquinari ſuo munere defunctus eſt. Indignitate tam ſervilis miniſterii commoti Principes, Ottoni Ducalem Boleslai prærogativam in memoriam revocant, eidemque ſupplices fiunt, ut ſin minus pœnam tollat, certe mitiget. Vocatum ad ſe ſciſcitatur Imperator: quod legionum ſignum, quemve Ducatus ſui clypeum gereret? a quo cum audiret: nigram aquilam in candida area, ſuum majorumque omnium gentilitium ſcutum fuiſſe; perſequitur ulterius quærendo Otto: a quo Imperatorum, aut qua ratione clypeum iſtum conſecuti fuiſſent? ad quæ Boleslaus: Iſtud quidem me ignorare ultro profiteor; at ſi opinioni locus eſt, Conditor gentis Czechus ante annos trecentos ſupra viginti eum ex Croatia ſecum attulit; cujus uſus apud majores meos gentemque haud interrupta ſerie in hunc diem perſtitit. (f)

Boleslaus Ottonem ſequitur Ratisbonam.

Reſponſis ſubjecit Cæſar: facinus tuum, negataque legitimo Principi fides & clientela nec tibi, nec poſteris tuis hunc clypeum ultra concedunt. Cumque tertio Principum ſuffragia pro Boleslai impunitate intercedunt, Otto exercitum quidem tranquille in Bavariam redire, Boleslaumque libertati reſtitui jubet; at ea lege, ut omnibus Ducibus Bohemiæ ſanctum poſthac eſſet, ad nutum Romanorum Imperatoris vicarium in coquinæ miniſterium ſubmittere, in geſtorum vero perpetuam memoriam caldarium in rubeo ſeu flammeo campo pro clypeo aſſumerent. (g) Eo pacto captivi-

Caldarium in rubeo campo Bob. Ducibus in clypeum datur.

tate liberatus Boleslaus, vexillum scutumque militare caldario ornatum Pragam detulit, aquilaque nigra, priscum decus, evanuit. (*b*)

ANNUS JESU CHRISTI 964.

BENEDICTI V. PAPÆ AN. 1. OTTONIS M. IMP. 3. REG. 28.

BOLESLAI I. AN. 28. MICHAELIS EP. RAT. 21.

(*a*) Ottonem non modo ver, sed & adultum autumnum traduxisse in Italia, indubium est. Habemus a Synchronis universum anni hujus tempus accurate expeditum: Natalem Domini celebravit Romæ, tumultu ibidem sub principium anni sopito, in Spoletinum & Camerinum Ducatum discessit, mansitque usque ad Pascha, quod ibidem celebravit. In Majo (quo mortuus Joannes XII, contemtoque Leone a Romanis, electus Benedictus) obsedit Romam; In Junio, festo Præcursoris Domini, deditio facta, traditaque illi urbs. Autumnale tempus in Liguria, *paci & otio vacans, & se venationibus exercitans*, exegit. Neque audiendi quique nostri, qui solum in his narratis Chronologiæ vitium ab Hagecio admissum, retroque historiam hanc ad bellum Ottonis cum Boleslao gestum spectare contendunt. Legimus ibidem ex coævo Witichindo belli istius principium exitumque, an pene verbo, seu locum, seu modum circumstantiasve spectes, relatis Hagecii respondet? Tota anni hujus historia fabulam olet, ut jam Stranskius innuit.

Contin. Rhegin. & Annal. Saxo ad h. a.

Stransky Reipubl. Boj. c. 1.

(*b*) Quam effœminatum Boleslai tot victoriis inclyti animum, adversus omnium veterum testimonium, effinxit Hagecius!

(*c*) Haud mirum esset, si fabulæ hujus tam insulsæ primus prolator Germanus exterusve scriptor esset; at, quantum constat, illa intra fines patrios nata est, Dalimilumque primum authorem habet, cujus hi versus sunt:

Czieſarz

Cziesarz Czechy bogem poby,
A Zemi wdan poroby,
Kniezy Czeskemu za służbu gmieti,
Kotel nad ohniem v dwora drzieti.

E quibus Hagecius, seu illo quicunque anterior, hanc longissimam tragœdiam architectatus est. Circumspectior tamen in definiendo tempore fuit Dalimilus Hagecio; nam narrationem hanc statim illi anno, quo S. Wenceslaus martyrio affectus, & Boleslaus Principatum assecutus est, illigavit.

(*d*) Jam Balbinus origini hujus fabulæ ex Miechovii Sarmatia Europea præluſit, qua ſimile quid de quatuor regulis Slavorum ab Henrico II Imp. captis narrat. At vero Miechovius rem ex Alberico Monacho Trium Fontium hauſit, cujus verba ſunt: *Hos populos* (Venedos) *Henricus tributurios fecit, ita ut in omnibus ſoleminitatibus, quibus coronabatur, quatuor Reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur, in humeris ſuis duobus vectibus per annulos quatuor inductis in coquinam vectitarent.* Quæ veroſimillime ſummo Chronologiæ, regionum, perſonarumque vitio Boleslao noſtro aſſuta eſt. Fruſtra autem Balbinus hanc fabulam *ab exteris Slavico & Bohemico nomini infenſis ſcriptoribus* genti noſtræ affictam contendit; nam exploratum eſt, Dalimilo noſtro vetuſtiorem inveniri neminem. Fruſtra etiam Goldaſtus, itemque Balbinus ſtatuunt: *Abenum illud ab Ottone Magno non ignominiæ, ſed honori maximo Boleslao, & amicitiæ ac dignitati novæ datum eſſe.* Tale tantumque & clypeus & univerſa narratio mendacium eſt, quod cæcus, ut ajunt, palpet.

Balbin. in Epit. l. 2. c. 3. p. 107

Albericus ad an. 1003

Balb. c. l.

Goldaſtus de Regno Bob. l. 2. c. 3. Balb. c. l.

(*e*) Hæc ejusdem furfuris cum prioribus ſunt. Unde autem Tuſta nomen invenerit, exploratum haud eſt. In codice ſæculi octavi Traditionum S. Emmeramenſium in quadam commutatione inter Abbatem Ramuoldum & Ulricum nobilem inita nominatur locus *inter confinia nemoris Tus in holz, ac fluenta fluminis Regan*, conjiciturque ex locorum deſcriptione, hoc nemus, *Tus* appellatum, reſpexiſſe Bohemiam, inter quod, & flumen Regan locus commutandus ſitus erat, adeo ut illam partem ſilvæ Herciniæ, hodiernam Tuſtam reſpicientem, antiqui-

Apud Bern. Pezium T. I. c. 17.

tus *Tus* appellatam fuisse, cognoscamus. Quid si jam dicamus, ab hoc nemore *Tus* appellato conditam in eo, aut viciniſſimam civitatem, & latinum nomen *Tuſta* & germanicum *Taus* (vocali *u* viciſſitudine temporum & nominum in diphthongum *au* deflexa) accepiſſe? Conjecturæ huic ſuppeditat quædam præſidia diploma Henrici Imperatoris, quo deſcribuntur primitivi termini Epiſcopatus Pragenſis. Primus ab occidentali plaga memoratur *Tugaſt*, in quibusdam exemplaribus *Tugoſt* & *Tugocz*, quem ſequitur *Cheb* ſeu Egra fluvius. Jam ex alibi dictis conſtat, ſecundum diverſam slavicam veterum dialectum vocem *gaſt* & *goſt* ſignificaſſe ſilvam & lucum, ſic enim ab ipſo Ditmaro *Radegaſt* lucus conſilii ſeu oraculi appellatur. Quidni ſuſpicemur per hanc vocem *Tugaſt* eandem ſilvæ Herciniæ partem *Tus* dictam innui, atque compendii & euphoniæ cauſa pro *Tus gaſt* appellatam fuiſſe *Tugaſt*, quod veriſimilitudine haud deſtituitur. Nam hæc eadem Tuſtenſis, ſilvæque Bohemicæ regio primum ab occidentali plaga terminum Epiſcopatus Pragenſis, Ratisbonenſem contingentis, conſtituit olim, hodieque. Sed in re tam obſcura verbis mihi Stransky uti liceat: *Domazlicium Germani Tauſſium, latini Tuſtam vocant. Qua de cauſa, ipſi viderint, modo ne ad tritam illam de Ottone Magno fabulam confugiant.*

Apud Coſmam ad an. 1086

Stransky Reipl Boj. t. 2.

(ee) Interpolator Calendarii Weleslavini nomen *Domazlice* ipſa civitate vetuſtius eſſe aſſerit; ſilvas enim hic exciſas, locumque cultum eſſe ad cohibendas latrocinationes, ſecuritatemque majorem iſthic ſub ingreſſum ſilvæ Bohemæ viatoribus præſtandam; a deprædationibus autem, quas paſſim viatores minus armis inſtructi, per hæc ſilvarum latibula experiebantur, locorum iſtorum confinia nomen inveniſſe *Doma ſlik ſe*, quaſi dicas, *domi te veſtimentis exue* ut ſcilicet vacuus coram latrone & prædone cantes; paſſim enim veſtibus fortunisque orbatos fuiſſe viatores per hæc opaca ſilvarum, compendio autem has tres voces in unam contractas, & in nomen *Domazlice* temporum curſu tranſiiſſe. Quo fonte hæc Anonymus hauſerit, nuſpiam prodit; id tamen etiam poſterioribus temporibus exploratum habemus, ſilvas has a prædationibus fuiſſe infames, ut in iis locus etiam Fleiſchbank, quaſi macellum itinerantium dicas, nomen invenerit. Similis pene nominis ſilva eſt in Moravia Olomucium inter atque Lipnicium, quæ ab ejusmodi deprædationum frequentia nomen slavicum *daſch kabat*, quaſi dicas *veſtem da*, aut *dabis*, invenit.

(f)

(*f*) Quid de tribus fluviis, aut aquila, primis illis gentis Ducumque noſtrorum clypeis, ſentiendum ſit, jam copioſe egimus P. II. p. 161 & maxime P. III. p. 642, quo loco quæſtionem hanc de induſtria peculiari paragrapho examinavimus.

(*g*) Quemadmodum locis mox indicatis aquilæ originem ad hæc tempora nequaquam ſpectare docui, ita (quid quid obtendant noſtri ſententiis alioquin inter ſe maxime diſcordes) ajo, clypeum hunc in area rubra caldarium aut lebetem referentem inter eadem ſomnia rejiciendum eſſe, accedoque penitus ſententiæ doctiſſimi Schminkii his verbis Goldaſtum & Balbinum confutantis: *Miror Goldaſtum & Balbinum argumentari ex ſcriptoribus nimis recentibus, quorum fides in rebus tot ſæculis ante ſe geſtis non ſolum ſubleſta, ſed plane nulla eſt. Nam inſignia, uti hic deſcribuntur, tunc temporis adhuc erant incognita, & quamdiu archiofficia ambulatoria, tamdiu etiam nulla inde inſignia certæ familiæ adhæſerunt.* Ad ea, quæ Balbinus in Epitome ſua obtendit: *Multas Boleslai, atque ejus filii imagines vidimus cum aheno, bodieque in templo S. Laurentii ſuper Pragam (quod filius condidit) abenum pictum ſpectatur*, reſpondeo: optandum fuiſſe, ut Balbinus earum imaginum ætatem, aut locum, quo ſervantur, indicaſſet, quo eas critice exigere, judiciumque ferre hodie integrum eſſet. At procul dubio nullam Hagecii ætate vetuſtiorem viderit Balbinus, qui primus omnium hujus narrationis author eſt. Quanquam enim Dalimilus brevem, ut vidimus ſupra, mentionem hujus caldarii faciat: nuſquam tamen is, aut eo poſterior, ante Hagecium in clypeum gentis aut Ducum aſſumtum tradit; imo Balbinus aſſerti hujus falſitatem ex ipſo ſigillo clypeoque Boleslai filii, quod ipſe pagina 30 ex diplomate Brevnovienſi deſcribit, cognoſcere potuit. Quod ad picturam aheni, quæ in templo S. Laurentii ſpectatur, attinet, eam Balbinus vix quidem hujusce ætatis fuiſſe ſibi perſuaſerit, quandoquidem Eccleſiam hanc jam toties reformatam non ignoravit; ea ſi fuit ætate Hagecii vetuſtior, certo clypeum repræſentavit cujus cujus demum familiæ, quæ templum hoc innovavit, auxit, aut fundatione aliqua locupletavit. Nam conſtat Teynskianam, Guſmanianam, Saarianam aliasque complures equeſtres familias diverſa forma & numero lebetes, & caldaria in clypeis ſuis geſtaſſe, ut taceam, ne quidem adhuc vetuſto aliquo documento oſtenſum eſſe, Eccleſiam hanc a Boleslao Pio fuiſſe conditam. De Eccleſia in monte Rzip ab eodem a fundamentis erecta habemus Marignolæ l. 3. teſtimonium;

Balbin. Epit l. 2. c. 3. p. 107

nium; de Ecclesia in monte Petrzin nullum idoneum hactenus in manus meas incidit. Ceterum num Balbinus vigili oculo usus sit in explorandis illis clypeis *Archidapiferorum Palatinorum*, qui, ut ille pag. 108 ait, caldarium repræsentarunt, multum dubito. Nam, quantum ego me observasse hactenus memini, nuspiam caldarium, aut lebetem deprehendi, sed patinam altera simili patina coopertam, quam plerumque Archidapiferi, dapiferique equis insidentes manu gestant; cujusmodi exemplum ut vel obiter exhibeam, lectorem ad Collectanea Genealogico-Historica Archivi statuum Austriæ, eorumque pag. 266 remitto, qua Pilgrinus de Puchhaim Dapifer Austriæ simili figura exhibetur. Fabula igitur est, ahenum istud postea *in mundi globum* seu *aureum pomum*, ut Balbinus vult, transiisse, eoque Archidapiferorum dignitatem etiam hodie connotari; nec enim Jacobus Spenerus in vastissimo suo Heraldico opere uspiam rei hujus meminit, aut globum pilamve inter Archidapiferorum symbola signaque reposuit; quin ex Wagenseilio, & Thulemario manifesto eruitur: Palatinos primum a Carolo V. hoc pomum aureum pro insigni Archidapiferatus accepisse, eosque prius non ahenum, sed campum rubrum, omni symbolo vacuum, pro clypeo gessisse.

Wegenseil de offic. imp. c. 12 Thulemar in Octovir. c. 15.

(*b*) Ex hoc loco nostri passim Archidapiferatum jure hereditario in Bohemiam Ducesque nostros ab Ottone transcriptum affirmant; sed Hagecio, si Theodoricum de Niem excipias, neminem inveneris ex nostris vetustiorem. Et vero idipsum inter sequiorum sæculorum deliramenta rejiciendum esse, convincit præsentium temporum ratio & historia. Mam 1mo certum est, ut recte innuit Conringius, Crugerus & Pfefinger, necdum sæculo X aut XI archioffieia fuisse hæreditaria, nec ad vitæ tempus unquam Principibus, qui ea semel obierant, fuisse collata; sed pro arbitrio Imperatoris quibus quibus demum eminentioribus charioribusque fuisse demandata. Sic in solemnitate inaugurationis ejusdem Ottonis M. Aquisgrani celebrata, legitur apud Witichindum: *Lotharíorum Dux Camerarius, Dux Alemanniæ* seu Sueviæ *Pincerna, Bajoariæ Dux Marescallus, Francorum Dux Dapifer.* In solemnitate vero Paschali, quæ Quedlinburgi anno 985 ab Ottone II celebrata est, legitur apud Ditmarum: Bavariæ Dux Dapifer, Sueviæ Dux Camerarius, Palatinus Pincerna, Saxoniæ Dux Marescallus; cui solemnitati cum interfuerit quoque Boleslaus Pius præsentis filius, eodem testante Ditmaro: cui fidem Hagecius, aliusve eo recentior faciet, Boleslao Sævo, ejus-

In vita Joannis XXIII apud Meibom. T. I. p. 47.

Couring. de reipubl. exercit. 10. Cruger de jurib. Novem virorum Dis 4 Pfefinger in notis ad Vitriarium. Witichind. l. 2.

Ditmarus l. 4. p. 349.

ejusque ſucceſſoribus Archidapiferi, aut *Supremi* (ut eum Ermoldus Nigellus vocat) *coquorum Principis* munus ab Ottone collatum fuiſſe. Verba Ditmari exſcribere juvat: *Celebrata proxima Paſchalis ſolemnitas in Quidilingeburg a Rege, ubi quatuor miniſtrabant Duces: Henricus ad menſam, Conradus ad cameram, Hecil ad cellarium, Bernhardus equis præfuit. Hic etiam Bolizlaus & Miſeco cum ſuis conveniunt.* Sed duo, & quod excurrit, ſæcula effluxiſſe, antequam jure hereditario Archidapiferatus in Bohemiam regesque noſtros (non Duces) fuiſſet tranſcriptus, ſuo loco teſtatum faciemus. *Apud Menken. T. I. p. 946.*

PRÆTERMISSA.

Nihil prorſum monumentorum legitimorum hiſtoria patria hujus anni ſuppeditat, tacentibus veterioribus, recentioribus vero in id unum intentis, ut ſupra narrata Hagecii amplificent, figmentis nova figmenta intexant, errores quosque manifeſtos fuco oblinant, narratis in transverſum actis tractisque pretium quoddam, & fidem emendicent. Quod vero ad chronologicam cumprimis Pontificum Romanorum, Imperatorumque ſeriem hiſtoriamque ſpectat, compendio ex Rheginonis Continuatore & Annaliſta Saxone referre libet. Et quidem captus in caſtello montis Leonis Berengarius cum Willa uxore, in Bavariam miſſus, poſtea in caſtello Babenberg vitam finivit. Otto deficientes ab ſe Romanos armis rurſum coegit ad fidelitatem jurejurando innovandam, obſidesque dandos. Verum Ottone vix longius ab urbe remoto, Joannem Papam admittunt, quo cognito Leo Pſeudopapa omnibus relictis ad Ottonem confugit. Joannes interea, ut narrat Sigebertus, collecto Cardinalium & Epiſcoporum concilio, ſynodum a Leone habitam damnavit, omnesque ab eo ordinatos gradu ſuo movit, nec multo poſt diem ſupremum obiit, in cujus locum Romani præter moram Benedictum, eo nomine quintum, in ſedem Pontificiam evexerunt. Siniſtre rem tulit Otto Imperator, & Romanos obſidione ad deditionem coegit, qua facta reduxit in urbem Leonem, conciliabuloque coacto, Benedictum legitimum Papam violenter gradu ſuo movit. Benedictus Hammaburgum in Saxoniam raptus, Adaldago Bremenſi Epiſcopo in cuſtodiam traditus eſt. Et cum, verba ſunt Adami Bremenſis, Leone Pſeudopapa demortuo, *Romanis poſcentibus a Cæſare reſtitui debuiſſet, apud Hammaburg in pace quievit. Cujus tranſitus III. Non. Julii contigiſſe ſcribitur.* *Contin. Rhegin. & Annal. Saxo ad h. a.* *Adam. Brem. l. 2. c. 6.*

AN-

ANNUS 965.

Sanctiſſimas cæremonias & auguſtos ritus, quos nuper in terris Cæſaris viderat, cupiens Boleslaus in patriam inducere, eademque ſimplicibus & veteris parſimoniæ Bohemorum ſacris adjicere, Eccleſiam Divi Viti magnifico ſumtu erexit, Sacerdotes, Clerum, aliosque literarum peritos viros præmiis invitavit. (a) Neque hic religionis promovendæ fervor ſubſtitit; namque ad ſenatum detulit conſilium de erigendo in Bohemia Epiſcopatu, & aliunde vocando Antiſtite. (b) Reſponſum a patribus eſt: explorandam Imperatoris ſententiam, porro autem, ut novus Antiſtes dignitatem cum auctoritate gerat, neceſſarios eſſe certos proventus, deque iis proſpiciendum. Ad quæ Boleslaus: ſibi poſthac ſedem Wiſſehradi futuram, Præſulis uſibus Boleslaviam cum vicina trans Albim regione futuram. Quod omnium calculis probatum eſt. (c)

Boleslaus magnificentius condit Eccleſiam S. Viti.

Epiſcopatum in Bohemia meditatur.

Eodem anno, demortuo Zemanislao Duce Poloniæ, Miesko filius ejus principatum conſecutus eſt, (d) cui pro ethnicæ illius ætatis more plures concubinæ erant. (e) Nec ei inter ethnicam miniſterialem turbam defuere Chriſtiani, qui, cum æquum ceteroquin Principem præcipuo amore complecterentur, crebrius aures ejus pulſabant: relictis, repudiatisque idolis, ac concubinis, ad ſacra Chriſtiana accederet, (f) virginemque ex eodem cœtu ſibi in ſponſam deligeret. (g) Miesko (h) juvenis ingenio acer tandem recte ſuadentium adquieſcit conſiliis, ea tamen lege, ut Regis aut Ducis Chriſtiani

Miesko Dux Poloniæ ſuccedit Zemanislao patri.

ſtiani filia ſibi nuptui traderetur. Nec mora, mittuntur legati ad Boleslaum Bohemum, filiaque Daubrawka, & forma ſua, & generis nobilitate, & cognatione gentis inſignis, ſponſa Mieskoni petitur, cui petitioni cum ultro Boleslaus ſubſcriberet, (i) dotemque eximiam filiæ numeraret, (k) ſumtu pene Regio Gneſnam deducta eſt. Hic diem toti Poloniæ, qui unquam illuxit, feliciſſimum Daubrawcæ videre licuit. Nam eodem, quo Gneſnam allata eſt die, Princeps ſponſus in legatorum Bohemiæ, Procerumque ſuorum corona ſalutaribus undis ablutus, Mieczislai nomen indeptus eſt. (l) Poſtero die nuptiæ regio apparatu celebratæ. Nec poſt multos dies edicto Mieczislai omnia ubique Deorum lignea ſimulacra igni exuſta pro nuptialibus tædis arſere, ſaxea æreaque in profluentes injecta, populus ad Chriſti fidem profitendam invitatus. (m) In cujus rei memoriam, hodieque anniverſario die per majorem Poloniam pueri innuptæque puellæ ludicra ſimulacra altis ſuffixa perticis, aut vehiculis impoſita circumferunt, eaque patrio quodam carmine diris devoventes in profluentem abjiciunt, indeque properato domos diffugiunt. (n) Hoc idolorum naufragium fit ipſa Dominica quadrageſimæ, quam vulgo Lætare, noſtri ab illis nuptiis: Nedêle Družebná, id eſt nuptialem vocant, (o) Tam ſanctas nuptias conſecutum eſt ingens per Poloniam Chriſtianæ rei augmentum: nam ipſe Dux non multo poſt Gneſnæ auguſtam Divæ Virgini baſilicam conſtruxit, mox alteram hortante Daubrawka Divo Wenceslao (cui patruus is Divus erat) condidit ac nuncupavit; denique quinque epiſcopales

Ducit uxorem Daubrawcam filiam Boleslai, baptizatur.

Idola evertit.

Memorialis hodie dies hujus everſionis.

ſedes cum eccleſiis, rerum ſacrarum apparatu, miniſtris, liberalibusque proventibus ac decimis inſtituit. (p)

ANNUS JESU CHRISTI 965.

JOANNIS XIII. PAPÆ AN. 1. OTTONIS M IMP. 4. REG. 29.

BOLESLAI I. AN. 29. MICHAELIS EP. RAT. 22.

(a) Non Boleslaum, ſed S. Wenceslaum Eccleſiam S. Viti erexiſſe ac compleviſſe, jam P. III. Annalium noſtrorum copioſe proſecuti ſumus; nec vero eam auxit, amplioremque reddidit, nam id verbis expreſſis tribuit Spitigneo Coſmas noſter, qui ait eum *Eccleſiam S. Viti non adeo magnam, nec capeſſentem populum concurrentem ad feſtivitatem ſanctam (quam videlicet ipſe Sanctus Wenceslaus conſtruxerat ad ſimilitudinem Romanæ Eccleſiæ rotundam)* cum vicina Eccleſia S. Adalberti conjunxiſſe, & *unam utrisque patronis magnam conſtruxiſſe Eccleſiam.* Minus diligenter autem Hagecius legit Coſmam, qui minime conditam aut ampliatam a Boleslao ait Eccleſiam, ſed illius tempore conſecratam a Michaele Epiſcopo Ratisbonenſi, cujus verba ſunt: *Servus DEI Wenceslaus Eccleſiam in metropoli Praga ſub honore S. Viti Martyris conſtructam, non tamen conſecratam morte præventus reliquit. Hanc ut conſecrare dignaretur, qui tunc præerat Ratisbonenſi Eccleſiæ præſul, nomine Michael, Dux Boleslaus ſupplex miſſis legatis cum magnis muneribus, & majoribus promiſſionibus vix impetravit. Quod utique haud annuiſſet Præſul, niſi ob recordationem animæ, & ſalutem Wenceslai amici ſui jam interfecti id deliberaſſet fieri: quia vir DEI Wenceslaus, dum carne viguerat, nimio eum affectu coluerat. . . . . Mox ubi Dux eſt factus compos voti, plebs univerſa & proceres atque Clerici obviam advenienti Epiſcopo ruunt devoti. . . . Quid multa? Decimo Calendas Octobris dedicata S. Viti Eccleſia.* Sed jam Parte III pag 625 (peculiari diſquiſitione de vero anno dedicatæ Metropolitanæ Eccleſiæ) oſtendimus hanc narrationem Coſmæ multis vitiis laborare. Nam amicitiam S. Wenceslaum inter & Michaelem Epiſcopum Ratisbonenſem, qualem hic copioſe deſcribit Coſmas, nullam eſſe potuiſ-

Coſmas ad ann. 1060

Coſmas l. 1. ad an. 927

tuisse, quandoquidem Michael pluribus annis primum post martyrium S. Wenceslai in cathedram Ratisbonensem evectus est; quod alterum est: multo vetustiores Cosmæ S. Wenceslai biographos asserere: Ecclesiam S. Viti non modo a S. Wenceslao penitus absolutam exornatamque fuisse, sed illo vivente etiam per Episcopum Ratisbonensem consecratam; unde merito hanc narrationem Cosmæ non ad Ecclesiam S. Viti, sed aliam quamcunque, & fortassis Boleslaviensem spectare argumentati sumus. Sed minime hac argumentatione satisfecimus doct. Compilatori Seriei Chronologicæ, qui cum denarios Boleslai, typo cujusdam templi insignitos, Ecclesiæ Divi Viti memoriam imaginemque referre falso sibi persuasisset, ut huic opinioni plura firmamenta acervaret, a Cosmæ indicio, narratisque minime recedendum esse statuit. Quare ad confutanda quædam argumenta, a me cit. loco prolata, calamum convertit; sed cate Anonymi Ottoniani testimonium (omnium solidissimum argumentum) quod pag. 627 adfero, & quo is verbis expressis ait: Ecclesiam S. Viti non modo *ad extremam manum perductam*, sed etiam invitato Episcopo *in honorem S. Viti consecratam*, tanquam anguem pressisset, subterfugit. Per me licet, sequatur quod libet, si Cosmæ duobus pene sæculis ab hoc tempore remoti auctoritas, præsertim in narratione, quam magna parte erroneam esse nec ipse diffitetur doct. Compilator, potior illi est præ duobus biographis Anonymo Ottoniano, & Christanno. Illud tamen officiose monitum velim, ut ne me confutaturus, hujus, de quo agimus, sæculi Ecclesiæ disciplinam & ritus in Leibnitio, Menkenio, & Helmoldo (quos se frustra excussisse memorat) aut in hodierno Rituali Romano venetur. Adeat cujus cujus demum Compilatoris collectionem Conciliorum, ibi a sæculo VII plura synodalia decreta reperturus, in quibus dies Dominicus Episcopis pro Ecclesiarum consecrationibus (excepta tamen Dominica Paschatis & Pentecostes, aliisque quibusque majoribus festis) designatur, præcipiturque.

Chron. Geschich. Böh. 2 Th. p. 373.

Ibid. p. 374.

(*b*) In hoc consentiunt omnes scriptores patrii exterique: Boleslaum sævum Episcopatus erectionem meditatum; quorum tamen alii cum Dubravio sentiunt, ideo Boleslaum rem non perfecisse, *quia tunc erat is Romæ status inter Pontifices, ut alii alios sede deturbarent, urbeque fugarent.* Alii, quos & secutus Clar. Assemanus, hanc opinantur causam; *quia Boleslai, utpote fratricidæ indigna postulatio judicata est summo Pontifici.* At ut ex dicendis ad annum 967 testatum fiet,

Assemanus in Calendariis T. IV p. 169

verosimillimum est, Boleslaum sævum re ipsa facultatem a Joanne XIII erigendi Episcopatus impetrasse, epistolamque Papæ hujus, quæ ad annum dictum recitabitur, huic, non filio, fuisse inscriptam.

(*c*) De eo altissimum apud veteriores silentium, cujus si notitiam habuisset Dalimilus, nunquam commemorare prætermisisset, tum quod Chronicon Boleslaviense scripserit, tum quod ejusdem Ecclesiæ Canonicus fuerit. Primæ igitur rursum debentur Hagecio, quem tamen inter complurium turbam secutus avidissime Balbinus, apud quem genio ejus fusius hæc deducta legi possunt.

(*d*) Poloni scriptores *Zemomyslum* vocant, quod nomen Slavicum Boguphalus *terras præcogitans* interpretatur. Mortis annus apud veteriores nuspiam proditus, anno tamen DCCCCXIII Lesckoni in regno successisse, Boguphalus memorat. At anno primum præsente mortuum, cum relatis Witichindi & Ditmari supra allatis pugnat, constatque Geronem hoc ipso anno mortuum, cum quo Miseco filius duplex bellum jam gessit.

Apud Sommersberg T. II. p. 24

(*e*) Septem Mesiconi fuisse pellices, omnes veteriores Poloni meminere.

Dlugossus l. 1. p. 89.

(*f*) Joannes Dlugossus causam maximam hanc attexit: *Septem pellicibus, quas uxores nominabat, utebatur.*

At Ditmarus viciniissimus his temporibus præcipuum meritum conversionis Daubrawcæ nostræ tribuit, cujus testimonium anno sequente, ad quem spectat, proferemus. Ditmaro consentit Kadlubecius ejusque Commentator. Vetus est apud Sarnicium aliosque carmen:

Fœmina te (Christum) *nobis ostendit prima Boheme*
Sanguine, prima crucem, nos docuitque tuam
Sic tu prima quidem nobis es causa salutis
Ipse Deus, mulier causa secunda fuit.

Illa

Illa tuo tingi Mieſconem fonte maritum
Effecit, terra eſt tota ſecuta Ducem.

(*g*) Herburtus de Fulſtein Mieſconi miniſteriales quosque fuiſſe Bohemos ſcribit, eique authores & baptiſmi, & ſponſæ ex Bohemia expetendæ fuiſſe ſcribit. *Herburtus in hiſt. Polon. Vide Balbin. in Epit. l. 2. c. 7*

(*h*) Kadlubecius & Boguphalus, quos poſteriores ſecuti, Mieſconem cœcum natum, & per ſeptem annos in ea cœcitate perduraſſe memorat; ob quam cum turbarentur parentes, *Myeſca* id eſt *confuſionem* dictum eſſe. *Apud Sommersberg T. I. p. 4.*

(*i*) Joannes Polonus ſæculi XIV ſcriptor duas conditiones Mieſconi a Daubrawca propoſitas fuiſſe his verbis ſcribit: *Qui* (Mieſco) *dum procaretur Dobrancam filiam Ducis Bohemiæ, illa conſenſum præbere noluit, quouſque repudiaret ſeptem pellices, quibus viciſſim commiſcebatur, & Chriſtianam fidem ſuſcipiens baptizaretur.* Sed Daubravcam re ipſa Mieſconi Ethnico nupſiſſe, ſequente anno ex eodem Ditmaro cognoſcemus.

(*k*) Bartholomæus Scultetus ab Abrahamo Hoffmanno editus, quem etiam ſecutus Stranskius noſter, item Caſparus Schneiderus, & Joh. Hübnerus, Luſatiam dotis loco Mieſconi allatam ſcribunt. Sed Luſatia, præſertim inferior, nequaquam ad ditiones Boleslai pertinuit, vidimusque crebrius ſupra, Geronem Marchionem Luſiki ſeu Luſatiæ fuiſſe ab Ottone conſtitutum. Hodiernæ Luſatiæ tamen veteres pagos Budiſſin & Drebowane ſeu Izgorelik, hodie Gœrlitz, ad Bohemiam ſpectaſſe plurimis certis indiciis proditum eſt; hinc etiam doctiſſimus Abbas Gotvicenſis Marchiam Luſitzi nequaquam ad hos duos pagos extendit; ſed ad Bohemiam ſpectaſſe ipſe profitetur. Quos duos pagos ſi Scultetus & Stranskius intellexit, haud ipſe diſputare velim, quaqua demum ratione Mieſconi a Boleslao conceſſos, & dotis nomine fuiſſe tranſcriptos. Nam poſterioribus annis crebrius lecturi ſumus, Poloniæ Duces, quoties ab Ottonibus erepti fuere hi pagi, ad eos vindicandos admoviſſe exercitum, Duces vero noſtros ſolum pene ſpectatores horum bellorum & diſſenſionum egiſſe. *Scultetus c. 10 §. 1. Stransky Reipubl. Boj. c. 7. p. 334.*

(*l*)

(*l*) Mieczislaus, a posterioribus quibusque inventum nomen, haud aliud est a priore Miesco, fabulæque loco haberi debet ejus etymologia a voce slavica Miecz, quæ ensem significat, ut supra ex Kadlubecio & Boguphalo vidimus. Non autem eodem, quo allata est Gnesmam die Daubrawka, sed postquam Miesconi aliquanto tempore cohabitasset, baptismum illius accidisse, docet nos Dituarus, cui consentiunt Boguphalus & Joannes Polonus, qui eundem baptismum in sequentem annum rejiciunt. Ceterum nostri & Poloni quique recentiores pro more suo jam & sacerdotem, qui Miesconem baptizavit, & patrinos e nobilissimis posterioribus quibusque familiis, & singulas pene rerum circumstantias tanquam digitos suos novere, quorum somnia qui scire avet, apud Balbinum l. 2. c. 7. p. 117, Crugerium ad 17 Febr. p. 269 & quæpiam etiam apud doct. Compilatorem Seriei Chronologicæ p. 404. inveniet.

(*m*) Hæc Hagecius ex Mathia Miechovio, quem in Catalogo authorum operi suo præmissorum refert, deprompsit. Is diem 7 Martii jam a Dlugosso notatam tam nobilibus, quam plebejis sub minis *confiscationis bonorum, & exterminationis* indictam fuisse scribit, idolorum vero abolitionem die sequente insecutam. Verum cum passim posteriores scriptores asserant, id *Dominica Lætare* accidisse, illa vero hoc anno in quintam Martii inciderit, idcirco si narrationi huic sua fides concedenda, id duobus diebus posterius evenit, quemadmodum id quoque jam advertit Weleslavinus in Calendario suo ad nonas Martii.

(*n*) Dlugossus sæculi XV. historicus, primusque, quod constat, hujus traditionis auctor ait: *Quæ quidem Deorum & Dearum, idolorumque confractio & immersio tunc facta apud nonnullas Polonorum villas simulacris Dziewannæ & Marzannæ in longo ligno extollentibus, & in paludes Dominica quadragesimæ Lætare projicientibus & demergentibus repræsentatur, renovatur in hunc diem, nec hujus consuetudinis vetustissimæ effectus usque modo apud Polonos diffluxit.* Abrahamus Frencelius apud Silesios, Hofmannus apud Lusatas, David Peiferus apud Serbos hunc eundem morem paululum mutato ritu obtinuisse scribunt: scil. in villis & oppidis simulacrum quoddam stramineum ad similitudinem mulieris effictum fuisse a pueris, qui turmatim egressi illud cum cantu de ponte in præterfluentem præcipitare soliti.

Dlugossus l. 2. p. 94.

Frencelius de Diis Sorabor p. 88. Hoffmannus T. I. Peiferus rer. hist. l. 3. p. 313.

(*o*)

(o) Sandelius in verſione germanica Hagecii non ponit Dominicam *Lætare*, ſed *Judica* ſeu *Paſſionis*, mea quidem ſententia, non aliam ob rationem, quam quia adhuc ævo ſuo in patria noſtra ritus ejuscemodi reliquiæ inter pueros puellasque eadem Dominica Paſſionis obtinuere, quæ, quantum memini, adhuc uſque ad bellum Gallicum annumque 1741 Pragæ perduravere, donec Gallis Pragam tenentibus, obſidioneque preſſis emori penitus cœperunt. Idem locus Sandelii verosimillime anſam præbuit erroris Michaeli Frencelio, quod Dominicam Lætare *atram dominicam* den ſchwarzen Sonntag appellari dicat. Non enim Dominica Lætare, ſed Judica ſeu Paſſionis eſt, quæ appellationem hanc hodiedum obtinet, cum prior apud nos Družebná ſeu nuptialis vocetur. Et vero Frencelius ſui immemor poſtea ipſe Dominicam Paſſionis *atram* ſeu den ſchwarzen Sonntag appellat. Jam merito dubium oriri poteſt de origine ritus hujus tam longe lateque propagati, an a Polonorum tam ſubita converſione & idolorum abolitione principium ſumpſerit? Quod breviter 5 capitibus complectar: I. Certum eſt nec Kadlubecium ejusve commentatorem, nec Boguphalum, nec Joannem Polonum aliumve veteriorem Dlugoſſo ritus hujus apud Polonos ex ſupra allata ratione cœpti mentionem facere. II. Fidem omnem excedit a Meſicone tam atrox decretum, quod procul dubio illi periculum vitæ ac throni attuliſſet, editum, ut ſub minis confiſcationis & exilii ad ſuſcipiendum baptiſmum Poloni omnes cogerentur, reque ipſa tam vaſtæ regionis incolæ uno eodemque die comparuerint. Profecto ex legitimis hiſtoriis manifeſtum redditur, Jordanum primum Polonorum Antiſtitem, teſte Ditmaro, plurimum poſtea in Polonorum converſione deſudaſſe, & ſæculis adhuc duobus poſterius multos Ethnicos in Poloniæ terris inventos. III. Quæſtio moveri poteſt: cur ritu iſto ſolum conſervata fuerit memoria idolorum in flumen præcipitatorum, cur non etiam igne conſumptorum, contritorumque? Nec vero credibile Meſiconem, aut eos Chriſtianos, qui illi a conſiliis fuerant, minus circumſpectos fuiſſe, ut ne præmetuerint, a varia & mutabili plebe hæc idola aliquando rurſum ex fluminibus protractum iri. IV. Dies hujus ritus plurimum variat in regionibus, multumque ambiguus eſt. Sic enim a Dlugoſſo, primo ritus hujus prolatore, 7 Martii & quidem Dominica Lætare indicatur, cum tamen toto ſæculo X nunquam Dominica Lætare in ſeptimam Martii inciderit, quod cum procul dubio Miechovius adverteret, ſubſequo die id factum ſcribit; ſed nec ſic difficultatem profligavit, quæ circa hunc diem eadem cum priore manet.

Vide Jo. Caſp. Zeuner Diſſer. de Dominica Lætare.

Frencel. c. l. §. 82.

Quid

Quid dicam de dierum varietate? cum in alis locis 6, aliis 7, aliis 8 Martii, aliis Dominica Lætare, aliis Judica, aliis ad Rhenum VI Iduum Junii, aliis denique ad Danubium VIII Kalendas Junii ejusmodi ceremoniæ veteres frequentatæ legantur. Certum enim est, ritum hunc non modo inter Polonos, sed etiam Lusatas, Sorabos, Silesios, Bohemos, Moravos, Saxones, Thuringos, Francos, Transilvanosque, ad Rhenum, Mœnum & Danubium *tum intra tum extra Germaniam*, ut inquit Henricus Meibomius, obtinuisse. V. Quod omnium gravissimum est, multis memoriis proditum est, similem ritum extra Poloniam prius ante conversionem Polonorum fuisse observatum, ut etiam in quarumque Ecclesiarum ceremoniales libros relatus fuerit. Cum igitur vetustiores hujus ritus teneamus memorias, nec credibile videri possit, a Polonis tam longinque, & quidem ad ipsos Germanos traductum fuisse, an non potius statuendum, ritum hunc ex primis Ethnicis superstitionibus adhuc fuisse reliquum, & tam apud Slavos, quam Germanos conservatum? quemadmodum de epulis funebribus, Bacchi feriis, imo etiam ignibus ad VIII Kalendas Julii hodiedum perstantibus constat. Quid si ritus iste straminea simulacra ex pontibus in flumina cum cantu jaciendi ejusdem generis fuit, qualem Lactantius, de Barbararum gentium sacrificiis loquens, describit: *Saturnus*, inquit, *in Latio eodem genere sacrificii cultus est, non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tyberim de ponte Milvio mitteretur. . . . . Verum id genus sacrificii ab Hercule, cum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum, ritu tamen permanente; ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo. Ut Ovidius in fastis docet:*

Dreſſerus de Fest. Zachar. Schneider in Chron. Lipſ. l. 4. Torquatus in Anal. Magd. & Halberſt. l. 3. c. 9.

Lactantius Inſtit. divin. l. 1. c. 21.

Donec in hæc venit Tyrinthius arva, quot annis
Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites
Herculis exemplo corpora falſa jace.

Hæc sacra Virgines Vestales peregisse, idem Ovidius testatur:

Tum quoque priſcorum Virgo ſimulachra virorum
Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.

Quid

Quid narrationi huic Lactantii & Ovidii conformius, quam quod de hoc ritu olim apud Lusatas, Silesios, Lipsienses Sorabos, imo etiam ad Mœnum & Danubium usitato passim authores scribunt, cujus principium & causa a nemine adhuc prodita? Ab antiquissimis temporibus, & primis Saxoniæ ad Christum conversæ initiis, Dominicam Lætare diversis istiusmodi ritibus pro locorum diversitate frequentatam jam fuisse, plurium authorum conformis est sententia, quanquam in causa discrepent. Aliqui dicunt: jam olim Nonis Martii Genium malum, ut ne noceat, cultum; Letznerus, & Georgius Torquatus eum morem a Carolo M., qui idola destruxerat, repetunt. Henricus Meibomius a dejectione idoli Irminsul ritum increbuisse memorat, quæ posteriores duæ opiniones hactenus primas tenuere, præsertim cum in quibusdam locis usus fuerit ejusmodi simulacra aut pyramides non quidem e pontibus in præterfluentem deturbare, sed ea confringere, atque conterere. Sic narrat Georgius Torquatus, eadem Dominica Lætare morem fuisse Halberstadii, quem hic ejus verbis exscribere juvat: *Quot annis in quadragesima, Dominica Lætare, Canonici Cathedrales in loco plano ante gradus cellæ pyramidem quandam capitatam columnæ impositam singuli ejaculatis fustibus dejicere tentabant, canentes Antiphonam: Auferte hinc, dicit Dominus, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Sic refert Letznerus, Hamburgi pridie diei Dominicæ Lætare in area basilicæ San-Marianæ contigua similes pyramides constructas, & a pueris lapidum fustiumque imbre dejectas. Ad Rhenum & Mœnum vero VI Iduum Junii, ad Danubium VIII Kalendas Junii ligneum simulacrum in hos fluvios injicitur, quod fluminis cursu abreptum rustica juventus cum cantu & jubilo longissime ex ripis comitatur. Quæ profecto ad oculum ostendunt, eum ritum minime originem in Polonia, neque a Polonorum conversione traxisse.

Letznerus in Chron. Corbej. Torquatus l. c. Meibom. in Irminsula Saxon. T. III. p. 19.

In Annal. Magi. & Halberstad. P. I. l. 3. c. 9.

Letznerus in Chron. Corbej. c. 18.

Dissert. Anonymi de reliquiis Veter. Esthn. superstit.

(*p*) De erectione Episcopatuum in Polonia redibit sermo anno sequente, quo spectat.

PRÆTERMISSA.

I. Insinuavimus supra ex Hagecio, Boleslaum cogitatum suum ad erigendum Episcopatum Pragensem hoc anno conjeciisse, quod historiæ nostræ indiciis, Chronologiæque consentaneum est, si verus est (uti quidem dubitare haud fas esse alibi innuimus) Augustini Olomucen-

sis calculus, qui Silvestrum Episcopum Moraviensem 19 annos cathedram tenuisse asseverat, ut proinde, secundum dicta ad annum 946 in Prætermissis, Silvester indubie hoc, aut superiore anno obierit. Hoc si admittimus, etiam alterum, quod morti Silvestri Augustinus subjungit, aliqua ratione salvari potest, non quidem ut cum eo dicamus: Moraviensem Episcopatum dein Ratisbonensi Ecclesiæ fuisse unitum, sed Moraviam a Morte Silvestri jurisdictionem Episcopi Ratisbonensis respexisse. Summe enim credibile est, cum Boleslaus Episcopatum Pragensem erigere, atque uni eidemque Episcopo Pragensi tam Bohemiam, quam Moraviam subjicere, quemadmodum postea factum, meditatus sit, sub mortem Silvestri, quæ hoc aut superiore anno accidit, haud passum fuisse, ut novus in Moravia constituatur Episcopus, quo electo investitoque postea difficiliorem experiretur consiliorum suorum executionem. Duces vero nostros in Episcoporum electionibus primas semper tenuisse, plurimis posterioribus exemplis testatum fiet. Caduco igitur Episcopatu Moravienſi, & Boleslao conjunctionem Moravæ Diœcesis cum Bohema meditante, verosimile est, Moraviam ab Episcopo Ratisbonensi, annuente & jubente Boleslao, fuisse administratam, præsertim si Laureacensis seu Patavienſis Episcopus se se duriorem consiliis Boleslai oppositi, deque diœcesis suæ quæsito jure eidem litem movit. Atque huc spectant verba Dubravii, dum ait: *Idem Ratisbonenſis in Moravia quoque aliquamdiu faciebat, quamdiu videlicet vacua ſedes ibidem ſuo Præſule fuerat.* Hæc paucorum annorum Ecclesiæ Moraviæ per Ratisbonensem Episcopum, Sacerdotesque suos e vicina Bohemia administratio procul dubio illi errori Augustini Olomucensis ansam præbuit, quod Episcopatum Moravienſem Ratisbonensi conjunctum crediderit, de quo apud veteres omnes altissimum silentium. Si quis Laureacensis Episcopi jura in Moraviam obtendat, nec tam facile concessurum Episcopo Ratisbonensi sibi persuadeat, eum ad Annalium Boicorum scriptores remittimus, qui passim cum Brunnero & Adelzreitero Gerardi Archiepiscopi Laureacensis successores de somnolentia accusant, eisque in propugnandis juribus suis *vel animum vel diligentiam defuisse*, scribunt, quod cumprimis de Bernardo, qui his temporibus Ecclesiæ Patavienſi præfuit, proditum est, qui ipsum Archiepiscopi a Præcessoribus suis vindicatum titulum & honorem neglexit, *nec*, ut Interpolator Hermanni Contracti, & Bernardus Noricus testatur, *quidquam memoria dignum gesſit.* Nolim præterea recurrere ad Principum quorumque vim, subinde diœcesium limites ex commodis suis terrarumque suarum

rum ambitu definiri pervicaciter insistentium, quibus præsertim in neophytis gentibus connivere crebro Romana sedes consultius judicavit, quam eos exasperare, aut ut ad vomitum redeant, occasionem præbere. Recte autem scribit Dubravius Episcopus Olomucensis (historiæ Ecclesiæ suæ procul dubio optime gnarus) nonnisi *aliquamdiu Ratisbonensem Episcopum in Moravia fecisse*, scilicet ab anno priore aut præsente per sex septemve annos, minime vero *per annos triginta quinque*, ut scripsit Augustinus; quo in numero manifestum errorem esse, ex eo liquet, quod ab Ottonis M. cœpto imperio (in quod Augustinus Silvestri episcopatum rejicit) scilicet ab anno 936 usque ad annum 973 Episcopatus Pragensis erecti, nonnisi 37 anni effluxerint, cum ex calculo Augustini 54 desiderarentur, scilicet 19, quibus præfuit Silvester, & alii 35, quibus Moravia Episcopo Ratisbonensi subjecta fuisset.

II. Hoc anno nominatissimum orientalium Saxonum & Lusatiæ Marchionem Geronem fatis cessisse, annunciat tam Continuator Reginonis, quam Annalista Saxo, quam etiam Annales Gernrodenses & Necrologium Fuldense. Ditmarus præter annum etiam diem obitus nobis indicat, cujus verba sunt, & quæ etiam Annalista Saxo ad hunc annum refert: *Gero*, inquit, *Marchionum sui temporis optimus & præcipuus obiit. Hic morte amici filii sui turbatus Sigefridi, Romam pergens, emeritus jam senex, coram altari Principis Apostolorum Petri arma victricia deposuit, & apud Dominum Apostolicum brachium S. Cyriaci impetrans, ad DEum cum omni hereditate sua confugit, constituens monasterium in saltu, quod suo signatur nomine* (Gerinrode) *& nati sui viduam prius velatam a Bernhardo Episcopo statuit ibi Abbatissam, & firmatis omnibus XIII. Kal. Junii feliciter migravit ad Dominum.* Epitaphium hujus etiam bellis Bohemicis inclyti Herois ex Ecclesiæ Gerinrodensis inscriptionibus his verbis referunt Annales Gerinrodenses, posteriore tamen mense dieque indicato: *Anno Domini DCCCCLXV. XIV. Kalend. Julii obiit Illustrissimus Dux & Marchio Gero hujus Ecclesiæ fundator, cujus anima requiescat in pace Amen.* Quod ad seriem Pontificum Romanorum attinet: cum hoc anno mortuus fuisset Leo Antipapa, & Benedictus etiam, a Romanis expetitus, eandem viam carnis, testante Adamo Bremensi, apud Hammeburgum ingressus fuisset, missis ab Ottone Romam nunciis ab omni Clero & populo *Johannes Narniensis Ecclesiæ Episcopus eligitur, & sedi Apostolicæ*

Contin. Rhegin ad h. a. *licæ Pontifex intronizatur*, inquit Rheginonis Continuator, qui Joannis XIII nomine claruit.

ANNUS 966.

Mittitur Romam Legatio pro impetrando Episcopo.

Sub tempus quadrageſimalis jejunii ſolemnis legatio tam a Boleslao, quam etiam ordinibus Bohemiæ ad Ottonem Cæſarem adornata eſt. Principes legationis erant: e ſacerdotum Collegio, Blohauſſius Chvogenſis, ex nobilitate, Tobias de Stroſſeticz, quibus alii decem comites ſociati. Legationis caput fuit: Ducis, univerſique populi votum de concedendo Epiſcopo, Pragæque ſtabilienda Antiſtitis ſede. Appulere legati Romam ante Paſcha, auditi ſunt a Cæſare altero Paſchatis die; ſed quoniam majori res deliberatione egere viſa Cæſari, infecta re domum remiſſi ſunt.

Re infecta redeunt.

(a) Narrabant reduces, quid ſub eorum adventum Cæſari eveniſſet: Vocaverat forte, inquiunt, Cæſar ad epulas plerosque Romanæ urbis Principes, regreſſusque a ſacris, deambulabat interea in cœnaculo. Erat in eodem loco, præter Cæſarem, Magiſter Imperatoriæ menſæ, erat & Henricus quidam cum neſcio quo Principe pupulo, ejusdem pueri cuſtos idem atque moderator. Forte Magiſter menſæ pueri in Cæſaris pedes incurrentis bacillo cerviculam icit, ſanguinemque elicuit. Repetiit confeſtim ictum, ſublato a tergo ſcipione, Henricus, adeoque valide Præfectum ferculorum ſecundum caput percuſſit, ut exanimis conciderit. Motus

tus rei atrocitate Cæſar, ſtricto mucrone in Henricum ibat; ſed is venientem in ſe Cæſarem eluſo ictu, medium amplexus humo alliſit, compreſſaque gula jacentem præfocabat. Cæſar miniſteriales accurrentes prohibet quidquam funeſtius adverſus Henricum audere, veritus ne deſperata vita pugionem in latus ſuum demergat. Tenuit vero audaciſſimus homo ſubactum Cæſarem uſque eo, dum is jurejurando impunitatem omnem polliceretur. Hac demum fretus, non dimiſit modo Cæſarem, ſed ab humo quoque levavit, projectusque ad erecti genua, per DEI miſericordiam obteſtari cœpit, ne id ſibi crimini detur, quod impetus, quod neceſſitas, quod ſuus in puerum amor ab ſe extorſiſſet. Vides, inſit Henricus, hunc puerum Cæſar, nobilis optimique Viri de Principibus tuis filium, curæ meæ fideique commiſſum, hujus ego fundi ſanguinem propter rem tam nihili, quomodo imperare animo potui, ocioſus ut ſpectarem? Dapifer tuus nec pueri ætatem, nec nobile genus, nec diei hujus ſolemnitatem, nec denique Majeſtatis tuæ præſentiam penſi habens, auſus ſui tam temerarii juſtiſſimam pœnam luit. Tu cum armatus in me irrueres, neſcio quo pacto ſacroſanctam illam ac metuendam Majeſtatem perdidiſti. Non enim Te ipſum, ſed Proceres Tuos ſervosque in me, ſi quid peccavi, ultionem exerere decebat, neque etiam fontes, niſi auditos damnatosque, perimere fas eſt. Quibus verbis denuo preces veniæque flagitationem ſubjiciens, miſericordiam Ottonis imploravit. Fecit Otto, quod ſe, quod Chriſtiano Principe dignum erat, tactusque diei illius

Otto in vitæ periculo.

re-

religione, iram preſſit, hominemque pœna vacuum a ſe dimiſit. (b)

ANNUS JESU CHRISTI 966.

JOANNIS XIII. PAPÆ AN. 2. OTTONIS M. IMP. 5. REG. 30.

BOLESLAI I. AN. 30. MICHAELIS EP. RAT. 23.

(a) De hac legatione, multo minus legatorum nominibus, nihil in veterioribus proditum. Miſadam, nomine patris ſui Boleslai, Epiſcopatus Pragenſis erectionem poſtulaſſe ac impetraſſe, anno ſequente cognituri ſumus. Et profecto univerſam rurſus anni hujus narrationem fide laborare, inter cetera probat temporis Paſchalis indicium. Conſtat enim ex Rheginonis Continuatore, diplomatibus, aliisque, Ottonem hoc anno a Natali Domini uſque ad feſtum Aſſumptionis B. M. Virginis in Germania fuiſſe. Conſtat etiam, Joannem Papam hoc ipſo tempore Roma exulem fuiſſe, captivumque jam ab anno ſuperiore in Campania detentum. Poſt feſtum Aſſumptionis primum Otto per Alſatiam & Alpes tranſiit in Italiam, ibidemque ſeveriſſimas pœnas a perduellibus, hoſtibusque Papæ ſumpſit, Joannemque ſedi ſuæ reſtituit. Quare Balbinum ſatis mirari nequeo, qui has adulteras merces pro veris emit, tanta quidem fide, ut etiam Blohanſium illum ab Hagecio proditum legationis hujus Principem ex Canonicis Boleslavienſibus fuiſſe, non vane ſe ſuſpicatum crediderit.

Baronius in Annal. Eccleſ. ad h. a.

Balbin. in Epit. l. 2. c. 6. p. 114

(b) Unde hanc hiſtoriam, quove apocrypho fabuloſoque libro Hagecius hauſerit, explorare haud potui; ejus certe nemo veteriorum recentiorumque, qui geſta Ottonis ſcripſere, meminit.

PRÆTERMISSA.

Jam ſuperiore anno innuimus, minus recte Hagecium aliosque nuptialem annum diemque Daubravcæ cum anno converſionis mariti Miſeconis, totiusque Poloniæ conjunxiſſe, in quo vetuſtiſſimos Poloniæ ſcrip-

ſcriptores adverſarios habet. Boguphalus Daubrawcæ nuptiis in annum DCCCCLXV rejectis, ſubjungit: *Anno ſequente cum tota gente Lechitarum ſeu Polonica, uxore ſua ſuadente, ac divina gratia inſpirante, ſacrum baptiſma* (Meſcko) *ſuſcepit.* Joannes Polonus ſæculo uno Boguphalo poſterior ait: *Primus itaque Polonorum Princeps & Rex Meſco baptiſmi gratiam ſuſcepit Anno Domini DCCCCLXVI tempore Ottonis primi Imperatoris.* Annonymus Archidiaconus Gneznenſis: *Anno DCCCCLXVI Meſzko baptizatur, & fides Catholica in Polonia recipitur.* Eundem annum habent marginales Kadlubecii, & Commentator illius, nec non Chronicon Engelhuſii. Et recte quidem ſecundum relata Ditmari, a quo ipſas converſionis circumſtantias tranſcriptas accepimus, cui tanquam præcipuo temporum iſtorum teſti omnis fides adhibenda. *Hic* (Miſeco) inquit, *a Bohemia regione nobilem ſibi uxorem ſenioris Bolizlavi duxerat ſororem, quæ ſicut ſonuit in nomine, apparuit veraciter in re. Dobrawa enim ſlavonice dicebatur, quod latino ſermone bona interpretatur. Namque hæc Chriſto fidelis, dum conjugem ſuum vario gentilitatis errore implicitum eſſe perſpiceret, ſedula revolvit anguſta mentis deliberatione, qualiter hunc ſibi ſociaret in fide, & omnimodis placare contendit: non propter triformem mundi hujus nocivi appetitum, quin potius propter futuræ mercedis laudabilem, ac univerſis fidelibus nimis deſiderabilem fructum. Hæc ſponte ſua fecit male ad tempus, ut poſtea diu operari valuiſſet bene. Namque in quadrageſima, quæ conjunctionem prædictam proxima ſequebatur, cum a ſe abſtinentia carnis, & afflictione corporis ſui decimationem Domino acceptam afferre conaretur, dulci promiſſione a viro ſuimet propoſitum frangere rogatur. Illa autem ea ratione conſenſit, ut alia vice ab eodem exaudiri facilius potuiſſet. Quidam dicunt, eam in unam carnem manducaſſe quadrageſima, alii vero tres. Audiſti nunc lector delictum ejus, modo conſidera fructum elegantem piæ voluntatis illius. Laboravit enim pro converſione conjugis ſui, ac exaudita eſt a benignitate conditoris ſui: cujus infinita bonitate perſecutor ſuimet ſtudioſus reſipuit, cum crebro dilectæ uxoris hortatu innatæ infidelitatis toxicum evomuit, & in ſacro baptiſmate nævum originalem deterſit, & protinus caput ſuum & ſeniorem dilectum, membra populi hactenus debilia ſubſequuntur, & nuptiali veſte recepta inter ceteros Chriſti adoptivos numerantur. . . . . Tunc congratulantur legitime conjugati, prædictus mas & nobilis fœmina, illisque ſubdita omnis familia gaudet ſe in Chriſto nupſiſſe.* Doctiſſimus Compilator Seriei Chronologicæ aliud quoque nobis ex Witichindi libro ter-

Boguphalus in Meſckone apud Sommersberg c. l.

Apud eundem Sommersberg c. l.

Apud Leibnit. t. II. p. 1077

Ditmarus l. 4. p. 359

Apud Madeburn p. 89

Chronol. Geſchicht. Böh. 2. Th. p. 406.

tertio de eodem Miſecone prodit: ſcilicet *perlata ad Germaniam hujus converſionis fama, diverſos Chriſtianos Principes, præcipue autem Ottonem, per legatos gaudium ſuum & congratulationem teſtatos eſſe.* Sed mihi, qui ter quaterque Witichindum legi, repetiique, tam felici adhuc eſſe non licuit, locum iſtum detegere, quem imo ſcio converſionis Miſeconis ne verbo quidem meminiſſe. At vero ſcriptores quique Poloni ſuperiorem Ditmari narrationem in dubium vocant, atque Dlugoſſo magis aſſentiuntur: Daubrawcam non prius nuptiis Miſeconis conſenſiſſe, quam cum is baptiſmum fuiſſet pollicitus, nec eas citius celebratas, quam cum is Chriſtum jam fuiſſet profeſſus. Incredibile enim illis videtur, ſeu Daubravcam, ſeu patrem ejus Boleslaum conſenſurum fuiſſe in matrimonium cum infideli marito ineundum, nec ſacerdotem quemquam Catholicum tam audacem futurum fuiſſe, ut nuptiis his adſtitiſſet ac benedixiſſet. Verum quis Ditmarum virum ſua ætate doctiſſimum, Epiſcopumque (qui præter omnem admirationem aut reprehenſionem non modo nuptias has narrat, ſed etiam laudat) tantæ imperitiæ condemnare auſit, ut ignoraverit, quid diſciplina eccleſiaſtica ſæculi ſui tulerit, quid indulgentia & tolerantia admiſerit? Nam licet abſolute quidem ob periculum perverſionis matrimonia fidelium cum infidelibus vetita fuerint, nuſpiam tamen irrita declarata reperiuntur, imo ſi periculum perverſionis abfuit, utilitasque Eccleſiæ ac rei Chriſtianæ aliud ſuadebat, paſſim ſe Eccleſia in diſpenſando indulgentiſſimam præbuit. Sic enim idem Apoſtolus, qui præceperat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, alio loco ſuadet: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittet illam &c. ſanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem &c.* Sic conſtat nec matrimonium S. Cæciliæ cum ethnico, nec S. Monicæ cum Patritio gentili, ut alia exempla taceam, unquam improbatum fuiſſe a SS. Patribus, eruditeque oſtendunt doctiſſimi quique Theologi, nonniſi progreſſu temporum hanc ſeveriorem diſciplinam, quæ hodie eſt, inductam in eccleſiam; primis enim eccleſiæ ſæculis infidelitatem, eccleſiæ indulgentia, nec impedimentum dirimens, imo ne impediens quidem induxiſſe, ſi periculum perverſionis abfuit; nec aliam quam hanc cauſam eſſe, quod circa hoc impedimentum clarus textus in Jure Canonico non reperiatur. Cum ergo ſumma probitas Daubravcæ (qualem Ditmarus aliique Hiſtorici commendant) omnem metum periculumque perverſionis ſuſtulerit, & inſuper ſpes converſionis tot terrarum Principis ſummos rei Chriſtianæ progreſſus (qui non fefellere) in Polonia polli-

Dlugoſſus hiſt. Polon. l. 2.

Gotfr. Henr. Burkart in Mieslao.

2 *Cor.* 6. & 1 *Cor.* 7.

Apud Henriquez de matr. l. 11. *c.* 8.

ci-

cita fit, quidni eccleſia ſe indulgentiſſimam exhibuerit? Porro an Miſeco hoc ipſo, an ſequente anno legationem, de qua omnes Poloniæ ſcriptores, ad Joannem XIII miſerit pro impetrandis idoneis miniſtris, *qui verbi divini ſementem in Polonia jacerent*, nihil certo exploratum eſt. Ughellius quidem ait: *Ægydium Epiſcopum Tuſculanenſem rogatu Miſeconis Ducis a Joanne XIII legatum miſſum ad prædicandum Evangelium, quod is gnaviter, feliciterque executus eſt.* Sed nimis credule is Cromerum ſecutus eſt, qui Ægidium Tuſculanenſem Epiſcopum a Calixto II. in Poloniam miſſum, centum facile & quinquaginta annis poſteriorem, in hæc tempora rejecit. Oſtendemus poſterius in Annalibus noſtris, Ægidium hunc legatum a latere, Cardinalem & Epiſcopum Tuſculanenſem prius apud nos, antequam in Poloniam tranſiiſſet, legati munere functum; & vero errorem hunc producto legitimo monumento ex Monaſterii Tinicenſis Tabulario jam confixit Scygielsky, ad quem doct. Compilator Seriei Chronologicæ provocat. Stanislaus Orichovius * multo plures ab eodem Joanne XIII in Poloniam miſſos de nomine refert: *Doctiſſimos*, inquit, *viros Italos, videlicet: Vuillibaldum, Procborium, Jordanum, Gotfridum, Lucidum, Angelotum, Octavianum, Julinum ad nos Vandalos ac Lechitas miſit. . . . . Nam illi viri ſanctiſſimi Vuandaliam (ſive tu malis Poloniam dici) ingreſſi, prædicabant nobis Chriſtum & gratiam ejus, homines turmatim ad flumina confluentes baptizabant, idola ex Vuandalia exterminabant.* Sed quis tam facile adducatur, ut credat, tot ſubito Italos repertos ſlavicæ linguæ gnaros, qui Polonis Chriſtum prædicare potuiſſent? Veroſimilior eorum eſt opinio, qui Bohemis, Moravis, Sorabisque Sacerdotibus meritum prædicationis converſionisque Polonorum tribuunt, quanquam unicum a Ditmaro proditum habeamus Jordanum, quem, cujus gentis fuerit, ne quidem ipſe indicavit, de illo vero hæc ſcribit: *Jordan primus eorum antiſtes, multum cum eis ſudavit, dum eos ad ſuperna cultum vineæ ſedulis verbo & opere invitavit.* Hi ipſi paulo ante ab Orichovio commemorati Itali ſimili prorſus errore jam hoc ipſo tempore & anno paſſim a Poloniæ hiſtoricis adſtruuntur Epiſcopi. Et quidem *Wilibaldus*, ſeu ut aliis Wilibalmus Archiepiſcopus Gneſnenſis, *Procborius* Archiepiſcopus Cracovienſis, *Jordanus* Epiſcopus Poſnanienſis, *Gotfridus* Epiſcopus Wratislavienſis, *Lucidus* Cruſvicenſis ſeu Wladislavienſis, *Angelotus* Plocenſis, *Octavianus* Culmenſis, *Julinus* Caminenſis, *Jacinctus* inſuper Lubucenſis, adeo ut unanimi pene conſenſu a Miſecone duo Archiepiſcopatus & ſeptem Epiſcopatus in

Ughell. Ital. Sacr. T. I. col. 263

Scygielsky l. 2 hiſtor. Monaſt. Tinic. Script. 1 Chronol. Geſchicht. Böh. 2 Th. p. 405

* *Orichovius apud Sand. de viſit. Monach. Num. 695*

Ditmarus l. 4. p. 359.

Polonia erecti fuisse asserantur. Quæ quidem opinio pervetusta videretur, si legitimum diploma esset Goraviensis Ecclesiæ *Anno* 1067 *die Martis post Dominicam Jubilate a Raphaele Hierosolymitanæ militiæ supremo Tetrarcha* (vah ridiculum *fratris Prioris*, uti passim in aliis authenticis diplomatibus legitur, titulum) & *Boleslao Rege Poloniæ datum*, quo isti duo Archiepiscopatus & septem Episcopatus *a Miecislao & Boleslao Chabri filio suo uno eodemque tempore olim circa annum gratiæ nongentesimum sexagesimum sextum studiose conditi & fundati, terminis per fluvios & signa distincti, asseverantur.* Sed præterquam Boleslaus filius hoc anno adhuc natus non fuerit, profecto ex ipsis primis Poloniæ scriptoribus opportuno loco ostendemus, nonnisi unum eumque *Posnaniensem* Episcopatum a Mesicone erectum fuisse; quibuscum facit Ditmarus, qui ante annum 1000 nullum Archiepiscopatum in Polonia fuisse claris verbis asserit. Ceterum hoc anno Frodoardum Rhemensis Ecclesiæ presbyterum (cui quoque ex Chronico suo seu Historia Rhemensi plures debet patria nostra memorias) vitam finiisse, ex Critica Pagii cognoscere licet.

Apud Bern. Pezium in Cod. Diplom. p. 247

Pagius in Crit. Baronii ad h. a. N. 4.

ANNUS 967.

Lethalis morbus Boleslaum invaserat, quem nulla medicorum ars, visque medicinarum infringere potis erat. Quantum vero ad medicamenta obstinatum erat corpus, tantum animus ejus ad pœnitentiam. Periere enim sacerdotum probæ exhortationes, nec detestationi admissi fratricidii locum concessit ferox animus; ut vixit, immitis tyranni nomen in sepulchrum intulit. (*a*) Tres superstites reliquit filios, Boleslaum cognomento mitem, Strachquasum & Christannum. (*b*) Obiit autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, die septima, id est ipsis nonis Octobribus (*c*) cum præfuisset Bohemiæ annos septem supra triginta, dies

Boleslaus impœnitens moritur.

dies octodecim. (d) Sepultus Boleslaviæ in Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat. (e)

Boleslao ſucceſſit in Principatu filius cognominis Pius, mitis, pacificus dictus, omnium regiarum virtutum ſedes & domicilium; verbo patris memoriam quidem nominis ſervans, moribus diſſimillimus. Et erat ea tum ſupremi Numinis æternum genti Czechicæ commemoranda clementia, quod tam inſignis roſa e ſpinis & ſentibus progerminaverit, ex fraterni ſanguinis profuſore ferventiſſimus chriſtianæ religionis adſectator, ex lupo agnus, ex truci tyranno mitiſſimus Princeps, quem nulla paternorum facinorum lues afflaverat. Erat, inquam, is ſummus Chriſti nominis cultor, juſtitiæ ſeveriſſimus adſertor, legum Chriſtianarum tenaciſſimus cuſtos. Ejus opera demum Chriſtiana Religio triumphavit in Bohemia. Patrem in eo nacti orphani, pupilli & viduæ defenſorem, calamitoſi conſolatorem, religionis ergo ad tumulum Divi Wenceslai peregrinantes liberaliſſimum receptorem. Surrexere in Bohemia illius pietate viginti amplius templa, omni apparatu miniſterioque ſacro inſtructa, inter quæ & monaſterium Divi Georgii in caſtro Pragenſi & initium ſumpſit, & inſignibus immunitatibus nobilitatum eſt. (f) Erat Boleslao ſoror nomine Mlada, (g) virgo ut latinarum literarum eximie gnara, ita rerum divinarum cognitione egregie imbuta, & ad omnem pietatem efformata. (h) Ejusmodi devotionis ardore incenſa, acceptis a fratre literis, cum pediſſequarum clientumque comitatu Romam profecta eſt. (i) Ibi a ſummo Eccleſiæ capite pro dignitate excepta, pon-

Succedit filius Boleslaus mitis

Ejus laus

Mlada Soror mitis Boleslai Romam proficiſcitur.

tificalique benedictione donata, aliquamdiu inter septa monasterii probe commorata est. Cui cum instituti genus (id Divi Benedicti erat) arrideret, facile ad omnes leges expolita, virtutis rara dabat exempla. His, ejusque precibus permotus summus Pontifex cum Cardinalium consilio eam primam Antistitem Parthenonis S. Georgii creavit, sacroque dato velamine ac pedo, posthac Mariam appellari jussit. (k) Læta tot tantisque prærogativis, reditum Pragam accelerat, cui adventanti obviam processit Boleslaus, exceptamque cum gaudio in palatia deduxit, ubi inter familiare colloquium fratri literas Pontificis extradidit, quæ in hanc sententiam scriptæ erant:

A Papa sacro velamine donatur.

Adfert Pragā literas Pontificias de erectione Episcopatus

Johannes Servus Servorum Dei Boleslao (l) catholicæ fidei alumno Apostolicam Benedictionem.

Justum est benevolas aures justis accomodare petitionibus: quia DEus est justitia, & qui diligunt DEum, justificabuntur, & omnia diligentibus DEI justitiam cooperantur in bonum. Filia nostra, tua relativa (m) nomine Mlada, quæ & Maria, inter ceteras haud abnegandas petitiones cordi nostro dulces intulit ex parte tui preces, scilicet ut nostro assensu in tuo principatu ad laudem & gloriam DEI Ecclesiæ liceret fieri Episcopatum. Quod nos utique læto animo suscipientes, DEO grates retulimus, qui suam Ecclesiam semper & ubique dilatat & magnificat in omnibus nationibus. Unde apostolica auctoritate & Sancti Petri Principis Apostolorum

rum poteſtate, cujus licet indigni tamen ſumus vicarii, annuimus & collaudamus atque incanonizamus, quo ad Eccleſiam Sanctorum Viti & Wenceslai Martyrum (n) fiat ſedes Epiſcopalis, ad Eccleſiam vero Sancti Georgii Martyris ſub regula Sancti Benedicti, (o) & obedientia filiæ noſtræ Abbatiſſæ Mariæ conſtituatur congregatio Sanctimonialium. Verum tamen non ſecundum ritus aut ſectam Bulgariæ gentis, vel Ruſſiæ, aut sclavonicæ linguæ, (p) ſed, magis ſequens inſtituta & decreta apoſtolica, unum potiorem totius eccleſiæ ad placitum eligas in hoc opus Clericum, latinis apprime literis eruditum (q) qui verbi vomere novalia cordis gentilium ſcindere, & triticum bonæ operationis ſerere, atque manipulos frugum noſtræ fidei Chriſto reportare ſufficiat. Vale.

Ad Eccleſiam SS. Viti & Wenceslai conſtituitur cathedra epiſcopalis. S. Georgii eccleſia Parthenoni Ord. S. Benedicti deſignatur.

Secundum has Pontificias literas extemplo ſancitum, uti templum S. Viti novi Epiſcopi, eccleſia item S. Georgii Antiſtitæ Principis (r) Mariæ, quæque ei legitime ſuccederent, juris eſſent.

ANNUS JESU CHRISTI 967.

JOANNIS XIII. PAPÆ AN. 3. OTTONIS. M. IMP. AN. 6. REG. 31.

BOLESLAI II. AN. 1. MICHAELIS EP. RAT. 24.

(a) Verba Coſmæ ad hunc annum ſunt: *Sævus Boleslaus male mercatum fraterno ſanguine ducatum cum vita amiſit.* Idem habet Annaliſta Saxo. Neque apud hos aut alios Hagecio vetuſtiores me-

memoria: eum locum pœnitentiæ post Sacerdotum exhortationes concedere noluisse. Unicus S. Wenceslai Biographus recentior, qui habetur in Codice Trebonensi, inquit: *horrenda lepra percussus miserabiliter vitam finivit*, quod ipsum tamen nondum hanc obstinatam in malo Boleslai voluntatem innuit. Profecto prioribus suis hac mortis descriptione multum sui immemor contradixit Hagecius, qui pridem summe pœnitentem depinxit, cum pro peccato suo filium Deo devovit, cum numos plane imagine S. Wenceslai excudit, cum episcopatum Pragensem meditatus, ut alia taceam. Sed jam copiose Balbinus Boleslaum vindicavit, cujus etiam laus ab extero non plane recente apud Hieronymum Pezium videri potest.

Balbin. Epit. l. 2. c. 8. p. 121

Hier. Pez. T. II. p. 1112.

(*b*) Perperam Hagecius Strachiquatem & Christannum dispescuit, qui unus idemque Boleslai Sævi erat filius. *Strachiquatis* enim nomen ex illo infando convivio, in quo S. Wenceslaus interfectus est, populi rumore & satyra consecutus est. *Christanni* in ordine S. Benedicti monasterioque Ratisbonensi ad S. Emeramum accepit. *Samodrub* autem proprium & a patre inditum nomen illi fuisse jam P. III. p. 575 ex vita S. Wenceslai ab Hyzone scripta ostendimus. Rectius itaque Pulkava ad hunc annum: *relictis duobus filiis Boleslao pio & Strachquas*, quos duos solum etiam Marignola, & Æneas Sylvius commemorat. Porro Christannum hunc non alium fuisse a Strachiquate, ex Cosma manifestum fit, qui plura ejus gesta, præcipue cum Episcopatum Pragensem ambiisset, posteritati transcripsit. Et vero maxime testatum fit ex secundo Biographo S. Adalberti, qui expressis verbis ait: *Et qui frater carnis suo Duci erat, Christianum Ztrachkwas Monachum eloquentem virum in hoc opus eligunt.* Non alia scribit Pulkava, & ejusdem Compendiator, de eodem Christanno loquentes: *Qui aliter*, inquiunt, *Strabkwas dicebatur.* Nihilominus nescio, quid R. P. Athanasio in mentem venerit, quod Strachiquatis nomen & memoriam penitus ex historia patria expungere molitus sit, adeo ut in vita SS. Ludmillæ & Wenceslai a se edita, & quibusdam commentationibus illustrata plane Paragrapho III hunc titulum præfixerit: *Boleslaus fratricida nullum habuit filium nomine Strachkwas*, quo loco omnem memoriam Strachiquatis e veterum libris delere, atque omnia fabellæ condemnare nititur. Sed falsa opinione abreptus eam appellationem *Strabkwas* pro vero filii nomine, quodve ipsi a patre inditum fuisset, accepit, cum merum agnomen, aut si malis dicere, scomma fuerit, populi rumore & indignatione *ex terribili illo convivio*, quod nomen denotabat, exortum, ut mox su-

Acta Sanct. ad 23 Aprilis. Pulkava MS. c. 24. & apud Menkeu. T. III.

Vita SS. Lud. & Wenc. §. 3. p. 13.

pra

pra & pridem Parte III. docuimus; quod tamen poſtea ſic invaluit, ut etiam Monacho adhæſerit, promiſcueque, imo etiam conjunctim *Chriſtannus Strachkwas* appellatus ſit, ut vel ex ipſo Biographo S. Adalberti mox allato liquet. Et vero conſtat ſæculi hujus decimi & ſequentis plane genium fuiſſe, ejusmodi agnomina ex geſtis, eventibus rerum, caſibus fortuitis, forma, defectu corporis aut animi effingendi, propriisque nominibus non raro ſubſtituendi: ſic nemini ignotum eſt: Ottonem II *Rufum*, & *Pallidam mortem Saracenorum*, Ottonem III *Mirabilia mundi*, Boleslaum noſtrum tertium quoque *Rufum*, Radlam S. Adalberti moderatorem *Papatem*, ut de utroque Boleslao Polono, Ducibus Bajoariæ & Saxoniæ taceam, etiam a coævis fuiſſe appellatos. Ad id ut reſpondeam, quod movet ibidem R. P. Athanaſius: ſcilicet illud exemplar vitæ S. Adalberti (quod nomen Ztrachkwas continet) *ab Amanuenſe longe poſteriore interpolatum & aſſutum fuiſſe*, eo quod Apographum Pragenſe hac voce careat: ajo: probandum fuiſſe P. Athanaſio, quod exemplar hoc interpolatum fuerit; qui ſi iſtud ex ſola conjectura adſtruit, retorqueo telum, reponoque: *Amanuenſis longe poſterioris oſcitantia in altero exemplari vocem Ztrachkwas* fuiſſe omiſſam, cum codex ille, e quo deſumpſit Mabillonius, longe vetuſtior ſit Pragenſi. Imo nullus ſcio, quale illud Apographum Pragenſe ſit, ad quod provocat R. P. Athanaſius. Nam codex Metropolitanus, ex quo Bollandiani hanc vitam deſcripſere, expreſſis verbis habet *Chriſtianum Zrabkwas*. Ad Surium quod attinet, ex ejus exemplari prorſum nihil probatur, cum ipſe in titulo præmiſſo fateatur, plura in hac vita S. Adalberti ab ſe mutata eſſe. Et profecto inſtar omnium nobis debet eſſe Coſmæ teſtimonium, cujus ætas vix ſeptuaginta annis a Chriſtanno abfuit, quique Chriſtannum hunc non alio quam Strachikwatis nomine impertiit, ut Marignolam, Pulkavam, Sylviumque non commemorem. Quod alterum eſt; nullus quoque ſcio, quid ſibi idem velit P. Athanaſius, cum differentiam quandam inter nomen *Chriſtiani* & *Chriſtanni* ſeu *Chriſtani* ſtatuit, Boleslaique Sævi filium *Chriſtianum* non Chriſtannum aut Chriſtanum appellatum fuiſſe contendit; quaſi vero non unum idemque nomen eſſet, ut pridem P. III docuimus; prius ſcilicet pure latinum, alterum slavico latinum ex slavica appellatione Kryſton derivatum. Quam vocis ſyncopationem etiam ad Germanos tranſiiſſe teſtatur Langius, & Monachus Pirnenſis. Prioris verba ſunt: *Chriſtianus, quem plerique Chriſtanum corrupte & ſyncopatim nuncupant.* Quin ſi aliud nomen eſt Chriſtianus, aliud Chriſtanus, vide-

Langius in Chron. Nurnburg. ad An. 1381 Mon. Pirn. voce Chriſtianus.

derit P. Athanasius, quam suo se ipse gladio jugulet, nam posthac nemini persuasurus est, fratrem Boleslai Pii fuisse authorem vitæ SS. Ludmillæ ac Wenceslai a se editæ; is enim Cancellarii vice fungens in subscriptione Diplomatis Brzevnoviani (quod ad Annum 993 scalpro excusum ex Archivo Sanct-Margarethano producimus) se *Christanum* manu sua subscripsit. Verba sunt: *Datum per manum Domini Christani fratris illustris Ducis Bolezlai.* Quid igitur nodos in scirpo quærimus? quid inanibus conjecturis omnium veterum fidem convellere nitimur? An, ut maculas quasdam ab eodem Christano detergamus, fas est omnium veterum de eo prodita documenta negare, fabulæque damnare? Non infregit, non prostravit sententiam meam, quæ pridem animo meo de authore vitæ hujus insedit. Nam adversum me omnem commentationem suam in vitam hanc SS. Ludmillæ ac Wenceslai P. Athanasium suscepisse, si cœcus sim, palpem.

Cosmas ad h.a. (*c*) Cur in annotanda mortis die a Cosma recesserit Hagecius, ignoro; is enim *Idibus Julii* mortuum prodit, quem diem Annalista Saxo omnesque veteriores secuti. Ceterum in anno mortis omnes historici, quos cujusdam nominis esse comperimus, consentiunt. Unicum Chronicon Mellicense mortem Boleslai quinque annis serius reponit. Emendationes Cosmæ ex Codice Dresdensi eundem quidem annum DCCCC LXXII. cum Chronico Mellicensi habent, sed errorem Amanuensis hic intercurrere potuisse, qui numero V numerum X substituit, ex historia, contextu & serie annorum liquet. Nusquam enim Cosmas perturbato annorum ordine usus est, posterioresque prioribus præjecit. Hic autem non alium, quam annum DCCCCLXVII (qui in ceteris omnibus Cosmæ exemplaribus consignatus reperitur) locum habere posse, persuadet subsequens annorum series: DCCCCLXVIII. DCCCCLXIX &c. quibus singulis gesta quædam patria adscribit Cosmas. Hoc quidem quantum ad Cosmam: at vero cum doct. Compilator Seriei Chronologicæ nos edoceat, in consimili MS. Bibliothecæ Clementinæ eundem annum 972 consignatum esse, constetque Codicem hunc Cosmæ a quodam Monacho Zazaviensi descriptum, interpolatum, continuatum, multisque locis emendatum fuisse, suspicari merito licet, ab eodem hunc quoque annum emendatum fuisse, non quidem quod mortis Boleslai aliam cognitionem habuerit, sed quod Episcopatus Pragensis erectionem (quam eidem anno Cosmas innexuerat) serius ac nonnisi sub annum 972 accidere potuisse, ex actis & vita S. Wolffgangi cognoverit, quod idem de auc-

Chron. Mellic. apud Bern. Pezium T. I. p. 219. Apud Menken T. III

Chron. Geschich. Böh. 2 Th. p. 408.

auctore Chronici Mellicenſis ſentiendum, qui morti Boleslai Epiſcopatus Pragenſis initia illigat eodem anno 972.

(*d*) De ætate Boleslai, imperiique annis apud veteriores Hagecio ſilentium. Is cum magno Chronologiæ vitio anno 929 martyrium S. Wenceslai affixerit, omnino triginta ſeptem annos regiminis elicuit. At quandoquidem dubium amplius non eſt, S. Wenceslaum a Boleslao anno 936 interfectum, liquet, illum nonniſi 30 annis completis, 9 menſibus, & diebus 17 Bohemiæ præfuiſſe. Ceterum ignoro unde hæc hauſerit P. Victorinus noſter, qui ad ſeptimum numerum anni & diei ab Hagecio commemoratum, ad ſeptimum inſuper ſupra trigeſimum imperii, ſubjungit: *Septimum numerum, quem ſemper Boleslaus horruit, fatalem expertus.* Quod recentioris cujusdam commentum eſſe, ex ſincero calculo annorum, dierum, & menſis a nobis mox ſupra allatorum teſtatum eſt.

(*e*) Locum hunc ſepulturæ primus quoque Hagecius protulit, quem Balbinus, Crugerius, omnesque poſteriores ſecuti. *Balbin in Epit. l. 2. Cruger. ad 7. Junii.*

(*f*) Hæc mera amplificatio eſt eorum, quæ Coſmas ad hunc annum in laudem Boleslai mitis ſcribit. Optandum eſſet, ut *Privilegium Eccleſiæ S. Georgii* quod Coſmas hic laudat, ad nos uſque pertigiſſet, plura procul dubio ad hiſtoriam hujus ſæculi ex eo elicere fas eſſet.

(*g*) Germani latinique conjunctionem conſonantium *ml* non ferentes, interjecta litera *i* paſſim Miladam vocant. Mlada autem ſlavice *juvenem* ſignificat; an fortaſſis ideo dicta, quod Boleslai filiarum junior fuerit? Dubravius ait, ideo a Joanne XIII Mladæ nomen in Mariæ mutatum fuiſſe, *quod id enunciare tanquam barbarum nequiviſſet.* Sed indubium eſt, Mladam Mariæ nomen, pro ordinis S. Benedicti tum etiam more & uſu, in monaſterio & tyrocinio ſuo Romæ accepiſſe. *Dubrav. hiſt. Bojem. l. 6. p. 38.*

(*h*) Crugerius in ſacris Pulveribus, quem etiam Balbinus aliique ſecuti, ait: Mladam Ratisbonæ in Parthenone prius literis excultam, de quo quidem veteriores ſilent, at duo monaſteria Virginum hoc tempore iſthic jam exſtitiſſe, ex Vita S. Wolfgangi cognoſcere licet. *Cruger ad 9. Febr.*

(*i*) An hoc, an jam præterito anno, aut quo tempore Mlada Romam profecta sit, nihil apud veteriores proditum. Præsente anno id iter accidere non potuisse, persuadent plurima, præsertim si illa nomine & jussu fratris Boleslai mitis profectionem hanc suscepit, qui primum post *Idus Julii* Ducatum Bohemiæ consecutus. Infra insinuabimus, Synodum jam in Aprili Ravennæ habitam, in qua verosimillime causa erectionis Episcopatus Pragensis proposita & ventilata, & cum Cosmas verbis expressis dicat: *Mladam Romæ tempore aliquanto degentem monasticis sat disciplinis imbutam* prius fuisse, necessario sequitur, illam uno, si non duobus aut tribus annis, prius Romam profectam. Tyrocinium vitæ religiosæ per unum annum (in quo nec Romani Pontifices dispensare soliti) certe in ordine S. Benedicti facere debuit, nec credibile, prius a summo Pontifice velandam, *Abbatissam consecrandam, virgamque Abbatialem* ei dandam fuisse, ut Cosmas scribit.

Cosmas ad h. a.

(*k*) Verba solum Cosmæ sunt: *Ad ultimum Dominus Papa suorum Cardinalium consilio nimio volens novæ Ecclesiæ benignissime subvenire suffragio, consecrat eam Abbatissam mutato nomine Maria, dans ei Sancti Benedicti regulam & Abbatialem virgam.*

(*l*) Epistolane hæc Joannis XIII (quæ omnibus notis Chronologicis hodie caret) ad Boleslaum I. hoc anno adhuc Idibus Julii superstitem, an ad Boleslaum II. prioris filium data sit, merito disceptatio oriri potest. Nam ex superiorum annorum relatis liquet, Boleslaum I Episcopatum meditatum, tum ex posteriorum annorum historia manifestum est: Joannem XIII quidem facultatem erigendi Episcopatus concessisse, sed Episcopatum ipsum nonnisi sub ipsius successore, annisque 6 posterius, fuisse erectum, adeo ut cum certum sit, Episcopatum nonnisi sub Boleslao II principium sumpsisse, historici plerique eandem epistolam non alteri, quam eidem Boleslao II inscriptam hactenus passim crediderint. Unicum pene Engelhusii Chronicon bis repetit: a Boleslao S. Wenceslai interfectore (reconciliato summo Pontifice & Imperatore) Episcopatum Pragensem erectum fuisse, quod profecto non alio, quam ad hanc epistolam, qua ei data facultas Episcopatum erigendi, trahi potest. Et profecto plura alia momenta sunt, quæ suadent, Boleslao patri potius, quam filio, hanc epistolam, facultatemque erigendi Episcopatus vindicandam esse. Jam supra lit, *i* ostendimus: Mladam

Apud Leibnit. T. II. p. 1074 & 1075.

ante

ante duos & fortaſſis tres annos Romam profectam, cui cum negotium urgendi & expetendi a ſummo Pontifice Epiſcopatus Pragenſis commiſſum fuerit (ut ipſa mox allata epiſtola teſtatur) negotium hoc illi minime a fratre, ſed patre imperari & imponi potuit, cum prior hoc anno nonniſi poſt Idus Julii habenas Ducatus conſecutus ſit. Et vero a patre id illi injunctum fuiſſe, probat ſynodus hoc anno vivente adhuc patre jam ad XII Kal. Maji Ravennæ celebrata, in qua cum Archiepiſcopatus Magdeburgenſis negotio ſimul veroſimillime cauſa Pragenſis ventilata. Huc accedit aliud quoque indicium, quod mox ſequente paragrapho ex eadem epiſtola adferemus.

(*m*) Quædam exemplaria hujus bullæ additam habent vocem *ſoror*, ſcil. *tua relativa ſoror*, quæ vox ſi apographæ epiſtolæ inſerta fuiſſet, omnino dubium omne tolleret, inſcriptamque fuiſſe Boleslao II Mladæ fratri palam oſtentaret. At voce *ſoror* carent omnia vetuſta exemplaria Coſmæ, illaque duo, e quibus Freherus duplicem ſuam editionem adornavit, caret codex Dresdenſis, aliique, qui hactenus in manus meas inciderunt, caret etiam Pulkava MS. Marignola, compluresque. Compendiatoris Pulkavæ & nonnullorum poſteriorum exemplaria omnino vocem *ſoror* adjectam habent, ſed eam nonniſi ex margine in ipſum contextum irrepſiſſe, ex ſecunda editione Coſmæ a Frehero adornata manifeſto liquet, ubi hæc vox extra contextum in margine ſpectatur, a ſciolo quodam appoſita, quam poſterior imperitus ſcriba in ipſum epiſtolæ contextum inſeruit. Imperite autem & inconcinne hanc vocem appoſitam fuiſſe, ipſa orationis integritas perſuadet. Quid enim opus fuit Pontifici in hac ſua epiſtola addere vocem *relativa*, videlicet: *Filia noſtra, tua relativa ſoror?* quid ſibi vult vox ſuperflua, obſcuritatemque adferens *relativa?* an non potius, ſi ſororem nominare voluiſſet, legeremus ſimpliciter hodie: *Filia noſtra, tua ſoror?* Magno itaque indicio eſt, hanc vocem *relativa* nude poſitam reſpicere & referri ad mox præcedentem vocem *Filia*, adeo ut, cum Pontifex de Mlada ſcripſit *filia noſtra* ſcilicet ſpiritualis, huic ſpirituali oppoſuerit propriam & carnalem, quam *relativam* ſeu *reſpectivam* dixit, ut voces has promiſcue adhibitas teſtatur Du Cange in Gloſſario. Senſus itaque horum verborum eſt: *Filia noſtra ſpiritualis, tua relativa, ſeu ut hodie dicimus, propria & carnalis filia nomine Mlada &c.* Quo ſenſu omnino epiſtolam hanc ad patrem, non fratrem Mladæ, ſcriptam fuiſſe, cognoſcitur. Jam vero cum erectio Epiſcopatuum, præſertim

Coſmas apud Freherum p. 14.

in gentibus neophytis, majoris semper momenti visa sit Pontificibus, quam nonnisi in Synodis, & explorato Episcoporum judicio, definire soliti, & Cosmas noster expressis verbis dicat: Papam *suorum Cardinalium consilio* id fecisse: concedendum, in ejusmodi Synodo prius causam erigendi Episcopatus Pragensis propositam, excussamque. Constat autem, anno præsente Ravennæ a Joanne XIII in præsentia Ottonis M. Synodum plurium Episcoporum Italiæ & Germaniæ ad XII Kalend. Maji celebratam, in qua quoque causa de institutione Archiepiscopatus Magdeburgensis, & suffraganeorum reassumpta, communique suffragio sancitum: *in confinio Sclavorum Episcopatus esse erigendos, ne neo-conversæ gentes ad vomitum redeant;* quæ eadem causa cum pro Bohemis militaverit, lataque sententia eos comprehenderit, credibile est, paulo post Joannem XIII, scripta epistola Mladæque tradita, Boleslao patri facultatem erigendi Episcopatus Pragensis concessisse. Porro quemadmodum cum Archiepiscopatus Magdeburgensis erectione factum, quod Synodi hujus decretum (*propter Præsulis Halberstadensis absentiam & contradictionem, in cujus Diœcesi Magdeburgum fuit*) executioni adhuc præsente anno mandatum non fuerit, sed primum anno sequente in ejusmodi Synodo isthic coacta res terminata sit, ut ostendit Pagius: ita plane cum erectione Episcopatus Pragensis evenit, ut propter contradictionem Michaelis Episcopi Ratisbonensis, in cujus Diœcesi Bohemia fuit, eousque executio suspensa fuerit, dum demum S. Wolfgangus Michaelis successor consensisset.

Cosmas ad h. a.

Concilia Germ. T. II. p. 633.

Pagius in Crit. Baronii ad h. a. N. 3.

Vita S. Wolfgangi apud Mabillon Sæc. V. Bened.

(*n*) Hem triginta annis post mortem S. Wenceslai jam a summa sede verum ipsius *martyrium* agnitum, & supremi Pontificis præconio *Sanctum* celebratum! in cujus majorem venerationem ipsi Ecclesiæ, quæ hactenus nonnisi S. Viti titulum gessit, S. Wenceslai Martyris adjecit.

(*o*) Hoc monasterium præsente adhuc anno initium sumpsisse, ut passim nostri asseverant, & ipse Cosmas innuit, summe est credibile, qui idem, uti & Annalista Saxo, cum dicat: monasterium hoc hodie, quæquæ habet, Boleslao Pio debere, mors Boleslai Sævi ad præsentem annum confirmatur, cum secus eidem prima fundatio deberetur. Unde vero, & ex quo monasterio Mlada Antistes primas virgines, filiasque suas evocaverit, an quasdam secum Roma adduxerit, nihil in veteribus proditum. Ex vita S. Adalberti, quæ exstat apud Surium, con-

Annalista Saxo ad an. 983.

ji-

jicere fas est, ex Parthenone Magdeburgensi evocatas, cum posterius etiam Parthenonem hunc inter, & Pragensem quædam necessitudo intercesserit, ex eodemque Parthenone Elisabetha Abbatissa fuerit, quæ postea Mladæ succesſit. Joannes Florianus Hammerschmid historiam de origine, progressibus, rebusque hujus monasterii anno 1715 Pragæ typis edidit in quarto. Is pag. 4. ex antiquissimo MS. refert, a Wratislao Duce, conditore hujus Ecclesiæ, novem Clericos isthic institutos fuisse, videlicet duos subdiaconos, duos diaconos, quinque presbyteros, e quibus unus prærogativam & nomen Archipresbyteri tulit. Monasterio autem isthic præsente anno inducto nomen Archipresbyteri evanuisse, permanente tamen Clericorum Collegio acephalo, qui dicti sunt Canonici. An vero dicemus Parthenonem S. Benedicti isthic inductum, quin ullus ex eodem ordine Monachus Sanctimonialibus instar Directoris patrisque Spiritualis aut Confessarii associatus fuisset? id quidem vix adduci possum ut credam, præsertim si disciplinam hujus ordinis decimo sæculo in considerationem voco. Res alioquin rara & mira, Virgines ante viros hujus instituti prius induci & stabiliri facile sedecim annis potuisse.

(*p*) Apud has gentes SS. Cyrillum & Methudium induxisse in sacris pro latina linguam slavonicam, jam copiose Parte III Annalium nostrorum persecuti sumus. *Russi* vero hic commemorati iidem sunt, de quibus Photius ibidem a me laudatus, & quibus ante Bulgaros S. Cyrillus evangelium prædicavit; a Græcis, & cumprimis Leone Diacono vocantur aliter *Tauroscythæ*, quod Tauricam Chersonesum, tanquam propriam & avitam sedem, incoluerint. Erant illi eadem origine, qua Bulgares Europæi, scilicet ex magna Bulgaria, quæ Theophane & Miscella teste, inter fluvios *Tanaim*, *Volgam*, *Cuphim* (Cupam seu Copam) *pontum Euximum*, & *paludem Mæotidis* sita erat. Paulo ante imperium Constantini Pogonati (post mortem scilicet *Crobati* magnæ Bulgariæ Domini) aucta nimium gente, se se divisere filii ejusdem cum populis sibi subjectis. Senior filius *Batbajas* perstitit in magna Bulgaria, alter filius *Cotragus Tanai flumine trajecto ex adverso primogeniti posuit sedes*, inquit idem Theophanes. Tertius Istrum seu Danubium prætergressus, in Panoniam Abaricam, Chagano Abarum Principi se subdidit, subactis tandem Abaribus pulsisque, hæc transdanubiana regio ab his Bulgaris nomen *Bulgariæ* invenit. Non multo post, viribus Batbajæ per secessionem fratrum decrescentibus, *Chazari ex inte-*

Theophanes ad an. XVII Constantini Miscella in eod. Constant.

rio-

riori Berzeliæ prorumpentes magnam Bulgariam ſecundum limites ſuperius deſcriptam, ſibi ſubdiderunt, avito slavico populo iſthic conſervato, a quorum Chazarorum his terris dominatione tandem magna Bulgaria mutavit nomen, & *Chazaria* appellari cœpit. Eſt autem eadem Chazaria, in qua S. Cyrillus slavonica lingua Chriſtum populo annunciavit, ut vetuſtiſſimus & pene ſynchronus illius Biographus innuit. Quod ad *Cotragi* populos attinet, qui ex adverſo magnæ Bulgariæ, ſeu Chazariæ poſterius dictæ, ſedes, Tanaim ſcilicet inter & Danaprim, poſuerunt, ii ſe paulo poſt in ipſam Cherſoneſum inſinuarunt, iſthicque nominari cœperunt *Tauroſcythæ*, item *Ruſſi*, *Roſſi*, & *Raſci*, qui ſæculo hoc X jam imperium ſuum quoque trans Pontum, Mæotim, & Bosphorum Cimmerium ad ipſas avitas magnæ Bulgariæ ſeu Chazariæ terras protenderunt. Quod ex hujus anni hiſtoria manifeſtum fit. Nam cum præſente anno Nicephorus orientis Imperator, ut Cedrenus, Zonaras, & Leo Diaconus narrant, Ruſſorum Principem *Suentoslabum* (Suatoslaum) contra Bulgaros advocaſſet auxilio, illeque occupatam & magnam partem ab ſe vaſtatam Europæam Bulgariam retinere, nec cum populo ſuo redire vellet, *Miſſis poſtea Zemiſcis* (inquit Leo Diaconus) *ad Suentoslabum legatis denunciat, ut pacta cum Nicephoro mercede accepta ad ſuas ſedes, ac Cimmerium Boſphorum ſe recipiant.* Quam proinde tum Ruſſorum ſedem fuiſſe, etiam paulo poſt repetit: *Tzemiſſes* (inquit) *claſſem ad Iſtrum mittit amnis nueatum ſervaturos, ne qua Ruſſis ad patriam ac Cimmerium Boſphorum enavigandi facultas eſſet.* Hem patriam avitasque ſedes Ruſſorum ad Cimmerium Boſphorum! ad quem unquam slavicam gentem ſediſſe nonnulli (eruditi alioquin Viri) perfricta fronte Bajeri recentiſſimi authoris armis adverſum me dimicarunt; neque alio pene argumento Zechos veteres Ruſſis his omni parte finitimos, & fortaſſis concives, civitate slavica exturbare conati, quam quod unquam Mæotis, Cimmerii Boſphori, Pontique Euxini orientale litus Slavos coluiſſe, præter omne veterum indicium negaverint. Producant jam illi his vetuſtiſſimis Græcis, Latinisque, & cumprimis ſynchrono Leone Diacono, firmiora certioraque teſtimonia, aut *Suatoslaum* tam celebrem Heroem ex Annalibus Ruſſicis, ipſaque ſerie Magnorum Ruſſiæ Ducum expungant, quem non alibi (ut Wladimirum ejus ſucceſſorem non commemorem) patrias ſedesque, avitas ſuas, quam ad Cimmerium Boſphorum habuiſſe, mox ſupra oſtendimus. Sed quæ ſpes ſupereſt, ut origines gentium quarumque Slavicarum in majorem lucem vindicentur, quando ingenia quæque non contemnenda,

Leo Diaconus ad l. an. Zimiſcis fol. 970

da, & literarum fautores, præjudiciis patriis abrepti, libertatem sentiendi, scribendique servam faciunt, quando in ferendis sententiis vetustatis memorias, liberumque Doctorum virorum judicium execrantur, imo œstro quodam indignationis abripiuntur, nisi omnes cedant subscribantque? Quæ magis deploranda, quam historiæ Slavicæ, conditio? dum doctorum virorum suffragia pecunia emuntur, alios auri sacra fames cogit, alios adulatio, mensæ, artesque parasiticæ a pridem agnita veriore sententia in transversum agunt, & commodis quibusque privatis quæsitam eruditionis famam postponere impellunt. At dabunt hi aliquando posteritati meritas pœnas, cum hæc expromendi, perstringendique major libertas erit. Ego vero adversarios meos in utramque aurem quietos dormire jubeo; a me, quidquid porro litigatum fuerit, in hoc argumento non audituri ultra verbum unum, nihil enim noviter profertur, quod non pridem a me seu in Annalibus, seu Vindiciis, seu ab Historiophilo in duobus examinibus criticis fuisset exhaustum. Legat expendatque tria illa capita, quæ ad legitimam traditionem requiruntur, a me in Vindiciis pag. 62 & sequentibus pertractata, qui perfricta fronte, mendaci quadam traditionis auctoritate, Czechum vindicare conatus est, & pudebit eum consiliorum scriptorumque suorum. Conferat coævum membranaceum Hodjegovianum Boguphali exemplar cum multo recentiore illo chartaceo, quod est Wratislaviæ, & quantum distent æra lupinis, cognoscet.

(q) Stranskius ait: *Mlada ritus ecclesiæ latinæ complexa in Bohemiam redit, Joannisque Romani Papæ XIII bullam de antiquandis Græcis, & introducendis latinis religionis ritibus fratri Duci reddit. Hinc nata sunt secundum jam variandæ apud gentem meam religionis principia.* Quo documento autem Stranskius probavit Mladam ante suum iter Romanum, Bohemosque (quod is vult) ritus Græci fuisse? Latinis sacris literis illam imbutam fuisse, Cosmas innuit, communisque historicorum nostrorum est sententia, & Bohemos ipsos magnam partem jam eos latinos ritus & linguam prehendisse, persuadet Ratisbonensis Episcopi a 60 amplius annis in Bohemiam jurisdictio, qui isthic cum Clero suo spiritualia obibat munia, ut superioribus annis ostensum est. Profecto S. Wenceslaum jam Clericos e Bajoaria & Francia advocasse, illum latinis literis institutum, etiam ordinem S. Benedicti ingredi meditatum, ex Biographis illius legitur. Quare mutatio ea non quidem Græci sed Slavico Romani ritus altius Stranskio repetenda fuit a tempo-

Stransky Reipl Boj. c. 6. p. 270

Balb. in Epit. l. 2. c. 9.

ri-

ribus illis, quibus Moravia Magna ceſſavit habere Epiſcopos, & quibus jurisdictio Epiſcopi Ratisbonenſis in Bohemiam cœpit. Non negamus tamen, & hoc ipſo tempore in quibusdam adhuc Eccleſiis ritum slavicum perſtitiſſe, eumque pedetentim emortuum & antiquatum.

(r) Nimis alte, & ab ipſa fundatione hujus monaſterii paſſim noſtri hiſtorici *Principis* titulum repetunt, quem iſtud & multo poſteriora ſæcula penitus in Bohemia ignorarunt. Scribit quidem Balbinus plaudituque, ſibi ingreſſum in antiquiſſimum hujus monaſterii archivum patuiſſe. *Inveni*, inquit, *innumera Privilegia, quæ certatim in hoc Virginum cœnobium, Duces, Reges, Cæſares, ac Pontifices congeſſerunt. Præcipua ſunt*, perſequitur, *Principis dignitas Antiſtitæ in perpetuum collata, coronatio reginarum ejusdem Antiſtitæ manibus perficienda, exemptio ab omni Præſulum & ordinis Benedictini imperio, aliaque majora.* Sed a quo tempore hæc Principis dignitas? non utique ab hoc, aut paulo conſequentibus ſæculis.

Balb. in Epit. l. 2. p. 125

PRÆTERMISSA.

Chron. MS. Bibl. Vindob. Hiſt. Eccl. N. L. p. 111. Marignola Pulkava &c.

I. Hoc ipſo anno, quo Coſmas, omniaque vetuſta noſtra Chronica mortem Boleslai I reponunt, adhuc ſupereſt illius, & quidem poſtrema apud Witichindum memoria, dum refert, eum Miſeconi Poloniæ Duci genero ſuo adverſus Wigmannum duas acies equitum in auxilium miſiſſe. Hanc narrationem ad annum præſentem, non ſubſequentem (quo eam adnotavit Annaliſta Saxo) ſpectare, perſuadent literæ Ottonis M. XV Calend. Februarii poſt interfectionem Wigmanni juxta Capuam datæ, in quibus cum Otto filii ſui Romæ in Natali Domini hoc anno coronati mentionem jam faciat, manifeſto eruitur, Wigmannum hoc anno interfectum fuiſſe, ac proinde etiam lata Miſeconi a Boleslao noſtro ſubſidia ad eundem pertinere. Rectius itaque hunc annum conſignavit Sigebertus Gemblacenſis his verbis: *Wichmannus diu contra Ottonem Imperatorem rebellis a Miſacha Sclavorum regulo Imperatoris amico & milite perimitur.* Quæ eadem verba in Chronicon ſuum præſente anno tranſcripſit Albericus Monachus trium fontium. Rei geſtæ ſeriem fuſe narrat Witichindus, e quo tantum initium cum compendio reliquorum exſcribere juvat: *Wigmannus*, inquit, *ad orientem verſus iterum paganis ſe immerſit, egitque cum Sclavis, qui dicuntur Vuloini* (correctius exemplar habet Vilini, qui teſte Gundlin-

Annal. Saxo ad an. 968.

Sigeb. Gembl. ad h. a. Albericus in Chron. ad h. a.

Witichindus l. 3.

lingio mediam Marchiam Bandeburgicam incolebant) *quomodo Miſicam amicum Imperatoris bello laceſſerent, quod eum minime latuit; qui miſit ad Boluzlaum regem Bohemorum, gener enim ipſius erat, accepitque ab eo equitum duas acies.* Conſerta pugna, Wigmannus fugam inire tentavit, ſed ob id reprehenſus a ſociis, equo deſcendit, atque pedeſter ſtrenue dimicavit per integram diem. Altero die, defeſſus longo itinere & jejunio, quietis cauſa quandam aream ingreſſus, deprehenſus, agnitusque eſt, cum ſe imparem multitudini agnoſceret, uni ex hoſtibus enſem ſuum tradidit, ut eum ad Imperatorem deferret cum dicto: *Quo ſciat aut hoſtem occiſum irridere, vel certe propinguum deflere*, moxque eodem loco interfectus eſt. *Gundlingius in Altanse Brand.*

II. Ad hunc annum etiam ſpectat altera, præter victoriam de Wigmanno relatam, Miſeconi Polono offuſa lætitia, dum ei ex Daubravca filius naſcitur, qui Boleslai nomen ſortitus eſt. Verba Boguphali ſunt: *De qua uxore* (Daubravca) *anno DCCCCLXVII filium generavit, cui nomen Boleslaus in ſacro baptiſmate imponi fecit;* eundem annum nativitatis refert Commentator Kadlubecii. Ditmarus vero præter Chronologiam hæc narrat: *Poſthæc peperit bona mater filium longe ſibi degenerem, & multarum perniciem genitricum, quem fratris ſui nomine Bolizlaum appellavit, hunc, inquam, qui in eadem primo latentem malitiam aperuit, deindeque in viſcera* (ſcilicet fratres) *ſævit, ut inſequentibus a me manifeſtum fit.* *Boguphalus apud Sommersberg.* *Ditmarus l. 4. p. 359*

ANNUS 968.

Per eos dies, quibus accepto Pontificio diplomate Boleslaus de Præſule deſignando conſultabat, venit in Bohemiam, voti ad tumbam Divi Wenceslai ſolvendi cauſa, Ditmarus gente Saxo ex diſciplina Divi Benedicti Monachus, (a) qui cum ſe in Boleslai amicitiam inſinuaſſet, eidemque & ejus vitæ integritas, & mira eruditio, & inprimis

Ditmarus in Episcopū Pragensem eligitur

linguæ slavicæ peritia (b) probaretur, universo Clero populoque novis insulis dignissimus commendatus est. Conventu inito omnium una vox suffragiumque erat Ditmarus. (c) Munitus itaque literis publicis ad Ottonem Cæsarem missus est, ut baculo, annuloque investiretur. (d) Literarum tenor is erat: Auguste Cæsar, Christiani populi Auctor Defensorque supreme. Ditmarum virum a probitate doctrinaque spectatissimum universa Bohemorum gens pastorem sibi delegit, quem hic tibi coram sistit, atque supplex sit, ut auctoritate, qua polles, Episcopum suffragio quoque tuo probes, consecrarique jubeas. (e) Cepit vero mox primo conspectu Cæsarem sua morum concinnitate Ditmarus haud secus atque antea Boleslaum, convocatoque Præsulum aliorumque Imperii Principum concilio, statuit e re Christiana esse, ut proprius genti in Christi sacris novitiæ Episcopus daretur, quo duce majora in dies caperet incrementa. Jussum itaque Archiepiscopo Moguntino, ut consecraretur. (f) Peracta cærimonia, cœpit Ditmarum hortari Cæsar ad diligenter obeundum munus, non indigentem iis verborum stimulis, quem sua ipsius virtus, & alienæ salutis suscepta cura officii commonebat tam acriter, ut cum primum Pragæ ad aram Divi Viti Episcopus Bohemiæ salutatus (post decantatum a Clero quidem Ambrosianum Eucharisticon, a populo vero solemne iis temporibus vernaculum Kirleschu Kirleschu (g) Alleluja) clavum ejus Ecclesiæ moderandum suscepit, nulli molestiæ pepercerit, nullum subterfugerit periculum, quo minus plura excitando & consecrando templa, discursando per pagos & op-

Consecratur

oppida, idololatras, semichristianos, facinorosos quosque homines verbo, precibus, exemplo vitæ, hos Christo assereret, illos in suscepta religione firmaret, istos ad frugem reduceret, omnes DEO Cœloque lucraretur. *Ejus zelus*

ANNUS JESU CHRISTI 968.

JOANNIS XIII. PAPÆ AN. 4. OTTONIS M. IMP. 7. REG. 32.

BOLESLAI II. AN. 2. MICHAELIS EP. RAT. 25.

(a) Ditmarus (quod nomen etiam Thitmarus, Thietmarus, & Thiomarus apud veteres quosque legitur) ab omnibus tam veteribus quam recentioribus pro primo Pragensi Episcopo merito adstruitur. Sed quemadmodum Chronologia circa illius cathedram summum nutat, ita pauciſſimæ de eo apud veteres memoriæ. Erat perpetuo in tot veterum historiarum lectione intentus oculus meus & mens, ut Ditmari hujus indicia quædam liceret detegere, aut certe monasterium comperire, in quo regulam S. Benedicti professus erat, sed operam perdidi. Inveni quidem hac ætate complures Monachos nomine Ditmaros etiam Abbatum dignitate præfulgentes, quorum tamen memorias eum historia nostra conciliare haud licuit. Dubravius quidem ait, Ditmarum *apud sodales Magdeburgenses initiatum*, quem etiam sequitur Balbinus, adjicitque eum fuisse ex *cœnobio, quod S. Petri, Mauricii & Innocentii honori Otto I Imperator fundarat*, sed fontem anhelo, unde hoc hausturn est. Ex Magdeburgensi cœnobio Ditmarum fuisse, ipse disputare nolim, quandoquidem etiam Sanctimoniales ad Divum Georgium verosimillime inde petitæ, ut anno superiore memini, sed minus recte Balbinus hoc anno adhuc cœnobium *S. Petri, Mauricii & Innocentii* appellavit, nam jam pluribus retro annis Otto Archiepiscopatum Magdeburgi adornaturus, monachos e cœnobio S. Mauricii in montem, qui dicebatur *ad S. Joannem in Suburbio*, transtulit, uti apud Annalistam Saxonem legitur. *Dubrav. Hist. Boj. l. 6. Balb. in Epit. l. 2. p. 126.* *Annalista Saxo ad an. 969*

Balbin. in Epit. l. 2. p. 126

(b) Recte ait Balbinus admirationi haud esse, quod Saxo Ditmarus linguam slavicam calluerit, nam Slavos hoc tempore non minimam Saxoniæ partem tenuisse, & Saxones Slavis permixtos habitasse. Si Ditmarus e S. Joannis Magdeburgensi cœnobio fuit, id multo minus mirandum, quod medium inter Slavos erectum fuit, ut ipse Pontifex in bulla sua ait.

(c) Primos nostros Episcopos, communi Ducis, Cleri, populique suffragio ex veteris Ecclesiæ disciplina fuisse electos, constitutionemque illam S. Cœlestini Papæ: *Nullus invitis detur Episcopus, Cleri, plebis & ordinis consensus & desiderium requiratur*, accurate fuisse servatam, posteriorum annorum exempla docent.

(d) Ritum, quo Episcopi per annulum, pedum, chirothecam, aut aliud signum olim ab Imperatoribus investiebantur, concinne his verbis describit Waltramus Numburgensis Episcopus: *Nihil*, inquit, *refert sive verbo, sive præcepto, sive baculo, sive alia re, quam in manu tenuerit, investiat, aut intbronizet Rex & Imperator Episcopum. Qui die consecrationis veniens annulum & baculum ponit super altare, & in curam pastoralem singula accipit a stola & authoritate S. Petri.* De chiroteca legitur apud Gobelinum Personam ætate 6. Meinvercum decimum Paderbornensem Episcopum per eam investitum fuisse.

(e) Meminit ejusdem epistolæ Cosmas ad annum priorem, eamque tenore fere consimili exhibet.

Fabric. l. 2. Saxon. in Ott. I.
Weleslavinus in Calend. Hist. ad 2 Jan.
Chron. Monast apud Oefel. T. I. p. 338
Serrar. l. 4. rer. Mogunt.
Pegius in Crit. Baron ad. h. a.
Annalista Saxo ad. h. a. & an. 975.

(f) A Moguntino ordinatum fuisse Ditmarum, etiam Cosmas docet. Fabricius addit: Robertum Antistitem Moguntinum in Bohemiam venisse, ab eoque Ditmarum Pragæ solio episcopali impositum. Weleslavinus ab Hattone consecratum scribit. Breve Chronicon Monasticum Bavariæ id tribuit Wilhelmo, quod etiam sequitur Serrarius & Pagius, quibus posterioribus nempe indubius videbatur annus ordinationis Ditmari. Sed cùm Ditmarus nonnisi anno 973 Episcopus Pragensis consecratus fuerit, ut suo loco ostendemus, haud ab alio, quam Roberto Archiepiscopo Moguntino consecratus est. Constat enim ex Annalista Saxone, Wilhelmo hoc anno in Sede Moguntina successisse Hattonem, quem post annum primum secutus Robertus, isque superstes fuit ad annum usque 975, quo ei Willigisus successit.

(g)

(g) An jam cantus ille, qui hodiedum in quibusdam Bohemiæ Ecclesiis obtinet, tempore Ditmari in more fuerit, merito dubium oriri potest, cum passim S. Adalberto adscribatur. Ditmarus & Annalista Saxo hunc ritum cantandi Kyrie eleison paulo posterioribus annis a Bozone Episcopo Merseburgensi inter Slavos inductum fuisse produnt. Utriusque verba sunt: *Hic* (Bozo) *ut sibi commissos eo facilius instrueret, slavonica scripserat verba, & eos Kyrie eleison cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui vecordes hoc in malum irrisorie mutabant y krujolsa* (Annalista Saxo habet urivolsa) *quod nostra lingua dicitur alnus, quæ stat in frutetis.* Cosmas noster simile quid corruptum a plebe & idiotis cantatum fuisse innuit. *Ditmarus l. 2. p. 339. Annalista Saxo ad an. 970*

PRÆTERMISSA.

Bernhardo Halberstadensi Episcopo hoc anno V. Id. Febr. demortuo, tandem effectum dedit Otto M. ut Magdeburgum metropolis declararetur, & isthic media inter slavicas nationes Archiepiscopalis sedes erigeretur. Nam cum anno præsente Hildivardus Bernhardo in Episcopatu substitutus fuisset, is in Synodo II Ravennensi omni juri suo in regionem Magdeburgensem, terrasque inter Aram, Albim, Bodam, Salam & Unstrod fluvios libere cessit. Otto itaque præter moram Adalbertum Trevirensem monachum, Russorum jam multo ante ordinatum Episcopum designavit, qui hoc ipso anno XV Kal. Novembris Romæ pallium Archiepiscopale ex manibus summi Pontificis accepit. Suffraganeos nactus est Havelbergensem & Brandeburgensem jam antea institutos ordinatosque, præterea vero noviter erigendi Episcopatus Merseburgensis, Misnensis, & Cicensis eidem subjecti. Protulit non ita pridem in lucem Clar. Philip. Wilhelm. Gerken diploma Hattonis Archiepiscopi Moguntini hoc ipso anno verosimillime datum, quo consentit in Merseburg erigendum esse Episcopatum, Bandeburgensem autem & Havelbergensem Episcopos *suæ Ecclesiæ hactenus subjectos a debita obedientia absolvit, & Magdeburgensi Ecclesiæ ejusque Archiepiscopo subjicit*, e quo verosimillime causa aliqua conjicitur, cur postea Bohemia veluti in concambium, ut tum vocabant, aut compensationem aliquam eidem Moguntino fuerit adjudicata; nam certum est Bohemiam usque ad erectionem Episcopatus annumque 973 Salisburgensem Metropolitam respexisse, cujus Ratisbonensis Suffraganeus erat, ut jam alio loco contra doct. Compilatorem Seriei Chronologicæ ostendimus. Tot vero

Necrologium Fuldense apud Leibnit. T. III Annal. Saxo ad h. a. Concil. Germ. T. II. p. 639

Stifts-Historie v. Brandeburg p. 337 Leukfeld antiqu. Halberstad. in append. dipl. p. 656.

10

ro tantorumque Episcopatuum in confiniis Bohemiæ erectio non poterat non Boleslai Pii animum accendere ad accelerandum Pragensem Episcopatum, præsertim postea quam jam summi Pontificis accessisset facultas; unde cum præter Cosmam omnia vetusta Chronica nostra Ditmarum hoc aut superiore anno in Bohemiam venisse Episcopumque Pragensem ordinatum fuisse testentur, id eo accipiendum explicandumque censemus, quod omnino Ditmarus jam hoc aut superiore anno Pragam ex Saxonia advenerit, se se in gratiam Boleslai insinuaverit, ab eodemque Episcopus Pragensis designatus fuerit, sed quemadmodum Otto vivente Bernhardo Halberstadensi Magdeburgensem Archiepiscopatum, ita Boleslaus vivente Michaele Episcopo Ratisbonensi, in cujus diœcesi Bohemia erat, Pragensem perficere haud potuit, ut procul dubio Ditmarus pluribus annis designati, & a Clero populoque electi Episopi nomen ac titulum tulerit, antequam ad consecrationem ipsam pertigisset. Nisi dicere malimus Chronologiæ vitium, quo omnes vetusti nostri in Ditmaro laborant, profluxisse ex memoriis Ditmari vicini, primi quoque Episcopi Brandeburgensis, qui hoc ipso tempore vixit; & anno sequente mortuus, unde fortassis error in nostra vetusta Chronica irrepsit, quod is pro nostro & Pragensi habitus brevissime vixisse & jam anno sequente mortuus perhibeatur, cum Ditmarum nostrum annis novem Cathedram Pragensem tenuisse suis locis probaturi simus. Ad memorias patrias hujus anni præterea pertinet, quod passim Codices Cosmæ summo compendio referunt: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIII obiit Wolkomes.* Codex vero Bibliothecæ Metropolitanæ & Dresdensis posteriores voces emendatius transcribunt: *Obiit Wok Comes.* Magni nominis generisque fuisse hunc Wok Comitem dubitare vix licet, cum Cosmas ejus emortualem diem, in quo alias admodum parcus, consignaverit, cujus tamen genus gestaque, tanquam in puteum incidissent, hodie incognita sunt.

Apud Menken. T. III. p. 1776

AN-

ANNUS 969.

Tam clarum in Ditmaro ſidus oſtendit tantum Bohemis cœlum, iterumque intra nubes recepit, tanta ſane populi mœſtitia & ejulatu, ut majori dolore pater haud amitti poſſit. Defiit itaque hoc anno lucere Ditmarus præcipitantibus fatis quarto nonas Januarias exſtinctus, inque templo Divo Vito ſacro ſepultus. (a) Per id tempus ex Italia poſt decennale ſtudium Pragam rediit adoleſcens duobus ordinibus ſacris inſignitus, nec minus egregia librorum ſupellectili inſtructus. Is erat gente Bohemus patre Slawnico, Comite Libicenſi, matre Strzezislava prognatus, Sobieborō, Spitimiro, Bohuslao, Borzegio & Czaslao fraterno ſanguine junctus, nomine slavico Woytiech, latino Adalbertus dictus. (b) Aderat is, inquam, cum Ditmaro pararentur exequiæ, populusque paſtorem ſuum amiſſum multo proſequeretur mœrore, quocum is præter lacrymas ſua ſociabat ſuffragia, multisque pietatis operibus DEum animæ Ditmari propitium exorare conniſus eſt. Subito Proceres, populumque divinus quidam Spiritus ſanctaque opinio afflavit, fore, ut ſacer hic tyro plura aliquando probitatis editurus ſit exempla, in id igitur omnium converſa cura, ut Duci Boleslao innoteſceret, invitus ad Principem raptus inter circumfuſam hominum multitudinem his verbis Boleslao præſentatus eſt: Velis, nolis, ferulam epiſcopalem tibi deferimus, ingratiis licet Antiſtitis Pragenſis nomen & onus feres. Clari tui natales, tua virtus, doctrinaque ab unguiculis tuis nobis cognita atque probata, hoc ſibi decus expoſcunt. Te

Ditmarus Epiſcopus moritur

Woytiech ſeu Adalbertus redit Pragam ex ſtudiis.

Defertur ei Pragenſis Epiſcopatus.

Docto-

Doctorem divinæ legis, tē vitæ æternæ ducem, te monitorem, pastoremque sequi omnium alte sedet animis. Universa, quam coram vides, multitudo cleri populique neminem te Præsulis prærogativa digniorem judicavit. Ad quæ Prostislai Ducalis Cubicularii verba (c) obriguit pene Adalbertus, & certantibus omnium pro se votis, unus ipse sibi restitit multum lacrymatus, palamque testatus imparem se esse tanto oneri, quod sibi violente impositum irent; cumurgeretur vehementius, simpliciter negavit futurum unquam, ut fastigium tam præceps scanderet. Et nihilominus tam pervicax fuit omnium conspiratio, ut victas postremo manus dederit, objecta animo religione: DEI hominumque voci porro obluctandum non esse. Electus itaque Episcopus XI Calend. Martii eodem, quo Ditmarus anno fatis cessit. (d) Erat tum Cæsar Veronæ (e) Italiæ rebus intentus, ad quem præter moram designatus novus Præsul cum honorifica legatione muneribusque missus. Neque ibi quicquam obicis: delectatus Cæsar tam magnificis donis (infectum aurum argentumque erat, id est ingens gaza rudis) miratusque terræ Bohemæ fertilitatem tantos thesauros fundentem, (f) ut primum ex nunciis intellexit, quodnam legationis caput esset, quidve gens Bohema peteret, nihil cunctatus confirmatum III Nonas Junii annulo pedoque Woytiechum Willigiso (g) Moguntino, & Alberto Magdeburgensi Archiepiscopis, qui Cæsarem in Italiam secuti erant, (h) consecrandum dedit, a quorum altero is confirmationis sacramentum cum nomine, ab altero (i) dignitatem Præsulis III Iduum Junii accepit. (k)

Obnititur

Cedit, victusque dat manus.

Mittitur ad Imperatorem.

In-

Inde tertio die Cæſari, Archiepiſcopis, legatisque dictis gratiis Verona relicta in patriam incolumis rediit. Ut prope Pragam in Album montem ventum eſt, abhinc ad uſque Divi Viti nudus pedes, aperto capite flens, ſuamque indignitatem accuſans proceſſit. Exceptus iſthic cum vexillis inter ſacros hymnos maximosque ſacerdotum, gymnaſiarcharum ac populi plauſus in epiſcopalem cathedram collocatus eſt. (l) Ab ea ſolemni pompa (m) Boleslaus Adalbertum, Antiſtitemque Divi Georgii Mariam ad ſe accerſit, & inter cetera venerationis ſigna lege religioſa æternumque duratura ſancivit, uti ſanctæ Deoque propriæ eſſent donationes omnes, quas ſeu ipſe, ſeu quisquis alius Pragenſi Eccleſiæ, monaſterioque Divi Georgii feciſſet, quæ ſigillo manusque Ducalis ſubſcriptione roboravit. (n) Tum verſus Adalbertus ad exercendum munus ſuum, illico onus, quod formidavit, ſenſit; quanquam enim Chriſti fides jam magnos progreſſus in Bohemia fecerit, multi tamen immani perfidia ad ſimulacra defecerant.

ANNUS JESU CHRISTI 969.

JOANNIS XIII. PAPÆ AN. 5. OTTONIS M. IMP. 8. REG. 33.

BOLESLAI II. AN. 3. MICHAELIS EP. RAT. 26.

(a) Annum hunc emortualem Ditmari, ut & reliqua paſſim Hagecius illoque veteriores ex Coſma deprompſerunt. Qui cum veroſimillime in aliquo MS. veteri, Necrologiove hoc anno mortem *Ditmari Epiſcopi* ſcil. Brandenburgenſis, conſignatam reperiſſet, eam ad

Pragenſem ſpectare ratus, ejus, ac proinde etiam S. Adalberti geſta facile annis quatuordecim præoccupavit. Primo, quod reperi, Crugerio hic annus præmaturus viſus eſt, qui itaque annum 974 ejus morti deſignavit, quem poſtea Balbinus aliique ſecuti. At cum Berghauerus S. Adalbertum ſerius cathedram Pragenſem conſecutum adverteret, brevemque Epiſcopatum Ditmari ex Coſma aliisque omnibus noſtris legiſſet, mortem illius ad an. 979 tranſtulit, ſed utrumque minus recte, cum enim jam certum ſit S. Adalbertum anno 982 in Cathedram epiſcopalem evectum, indubium quoque eſt Ditmarum adhuc anno 982 ſuperſtitem fuiſſe.

Crugerius in S. Palv. ad IV. Non. Jan.

Berghauer in Proto M. Pœnit. p. 9.

(*b*) Coſmas ait eum ordine Subdiaconatus fuiſſe inſignitum, quique generatim dicit: *eum de Philoſophiæ caſtris, ubi decem aut plus militaverat annis, rediiſſe*, quod perperam Hagecius ad reditum ex Italia traduxit, cum conſtet S. Adalbertum Magdeburgi ſub diſciplina Archiepiſcopi Adalberti (qui anno ſuperiore primum, ut ſupra vidimus, ſedem Archiepiſcopalem occupaverat) diſciplinis Philoſophicis imbutum fuiſſe.

(*c*) Hic Proſtislaus Ducalis Camerarius rurſum omnibus Hagecio vetuſtioribus fuit incognitus.

(*d*) Biographus S. Adalberti *non longe ab urbe Praga*, Coſmas *in oppido Levigradec XI Kal. Martii* hanc electionem factam fuiſſe narrant. Prior præterea addit: eodem die Dominico, quo facta eſt electio, dæmonem per os energumeni in Eccleſia S. Viti exorciſmo traditi confeſſum, quod novi Epiſcopi ſanctitas ſe excedere cogat. Id alter Biographus a Willicone Præpoſito Eccleſiæ S. Viti, poſtea Monacho Caſſinenſi exorciſmo huic præſente, narratum & ſcripto Abbati ſuo traditum fuiſſe memorat.

Apud Mabillon Sæc. V. Bened. p. 852

(*e*) Coſmas id ſub Ottone II factum ſcribit, quem tum *de bello Saracenico* rediiſſe ait: quæ verba oppido oſtendunt S. Adalberti conſecrationem cum præſente anno conciliari haud poſſe. Deſumpſit autem verba hæc Coſmas ex primo auctore vitæ ſine ullis notis Chronologicis ſcribente, cumque Chronographum, qui geſta S. Adalberti in annos diſpeſcuiſſet, non invenerit, quid mirum ſi aberravit, omnesque poſteriores in eundem errorem traxit. Sed hunc errorem Coſmæ jam

Apud Mabill. l. c.

cor-

correxit Annaliſta Saxo his verbis: *Sciendum quod Coſmas Pragenſis Eccleſiæ Decanus hanc electionem & conſecrationem Anno Dom. Inc. DCCCCLXVIIII aſſcribit, cum conventus ille poſt bellum Saracenorum Veronæ ab Ottone II habitus, cujus ipſe in eodem loco meminit, Dom. Inc. Anno DCCCCLXXXIII acciderit.* Erravit proinde etiam graviter Balbinus, quidquid copioſe ad vindicandum annum 979 congeſſit. *Annaliſta Saxo ad an. 982.* *Balb. in Epit. l. 2. c. 11. p. 136*

(*f*) Coſmas & veteriores nihil de his donis, illius verba ſunt: *Ad quem* (Ottonem II.) *Slavonica manus Boemiæ cum electo pergit Epiſcopo ferens ex parte Ducis legationem, & totius Cleri atque populi petitionem, quo imperiali natu eorum communem confirmet electionem.* Quæ verba rurſum Coſmas ex eodem primo Biographo S. Adalberti deſcripſit. Innuimus jam vero Tom. II. noſtrorum MSS. nusquam antehac editorum Coſmam hunc ipſum Biographum præ manibus habuiſſe, quem integrum paucis mutatis in verſus leoninos tranſtulit, quos eodem Tomo primum in lucem protulimus.

(*g*) Et iſtud Chronologicum Coſmæ indicium probat conſecrationem S. Adalberti ſerius factam, cum Willigiſus nonniſi anno 975 ſedem Moguntinam, ut jam alibi oſtendimus, occupaverit.

(*h*) Adalbertum Archiepiſcopum non hoc, ſed ſuperiore anno fuiſſe in Italia, ſupra oſtendimus, & vero ſub S. Adalberti conſecrationem jam is obierat, præmortuus enim anno 981. *Annaliſta Saxo ad An. 981.*

(*i*) Hanc incogitantiam Hagecii, qui S. Adalbertum prius duobus ſacris ordinibus inſignitum, dein primum ſacramento confirmationis initiatum perperam aſſeruit, jam reprehendit Balbinus. *Balbin. in Epit. l. c.*

(*k*) Hunc errorem diei traxit Hagecius cum plerisque aliis ex mendoſis Coſmæ Codicibus, rectius habet Codex Dresdenſis III Kal. Julii, cum enim ex priore Biographo certum ſit S. Adalbertum feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſecratum, non potuit id niſi III. Kal. Julii fieri.

(*l*) Nudis pedibus S. Adalbertum intraſſe Pragam non modo refert Coſmas, ſed etiam pervetuſtus Codex monaſterii S. Cæciliæ, ad quem provocat Baronius. *Baronius ad an. 980 N. 4*

(*m*) Interpolator Weleslavini ſæpius a me laudatus, veroſimillimam originem pompæ illius ſolemnis, qua etiam hodie Archiepiſcopi Pragenſes ſub inthronizationem ſuam a loco aliquo urbi Pragenſi vicino per triurbem in Metropolitanam Eccleſiam deducuntur, non inconcinne ab his temporibus, primisque Epiſcopis noſtris repetit, quos ſcilicet ſeu ab inveſtituris Imperatorum, ſeu conſecratione Moguntini paſſim extra Bohemiam præſtita reduces Clerus populusque ſimili ſolemni apparatu excipere, & in Eccleſiam Divi Viti deducere ſolebat.

(*n*) Paulo aliter hæc Coſmas: *Hujus tam præclari Adalberti conſilio & prædictæ atque dilectæ ſuæ ſororis Abbatiſſæ Mariæ interventu Dux Boleslaus, quidquid Præſul Pragenſis usque hodie in ſuo poſſidet vel obtinet Epiſcopio, vel quidquid Abbatiſſa optavit dari & fieri utilitatis in ſuo cœnobio, gratuita* (Boleslaus Pius) *utrisque conceſſit pietate, & canonum ſacra confirmavit auctoritate.*

PRÆTERMISSA.

Hanſiz. Germ. Sac. T. II. p. 158. Ad hunc annum Hanſizius refert diploma Ratisbonenſe ab Ottone Imp. & Joanne ſummo Pontifice in Synodo Romana præſentiaque centum & ſeptemdecim Epiſcoporum in favorem Cœnobitarum S. Emerami datum, in quo inter ceteros Epiſcopos etiam *Bragenſis Epiſcopus* ſine tamen ullius nominis expreſſione legitur. Idemque diploma non modo apud dictum Hanſizium, ſed etiam Hundium, Meibomium, Bernardum Pezium, Oefeliumque e diverſis codicibus exſcriptum typisque vulgatum deprehenditur. Nec dubitant Hanſizius aliique nonnulli per hunc *Bragenſem Epiſcopum* Ditmarum deſignari, eundemque Synodo huic Romanæ interfuiſſe, cum ex Coſmæ communique noſtrorum Chronologia Ditmarus jam anno 967 ſedem Pragenſem occupaverit. Quodſi diploma iſtud omnes notas ſinceritatis ferret, vix aliud ſupereſſet, quam Coſmæ Chronologiam amplecti, & Ditmarum vel invito Epiſcopo Ratisbonenſi, a quoquo demum Antiſtite conſecratum fuiſſe admittere, ut proinde quod hactenus nonniſi via facti uſurpatum fuiſſet, demum ſub S. Wolfgango Michaelis ſucceſſore ſecundum canones eccleſiaſticos conſummatum fuerit. Sed multa ſunt, quæ diplomatis iſtius fidem ſuſpectam reddunt. Verum quidem eſt, uti ex Tomo IX Conciliorum p. 1238 legitur, hoc anno VII Kal. Junii Synodum Romæ celebratam, in qua etiam Beneventana Cathedra in ſedem Archiepiſco-

Hundius in Epiſc. Ratisb. p. 151. Meibom. T. I. p. 753. Pezius T. I p. 55. Oefel. T. I. p. 176.

scopalem evecta; verum etiam est, Michaelem, qui subscriptus quoque legitur, adhuc anno præsente Ratisbonensi Ecclesiæ præsediisse. Sed totius diplomatis tenor indiciis quibusque Chronologicis inter se pugnantibus refertus est, ut nec huic, nec anno 962, ut prius senserat Hansizius, respondeat. Dicit enim ibidem Otto (qui cujus numeri fuerit, non exprimitur) *Quod per interventum dulcissimi fratris nostri Henrici Ducis Bajoariorum* hoc privilegium confirmaverit, cum tamen certum sit Henricum Ducem Bajoariorum fratrem Ottonis I. jam mortuum fuisse anno 955 non multo post glorioſam illam ab Hungaris relatam victoriam, quo quidem tempore nec Otto I. adhuc *Imperator Augustus* fuit, quo titulo eum dictum diploma nobilitat. Quod alterum est: in hoc diplomate Rector seu Abbas cœnobii S. Emerami jam secernitur ab Episcopo Ratisbonensi, cum tamen certum sit usque ad S. Wolfgangum Episcopos Ratisbonenses simul fuisse Rectores & Abbates cœnobii istius. Quæ posterior procul dubio causa fuit Eminentissimo Baronio, ut testatur Mabillonius, quod diploma hoc ad Ottonem III. referendum esse existimaverit, sed eidem quoque tempori obstat nota Chronologica: *Henrici fratris Ducis Bajoariorum*, & subscriptio *Michaelis Episcopi Ratisbonensis*, qui æque multo ante demortuus. Nisi dicere malimus vocem *fratrem* more illius seculi pro *fratruele* acceptam fuisse, intelligendumque esse hic Henricum Henrici prioris filium, subscriptionem autem *Michaelis* perperam a Chronologiæ imperito fuisse intrusam, cum in exemplari, quod edidit Hundius & Meibomius, expressa non legatur. Quo pacto omnino hoc diploma ad Ottonem III referri posset, non tamen ante annum 985, quo primum Henricus hic Ottoni conciliatus est, nam & eodem anno Joannes XV Cathedræ Romanæ præsedit, & Praga jam Episcopum, non quidem Dicmarum, sed Adalbertum habuit. Quod ad vicinam nobis Misniam Saxoniamque attinet: discimus ex Annalista Saxone nomina Episcoporum primorum, qui hoc anno a Magdeburgensi Archiepiscopo Adalberto consecrati sunt, de quibus idem: *Adalbertus Archiepiscopus a Clero & omni populo magnifice susceptus . . . . consecravit Bosonem Mersburgensis Ecclesiæ Pastorem primum; Burchardum Misnensis Ecclesiæ Provisorem primum; Hugonem Cicensis Ecclesiæ Episcopum primum. His confratribus coaptavit Imperator tres prius consecratos, hoc est Dudonem Havelbergensem, Dudelinum Brandeburgensem, & Jordanem Poznanensem, omnes subjectionem Episcopo suisque successoribus promittentes.* E quorum numero cum sit vicinissimus nobis Episcopatus Misnensis, cujus fines bul-

Vita S. Wolfgangi apud Mabillon. Sæc. V. Bened.

Annalista Saxo ad an. 985.

Annal. Saxo ad h. a.

la

la quædam Joannis Papæ conſervavit, eosdem cum finibus Epiſcopatus Pragenſis conciliare ad annum 973, quo ille erectus eſt, conabimur.

ANNUS 970.

Boleslaus peregrinatur Boleslaviam.

Profectus eſt Boleslaus cum ſervitiorum comitatu Boleslaviam, (a) iſthic profuſum ſanguinem Divi Patrui ſui veneratus propitium imperio ſuo Numen cum lacrymis deprecatus eſt. (b) Sub reditum ſuum, cum eo loci eques perveniſſet, ubi quondam Wenceslai exuviarum vectores quievere, gravi præter conſuetudinem ſomno obrui cœpit. Comitabantur Principem duo de turba Palatina Jarobogius, & Krotislaus, ad quos converſus: Juvenes, inſit, ſi veſtrum alterutri tranſverſi calles viarumque compendia explorata ſunt, indicet, niſi enim ocyus hoſpitium aliquod occupamus, ſub dio capienda quies erit, tantoopere oculos meos ſomnus gravat. Jarobogius cum ſectum per ſaxa callem Profyk appellatum offendiſſet, hic, inquit, expedito homini pervius eſt, quo ſolum utuntur, qui pedibus iter faciunt, (c) hic nos ocyus ad villæ Libenſis plana deducet, inde non longe Porziczanium abeſt. Probante compendiarium iter Principe ſaltum feſtinanter ingreditur, ac tanta fuit in Principe dormiendi libido, ut comitum quæquæ faceta narratio haud prohibuerit, quo minus in ipſo montis deſcenſu Boleslaus a ſomno ſibi temperare poſſet, equo itaque deſiliens, humi-

mique ſtratus ſomnum capit ſuper pallia a comitibus ſubſtrata, idem nonnihil remotius alligatis equis faciente Jarobogio alteroque Krotislao. (d) Horam circiter is tenuit ſopor, experrectus Princeps ad comites ait: O quam felici oſtento me beavit ſomnium! Reddidit hic loci mihi Numen ſumme propitium Patruus meus Divus Wenceslaus. Id beneficium pietate aliqua penſare opus eſt. Advolvite ſtrato meo ſaxum, illique cultro meo venatorio crucis ſignum inradite. Et tum quidem reditum eſt Pragam, at quarto poſt die id eſt Idibus Junii per eductum Praga ædilium, murariorum lapicidarumque gregem moles templi ædificari cœpit, cui ipſe Boleslaus jacto primario lapide initium fecit, conſummatum eſt opus XV Kalend. Octobris, (e) conſecratum dein prima Dominica Octobris (f) in honorem DEI ac S. Wenceslai præſente Boleslao Duce, numeroſaque pie credentium multitudine ab Epiſcopo Adalberto. (g)

Oſtentum per ſomnium illi factum.

Ædificat Eccleſiam in Proſik.

ANNUS JESU CHRISTI 970.

JOANNIS PAPÆ XIII. AN. 6. OTTONIS M. IMP. 9. REG. 34.

BOLESLAI II. AN. 4. MICHAELIS EP. RATISB. 27.

(a) Balbinus nulla allata cauſa ab hac Chronologia Hagecii recedit, narrationemque hanc ſeu in annum 971, ſeu 972 rejicit, veroſimillime, quod alterutro anno innitia Pragenſis Epiſcopatus innexuerit, cum indubie ab Epiſcopo Pragenſi hanc Eccleſiam conſecratam fuiſſe crediderit. *Balb. in Epit. p. 127.*

(b)

(*b*) Hanc integram anni hujus hiſtoriam primus rurſum protulit Hagecius, quanquam non diffitear exſtare veteriores imagines, quæ ſomnium hoc Boleslai Pii repræſentant, quæ me facile induxiſſent, ut Hagecium hæc ex ſacratiori quodam Eccleſiæ Proſecenſis tabulario deprompſiſſe credidiſſem, niſi maximus Chronologicus error, de quo infra, omni me credulitate deturbaſſet.

(*c*) Imo hanc præcipuam currulem antiquitus viam fuiſſe Praga Brunduſium proficiſcentibus multis vetuſtatis indiciis, quæ ſub decurſum hiſtoriæ occurrent, proditum eſt, dictus autem hic aſcenſus a ſecta per ſaxa publica via ſlavice Wroſek.

(*d*) Horum nomina & memoriæ in nullo quoque veteriore occurrunt.

(*e*) Jam brevitatem temporis, qua moles hæc Eccleſiæ abſoluta, miratus eſt Crugerius; admodum compendiariam hanc ſtructuram fuiſſe oportuit, quæ non multo amplius cum interiore apparatu, quam trium menſium ſpatium, popoſcit.

Cruger. in ſac. Pulver. ad 13 Junii.

(*f*) Litera Dominicalis anno 970 fuit B, ac proinde prima Dominica Octobris eodem anno incidit in diem 2 Octobris. Superiore anno incidit Dominica hæc in 7mam Octobris, quo ipſo die ampliſſimus Magiſtratus Veterourbenſis, Patronus hujus Eccleſiæ, in Primorum Regni Ordinisque Eccleſiaſtici frequentia ſumma ſolemnitate octavum ſæcularem annum hujus conſecrationis celebravit; feſtivitatem hanc magnifico dono auxit Auguſtiſſima Imperatrix noſtra Maria Thereſia, quæ pretioſiſſimum apparatum ſacerdotalem, quem vulgo ornatum dicimus, Eccleſiæ huic liberaliſſime obtulit vel eo ſummi ducendum, quod ipſa Auguſta ad harum veſtium ſacerdotalium operam pie manum admoviſſe feratur.

(*g*) Si reipſa hoc templum, ut communis fert fama, traditioque quædam, a S. Adalberto conſecratum fuit, tredecim ſaltem annis poſterius id accidere debuit, ſane præſente anno S. Adalbertus necdum ephebos exceſſerat. Advertit jam iſtam difficultatem Balbinus, qui S. Adalberto Ditmarum ſubſtituit, ſed ne *quidem Ditmarus I. Pragenſium Epiſcopus infulam apud nos geſtavit* hoc anno, recte argumentatur Crugerius.

Balbin. in Epit. p. 128

Cruger. in ſac. P. iv. ad 13 Junii.

gerius. Imo ajo, si consecratio hoc anno accidit, sæcularisque annus & dies rite conservatus est posteritati, ne quidem a Michaele Episcopo Ratisbonensi hanc functionem peragi potuisse, cum auctor vitæ S. Wolfgangi Michaelem annis posterioribus Episcopatus sui infirma valetudine perpetuo pressum fuisse prodat. *Apud Mabill. Sæc. V. Bened.*

PRÆTERMISSA.

Demortuo hoc anno Adalberto Passavienſi Episcopo successit post mensem Junium Piligrinus, ut recte adnotat Hansizius & Sigismundus Calles, sub cujus Episcopatus initium S. Wolfgangus gente Svevus Monachus cœnobii (quod eremus Helvetica Divæ Virgini sacra dicebatur *) in Noricum venit, & sub principium sequentis anni in Pannoniam descendit, Hungaris, jam post cladem Augustanam mitioribus factis, & pacem cum occidentalibus atque Ottone colentibus, ut Hansizius & Calles inquiunt, evangelium prædicaturus. Quæ familiaris ejus Biographus his verbis enarrat: *Abbatis sui licentia monasterium & monachum deserens .... per Alemanniam devenit exul in Noricum, ad cujus orientalem plagam cum humili comitatu pergens, prædicandi gratia Pannoniæ petit confinia, ubi cum veterum frutices errorum exstirparet, & steriles squallentium cordium agros evangelico ligone proscinderet, frugemque fidei inseminare frustra laboraret, a Piligrino Patavienſi Pontifice ab incepto revocatus est opere.* Scilicet demum anno 972. Quæ idcirco hic protulimus, tum ut ostendamus, quantam etiam veteriores quique nostri vim Chronologiæ intulerint, cum jam 30 & amplius annis prius S. Wolfgangum Ecclesias in Bohemia consecrasse scripserunt, tum ut viam sternamus erectioni Episcopatus Pragensis, qui nonnisi Præsulis hujus consensu initium sumpsit. Alia hic merito quæstio oritur: Num S. Wolfgangus unquam in Bohemia fuerit, ut posteriores etiam quique nostri affirmant, quorum complures (inter quos etiam Balbinus, Crugerius, & Ven. Chanovsky) ajunt S. Wolfgangum in Bohemia eremiticam vitam egisse, & vestigia illa pedum petræ impressa, quæ locis pluribus, præsertim circa Chudenicium pagum & ultra Krupnam venerationi etiam hodie sunt, manifesto esse testimonio: nempe impressa fuisse *cum peregrinaretur ut pastor, vel commoraretur ut eremita.* Sed nec Biographus ejus familiaris, nec Arnolfus verbo meminerunt S. Wolfgangum fuisse in Bohemia, qui uterque imo ait: eum non eremiticæ vitæ alibi agendæ causa, *sed revelatio-*

Hanſ. sac. Ger. T. II. p. 159. Calles Annal. Austr. T. I. p. 256. Joann. Egon in Viris illustr. Augiæ divitis P. I. c. 3. Vita S. Wolfg. N. 13. apud Mabillon. c. l.

Balb. in Epit. c. l. Crug. ad 31 Octob. Chanowsky in vestig. Bob. Pia p. 114. Apud Mabill. c. l.

Chanowsky c.l. *ne divina incitatum ad prædicandum Pannoniæ evangelium licentiam a suo Abbate postulasse ac impetrasse.* Minus recte igitur ex horum sententia scribit Ven. Chanowsky: S. Wolfgangum missum a Piligrino in Bohemiam, *quem eundem etiam advocaverat in Ungariam.* Piligrinus enim non advocavit eum in Hungariam, sed ex Hungaria revocavit, ut supra legimus. Quod ad vestigia pedum saxo incisa attinet, ea spectantur non solum in Bohemia, sed aliis etiam quibusque regionibus (præsertim ubi honori ejus condita sunt templa) quas nunquam vel pede tetigisse S. Wolfgangum certum est. Facta autem sunt venerationis causa istiusmodi vestigia, quæ passim ferme uniformia sunt, ad imitationem & similitudinem veterum illorum vestigiorum, quæ olim Ratisbonæ publicæ veneration proſtabant, & de quibus vetus author in vita S. Wolfgangi rhytmis conscripta:

Pedibus ut terra cessit
Suis, petra & liquesiit
Pedis iconem impressit
Ut apparet hodie.

Sic Philippus Menzelius Medicus voti causa canit de ejusmodi vestigiis non modo pedum sed etiam manuum, quæ servabantur prope Ischelium in finibus diœcesis Salisburgensis:

Ecce autem res mira: manus, plantasque pedesque
Accipit immersos, nativum oblita vigorem
Nuda silex

Ad Vitam S. Wolfg. c. l. n. 12. Nisi dicere malimus hæc eadem vetusta pedum vestigia ex vicina Ratisbona translata fuisse in Bohemiam, cum Mabillonius in observationibus suis prævis nullam amplius eorum mentionem Ratisbonæ exstantium faciat, cum tamen *tumuli in navi Ecclesiæ S. Emerami ad meridiem, corporis in cripta occidentali, & casulæ in sacrario* servatæ meminerit. Pariter non absimilis difficultas est definiendi, num revera S. Wolfgangus, qua Episcopus Ratisbonensis, unquam fuerit in Bohemia, de quo etiam silet uterque vetustus author. Udalricus Onforg quidem in Chro-

Apud Oefel. T. 1. nico Bavariæ sæculi XV. historicus ait: *S. Wolfgangus in Bohemia provincia, quæ tunc sub Ratisbonensis Ecclesiæ parochia exstitit, noviter vana idola ab-*

abjecerat Ottonis rogatu. Et Laurentius Hochwartus ejusdem ætatis inquit: *Pragenſes Sacerdotes de doctrina & vita inveſtigavit.* Sed tam recentibus authoribus vix plena fides tribuenda, præſertim cum ſuſpicari liceat eosdem, uti & alios poſteriores, hæc nonniſi per conjecturam aliquam ex primis duobus vetuſtis Biographis deprompſiſſe, qui ajunt: *totam perluſtrans ſuam diœceſim cunctos ſalutiferæ prædicationis odore adſperſit*, non animo reputantes S. Wolfgangum plane puſillo tempore regimen Eccleſiæ Bohemæ tenuiſſe: Nam conſecratus ille primum Epiſcopus anno 972 in autumno, ut ſuo loco oſtendemus, quem mox principio ſequentis anni conſecuta erectio Epiſcopatus Pragenſis, & ſeparatio Bohemiæ a Ratisbonenſi parochia, adeo ut tam brevi temporis intervallo ea perluſtratio diœceſis ſuæ Bohemicæ difficulter accidere potuerit. Potuit tamen S. Wolfgangus conſecrationi aut inaugurationi Ditmari interfuiſſe Pragæ, aut concambii illius (cujus uterque Biographus meminit) cauſa adiiſſe Boleslaum, quo pacto omnino dici poteſt eum per Chudenicium viam Pragam prehendiſſe, de quo tamen ſilent omnes veteres. *Apud eundem T. I. p. 177.*

ANNUS 971.

Nihilo inferior ea quoque fuit viſio, quam præſente anno idem Boleslaus habuit, eo etiam illuſtrior, quo præſentius vitæ diſcrimen urgebat Principem. Sæpius ante & maxime hac æſtate collecta hominum Chriſtianorum turba (quibus nempe ingens devotionis fervor, & templorum rerumque ſacrarum cura quotidie oculis obverſabatur) hortari cœpit Boleslaum: vellet aliquando ædificandis templis, vitæque aſperiori modum facere, animum laxare lætioribus, memor eſſet, quidquid ipſe paterque ejus peccaſſet, pridem expiatum eſſe. Quibus non ſine lacrymis reſpondit

Boleslai pietas. piiſſimus Princeps: Scio fidiſſima mihi capita, ſcio promptius eſſe Numen ad largiendum veniam, quam nos mortales ad poſtulandum; ſed ne animo reputetis velim tam leve delictum, germani, inquam, probiſſimique fraterni ſanguinis effuſionem. Is, mea quidem ſententia, haud aliter atque innocentiſſimi Abelis ſanguis perpetuo vindictam a nobis Ducatuque noſtro expoſcit. Non enim neſcio DEum miſericordiſſimum eſſe, quem ipſe ſe profeſſus eſt, ſed & Zelotem non ignoro, qui viſitet iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Satius eſt ad DEum convertere corda noſtra, quam malefactis ejus juſtitiam exaſperare. Sed jam ſatis mœrori, metuique datum, hilares vos poſthac eſſe jubeo. Quod ut reipſa jam probaret, ac quædam oblectamenta palatinis ſuis propinaret, venationem in *Venatur.* ſilva Scharka (*a*) indixit. Egreſſi in nemus retibus præcinctum, tumultu venatico canumque latratu turbant omnia, Principe in quodam colle cum famulorum duntaxat uno venationis eventum operiente. Hic dum alio oculos defixus hæret, hem! præter opinionem e vicinis luſtris prorumpens non uſitatæ magnitudinis urſus recta in eum fertur, ac tantus fuit *Irruit in eum urſus.* currentis furentisque in eum belluæ impetus, ut ægre ſpatium fugiendi reliquerit. Fugam inter ſigno crucis ſe munit, ſperans, hoc præſidio ſat tutum ſe futurum. Verum poſteaquam urſum neque de recto curſu remittere, neque ad manus ſatis armorum eſſe cognoſceret, tum demum æſtimata periculi magnitudine expalleſcere cœpit. Jamque haud longe aberat immitis fera, cum repente intercurrens ſenex

qui-

quidam multa canitie divinoque quodam vultu venerandus, oblongo, quem manu gerebat, baculo belluam percutit atque abigit, quæ præceps viam relegens, uno veluti momento diſparuit. Habuit vero Boleslaus viro defenſori ſuo eas, quas par erat, gratias, ex quo non præter admirationem intellexit urſum illum unum eſſe de ſpiritibus immundis, qui eorum locorum tumulis delectarentur. Tumulos hos enim, ajebat, eſſe hominum profanorum ex Cztiradii ſervitiis, qui non loti ſalutaribus undis tempore ancillaris belli magica promulſide a quadam Scharka enervati ante ducentos triginta annos in his locis cecidiſſent. (b) Inquirit Princeps: unde hæc ille tot ſæculis a ſe poſita noſſet? quis, & quod nomen ei eſſet? Mathiam ſe eſſe Chriſti Apoſtolum profeſſus eſt, & cum dicto in clariſſimam lucem reſolutus ex oculis Boleſlai, famulique evanuit, qui quod oculi ſplendorem divini hujus vultus ferre non poſſent, non nihil longius ab hero receſſerat. Redux domum Boleslaus ſingula, quæ ſibi per venationem evenerant, Adalberto Præſuli ex ordine narrat, a quo conſilium accipit: in rei memoriam Apoſtolique venerationem his locorum ſpatiis Sacellum excitandum eſſe. (c) Et exſpectaverat ſententiam iſtam Boleslai pietas divinique cultus proferendi ardor: nec mora ædes Divo Mathiæ iſthic poni cœpta intra puſillum tempus ad faſtigium perducta eſt. (d) Hanc omni apparatu inſtructam dein Adalbertus ſolemni ritu dedicavit. (e)

Defenditur a venerabili ſene.

Qui ſe Mathiæ Chriſti Apoſtolum profiteatur

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 971.

JOANNIS XIII. AN. 7. OTTONIS M. IMP. 10. REG. 35.

BOLESLAI II. AN. 5. MICHAELIS EP. RAT. 28.

(a) De hac silva jam actum P. II. Annal. nostrorum p. 243. Quid autem hac tanta amplificatione quæsierit Hagecius, scilicet ostentationem cujusdam eloquentiæ, non veritatem ipsam historicam, palam est.

(b) Primum magicæ hujus promulsidis fatique Cztiradi prolatorem Dalimilum jam eadem Parte II. ad annum 742 indicavimus.

(c) In hanc universam anni hujus historiam haud vacat commentari, nec aliquid suppetit ex veterioribus, quod adjiciatur, quandoquidem ante Hagecium neminem inveneris, qui vel meminisset; eum neminemque superiorem habuere dein fontem Crugerius, Balbinus, Hammerschmid omnesque posteriores.

Cruger. in S. Pulv. ad 24. Febr. Balb. in Epit. Hamerschmid in Gloria Pragens.

(d) Sacellum istud communi fama a pluribus sæculis inter vetustissima Bohemiæ habitum, quod ex numero earum XX Ecclesiarum esse, quas a Boleslao Pio conditas fuisse memorat Cosmas, vix dubitare licet, id annis his augustius reddidit, & in formam elegantis Ecclesiæ, fundato hic loci Parocho, redegit Reverendissimus ac Excellentissimus DD. Franciscus Strachowsky de Strachowitz Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus, quem anno præsente Augustissima ob sua Avorumque merita Consiliarii Actualis Intimi prærogativa nobilitavit.

(e) Hoc Chronologiæ, annisque Episcopatus S. Adalberti, ut jam superiore anno ostendimus, repugnat.

PRÆTERMISSA.

Paprocius in urbibus p. 224. Paprocius ad hunc annum narrat Primores Klatovienſis regionis Pragæ a S. Adalberto Episcopo sacro baptismatis fonte fuisse ablutos, horum alterum fuisse Vitanum Rohomili filium, alterum fratrem Bohzdiekum

diekum Studenicii seu Fontini dynastas, a quibus Fontiniorum progenies. Præmittit vero jam ante a S. Adalberto huc missum fuisse quendam pium sacerdotem Switislaum nomine, qui Klatovienses & Studecenses Christi legibus imbuit, ejusdemque consilio fanum quoddam in Sacellum fuisse transformatum eo loco, quo visitur S. Jacobi Capella. Hæc rerum Klattovienſium origo altas fixit radices in opinione populariorum nostrorum, passimque inter sinceras patrias historias locum meruit. At tandem proditum est, Paprocium hæc, & quæ sequente pagina de seditione Ethnicorum, de Rohomili uxore Slowanka, de nova legatione sacerdotum Klattovienſibus a S. Adalberto submissa, de Vitani itinere Romano cum eodem Sancto, de Fontiniorum origine & Principatu per Klattovienſem provinciam narrat, deprompsisse ex MSa historia Klattovienſi Joannis Klattowsky Neo-Pragensis *Fratris Curiæ*, ut vocant, cui ut homo hic versipellis conciliaret antiquitatem ac fidem, authorem se sæculis quinque superiorem mentitus est, partumque suum falso quæsito colore nomine Romanni seu Radimili primi Abbatis Ord. S. Benedicti Klattovienſis cœnobii in vulgus edidit, qui apud plerosque posteriores plenam fidem consecutus est; nam & Crugerio & Hammerschmidio, & Boleluzkio imo & ipsi Balbino tragulam injecit, quanquam hi Chronologiam emendare conati. De hoc subleſto fidei opere jam copiose egimus in Apologia nostra a pag. 282 usque 291, ubi omnes fraudes authoris hujus deteximus, & nec unquam cœnobium quoddam Ordinis S. Benedicti Klattoviæ exstitisse ostendimus. Balbinus postremum hoc ipsum subolere visus, ut postea penitus narratis & commemoratione authoris istius abstinuerit, immo loco aliquo fateatur: *eum mala vel potius audaci manu in eo labore versatum esse.* Deploranda doctissimi summeque industrii Viri Floriani Hammerschmid opera, qui potissimum subleſto huic operi innixus, non parvæ molis Historiam Klattovienſem vernaculo sermone hoc adhuc sæculo scripsit.

Cruger. ad 2 Febr. Hammerschmid in Hist. Klatt. c. 2. Boleluzky in Rosa Bob. c. 7. Balbin in Epit. p. 227.

Erber Notit. Ill. Regni Bob. c. un. p. 36

AN-

ANNUS 972.

Superiorum annorum tranquillitatem turbavit cruenta tempestas a popularibus idololatris concitata. Jam dudum ethnicorum in Bohemia superstitum oculis invidiosa erant Christianæ religionis incrementa, ac propterea in exitium omnium eorum, qui partes tuebantur, conclamabant. Non cessabat contra Adalberti cura Principem populumque Christianum exemplo confirmantis, & ad pietatis opera inflammantis. Ea pastoralis industria magis magisque ethnicorum, & cumprimis potentiorum exasperavit indignationem, qui omnibus salutaribus contemtis monitis sæpe de exilio Adalberti, sæpe de Boleslao ad ethnicas superstitiones reducendo consultare soliti. (a)

Ethnici invidiose accipiunt incrementa rei Christianæ.

Accidit hoc ipso anno, ut Slavnicus Comes Libicensis, ejusque conjux Strzezislava (b) filium Adalbertum in castrum Libicz consecrandi nuper a se excitati templi causa vocarent. Paruit officiose Præsul parentum desiderio, indutusque talari tunica & cucullo nudus pedes per silvarum ambages feliciter Libiczium (c) delatus est. Hic summa lætitia basilicoque convivio exceptus tam parentum, quam fratrum voto satisfecit, Ecclesiamque solemniter dedicavit. Quarto jam isthic transacto die bene precatus singulis, valedixit, atque ut ethnicis reditus suus celaretur, clam omnes eodem vestitu paternos deseruit lares, rursum per tenebrosa deviaque nemorum Pragam festinans. Inopine evenit, ut viarum ignarus

ris erransque in paganorum Zelenkavienſium agreſtem turbam incideret, qui protinus gregatim advenam circumſtant, captumque ſciſcitantur, quis eſſet? unde adventaret? aut quo contenderet? Profeſſus ſe hominem eſſe mortalem Libiczio Pragam proficiſcentem, inter agreſtes nænias ludificationesque pertrahitur in villam Przerow, (d) quam eo tempore poſſeſſione tenebat Prodislaus quidam de Tunaci poſteris. Is idololatra virulentus cum quæſtionibus haud multa ex Adalberto elicere poſſet, ſubodoratus hominem Chriſtianum robuſtis fuſtibus detracto cucullo pulſari juſſit, inde foras extrudi. At non impune. Vir ſiquidem ſanctus obverſo in prædium vultu: Hic, ait, violenter mihi ereptus cucullus, hic tergum meum, nemini pignoratum, male contuſum eſt. Faxit DEus, ut quisquis villam hanc poſſeſſione tenuerit, ære alieno gravetur ſemper, & diſſolvendo ſit nunquam. (e)

ANNUS JESU CHRISTI 972.

BENEDICTI VI. PAPÆ AN. 1. OTTONIS. M. IMP. AN. 11. REG. 36.

BOLESLAI II. AN. 6. S. WOLFGANGI EP. RAT. 1.

(a) S. Adalberto non tam negotium faceſſivere ethnici, quam Chriſtiani ipſi, quibus neque congenitos tractosque ab ethnicismo mores ac ritus deponendi, neque ad exactam legum eccleſiaſticarum obſervantiam accedendi ſeria voluntas erat, ut ſuo loco ex geſtis S. Adalberti, quæ hic erronee multis annis prævertit Hagecius, illuſtrabimus.

(*b*) Alter Biographus S. Adalberti de Slawniko & Strzezislava ait: *Mater ejus Strziezislava ex genere Boemorum erat nobiliſſima claro, digna jugalis juncta digno marito, marito videlicet, qui Regnum tangit lineam ſanguinis, quem longe lateque jura dantem hodie tremunt, Henrico Regi acceſſit proximus nepos.* Intelligit autem Biographus iſte Henricum Sanctum, ſub quo vitam S. Adalberti ſcripſit. De quo jam non minima difficultas oritur, quomodo Slawnikus nepos S. Henrici dici poſſit, cum non modo ipſe, ſed & filius illius S. Adalbertus S. Henricum ætate præceſſerit. Clar. du Freſne quidem in Gloſſario ſuo coævo documento oſtendit, eodem ſæculo vocem *nepos* pro *patrucle* vel *conſobrino* fuiſſe acceptam: ſed rurſum quæri poteſt, quo pacto, aut in quo gradu Slawnikus & S. Henricus fratrueles conſobrinive fuerint, quod ob veterum memoriarum defectum omnino explicatu difficile. Si temporum combinatio ſpectetur, vix quidem affirmare licet Slawnikum S. Henrico proprie dictum fratruelem fuiſſe, ætas enim patris S. Henrici (qui fuit Henricus II Dux Bajoariæ, quique Slawniko jam uxorato primum anno 956 Ducatum Bajoariæ conſecutus eſt) repugnare videtur. Si dicamus matrem Slawnici fuiſſe filiam Henrici I Bajoariæ Ducis, & hæc ipſa Chronologia adhuc multum violenta eſt. Neque vero ſororem iſtius neque Ottonis M. aut Henrici Aucupis filiam appellare licet, quandoquidem omnis proles tam maſcula quam muliebris non modo Ottonis M. ſed etiam Henrici Aucupis literis prodita eſt. Procul dubio igitur altius aſcendendum erit, ut Slawnicum fratruelem avitum amytinum ſtatuamus, ac proinde S. Adalbertus *regiæ ſtirpis Woytiech* non immerito appelletur a Chronographo Magdeburgenſi; aſcendendum, inquam, erit ad Henrici Aucupis patrem *Ottonem Illuſtrem*, cujus filiam Slawniko nuptui fuiſſe traditam credere fas eſt. Senſit jam id Balbinus & Peſſina, qui ajunt: *Slawnicum ex ſorore Henrici I. Imp. genitum eſſe.* Ad quod fortaſſis alluſit Albericus Monachus Trium Fontium ſat vetuſtus author, qui ait a Vitichindo (nominatiſſimo illo Saxoniæ Duce, generisque Saxonici Imperialis auctore) omnem Bohemam nobilitatem deſcendere. Similiter mater Strzezislava dicitur a Biographo *ex claro Bohemorum genere nobiliſſima.* Nam & Chriſtanus (quisquis ille fuit) in dedicatione vitæ SS. Ludmillæ & Wenceslai præmiſſa, Divoque Adalberto inſcripta, eundem S. Adalbertum *ex eodem* (S. Ludmillæ) *tramite lineam propaginis trahere* ait, eumque *nepotem* ſuum *chariſſimum* appellat. Quo argumento præter ullum certius indicium Balbinus, ejusque ſectatores Strzezislavam Boleslai ſævi filiam faciunt.

Apud Mabill. ſæc. V. Bened. p. 865

Du Freſne in Gloſſ. voce nepos.

Apud Meibom. T. II. p. 275

Balb. in Epit. p. 137. Peſſina in Bohoſphoro Sept. p. 596.

Balb. in Epit. p. 67.

Da-

Dalimilus, quo fonte itidem ignotum, illam consobrinam Ducis Zliczensis seu Kurimensis fuisse asseverat. *Dalimilus hist. Bolesl. c. 32.*

(*c*) De hoc castro jam P. II. p. 112 egimus. Boleluzkius in Rosa sua Bohemica seu vita S. Adalberti, tam diruti illius castri, quam oppidi, confiniorumque tabulam iconographicam scalpro excusam tradidit. Illud non prætermittendum: quorundam exterorum scriptorum errore Libiczium istud pro Lubeca Wagriæ Holsaticæ urbe totiusque septemtrionis emporio habitum, & eousque dominationem Slawnici protensam fuisse. *Boleluzky c. l.*

(*d*) Zelenka vicus hodie tam in majore quam minore mappa Geographica Bohemiæ nomine *Welenka* notatus legitur, ab eo nonnisi medio lapide abest Przerow in eadem Kurimensi provincia, hodie ad Brundusinam dynastiam spectans.

(*e*) Noster P. Victorinus addit: *Execrationis vim sensere cum Prodislao posteri semper nexu vincti, aut aliis duris creditoribus obnoxii.* Hanc vero rursus integram anni hujus historiam Hagecio debemus, quam verosimillime ex plebejorum hominum rumusculis his locis hausit. Profecto execratio hæc, & cujusdam vindictæ species summe injuria est mansuetudini S. Adalberti, quam uterque Biographus vetus celebrat.

PRÆTERMISSA.

I. Mire variant authores, catalogique Episcoporum Ratisbonensium in emortuali anno Michaëlis Episcopi, quorum plerique illum jam anno 963 demortuum scribunt, alii ei Episcopatus 30, alii 27, alii tantum 17 annos erronee tribuunt, cum reipsa 28 annis præfuerit Ecclesiæ suæ, indubiumque sit eum tandem hoc anno valetudine & viribus fractum decessisse. Id S. Wolfgangi præsente anno cathedram Ratisbonensem consecuti chronotaxis, id Necrologium Fuldense his verbis prodit; *DCCCCLXXII. Gerboto (Gerbrabt) Abbas. Michael episc. Brun Dux.* Quo *Michaelis* Episcopi nomine quin intelligatur Ratisbonensis, de quo nobis sermo, dubitare haud licet, cum neminem hujus nominis Germaniæ Episcopum hac ætate reperias. Et vero S. Wolfgangum eodem anno sedem Episcopalem occupasse com-

plura Chronica annunciant ſcilicet: Breve vetus Chronicon Bajoariæ Anonymi apud Oefelium, Chronicon Epiſcoporum Ratisbonenſium apud Eccardum, Continuator Andreæ Presbyteri Ratisbonenſis, & inſtar omnium Hermannus Contractus his verbis: *Ratisbonæ Sanctus Wolfgangus Epiſcopus factus eſt.* Quomodo elevatus fuerit ad hanc cathedram fuſe narrat ejus conſodalis Biographus, quæ prolixitatis cauſa in compendium redigimus: Revocatus ex Apoſtolicis ſuis laboribus, ut jam ſupra innuimus, Wolfgangus aliquanto tempore apud Piligrinum Epiſcopum Patavienſem moratus eſt, innotuitque Præſuli huic ſumma viri pietas, fervor, ac doctrina ex quotidiana converſatione. Jam jam ad monaſterium ſuum redire meditantem Piligrinus Ottoni M. Imperatori commendavit, utque ad vacantem ſedem Ratisbonenſem promoveretur, non ſolum, ipſe ſed etiam Burchardus Marchio Oſterrichiæ ſimul & Præfectus Ratisbonenſis interceſſit. Horum interceſſio tam benigne accepta ab Imperatore, ut pro Wolfgango rerum harum penitus ignaro legatos ſuos miſerit, qui eum Ratisbonam deducerent, ut ab univerſo Clero & populo Epiſcopus eligeretur. Inde Francofordiam ad Imperatorem deductus eſt, ubi humiliter dignitatem deprecatus, demeritaque ſua profeſſus annulo & baculo inveſtitus, redux tandem, a Friderico Archiepiſcopo Salisburgenſi, ejusque ſuffraganeis Ratisbonæ conſecratus eſt. Quod præſentis anni autumno poſt celebratam ſynodum Ingelheimenſem (ut recte adnotat Hanſizius) factum eſt. Acta hujus ſynodi leguntur apud Hermannum Contractum, & Tomo II. Conciliorum Germaniæ p. 634, in qua jam Adalbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis cum Suffraganeis duobus Miſnenſi & Merſeburgenſi inter ceteros Epiſcopos ſubſcriptus legitur. Miſnenſis vero Epiſcopus jam non ſupra memoratus Burchardus, ſed Fokko (rectius Folko) huic ſynodo interfuiſſe ex ſubſcriptione cognoſcitur, ut itaque Burchardum brevi tempore cathedram ſuam tenuiſſe conſpicuum ſit. Quod hic prænotandum, cum loco hoc poſterius ad formandam criſim uſuri ſimus.

Apud Oefel. T. I. ad h. a. apud Eccardum T. II. p. 2245. Herm. Contr. apud Caniſium ad h. a. Apud Mabill. ſæc. V. Bened.

Hanſiz. Germ. ſac. T. II. p. 159. Herm. Contr. ad h. a.

II. Hoc anno S. Adalbertus a parentibus Magdeburgum miſſus eſt ſcientiis imbuendus. Annus hic manifeſto eruitur ex notis quibusdam Chronologicis, quas Biographi illius poſteritati tranſcripſerunt. Prior enim ait S. Adalbertum Magdeburgo Pragam rediiſſe, poſtquam Adalbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis naturæ debitum perſolviſſet, quod anno 981 accidit, jam cum alter Biographus N. 6. dicat: S. Adalbertum *annos ter ternos in arena ſtudii paleſtram* exercuiſſe (quem nonarium

rium numerum etiam Pulkava noſter c. 23 prodit,) anni novem ab anno 981 ſubtracti præſentem annum indicant, quo ille Magdeburgum miſſus eſt. Coſmas noſter, qui alterum Biographum non legerat, in vita ſua rhytmica S. Adalberti (quam Tomo II. manuſcriptorum ineditorum Bohemiæ publicavimus) adhuc priorem Biographum ignorantiam ſuam de annis ſtudiorum his verbis profitentem: *Quot annis ſtuduit, incertum eſt*, iſtis duobus verſibus pag. 15 expreſſit:

Annis quot ſtuduit, quamvis hoc nemo notavit,
Sed tamen innotuit, quia grammaticam bene novit.

At vero poſtea in Chronico ſuo ignorantia hac depoſita ait de S. Adalberto: *Rediens Philoſophiæ de caſtris, ubi decem aut plus militaverat annis*, quo in numero defigendo procul dubio ſola conjectura uſus, cum nemo veterior plures quam 9 ſtudii annos S. Adalberto conſignaverit. *Coſmas ad an. 969.*

Juvat jam ex primo Biographo exſcribere, quæ de hac Adalberti ad ſtudia Magdeburgica ablegatione memorat: *Puer autem*, inquit, *proficiens ætate & ſapientia, ubi tempus erat, Chriſtianis imbuitur litteris, nec egreſſus eſt domum patris, donec memoriter didicit pſalterium. Proinde pro diſcendis liberalibus ſtudiis miſit eum pater ad Archiepiſcopum Adalbertum, qui ab eo quod verbis docuit, moribus & vita nuſquam receſſit. Præerat autem idem ſacræ urbi, quæ latine Virginum civitas, græce Parthenopholis vocatur.* Porro hoc ipſo anno per errorem & ignorantiam S. Adalbertum ſecundo confirmatum fuiſſe (uti jam ad annum 960 inſinuavimus) ex eodem Biographo ita verba perſequente diſcimus: *Ipſo tempore erat magiſter ſcholarum Obtricus quidam Philoſophus, ſub quo turba juvenum & liberorum copia multa nimis creſcente ſtudio floruerunt. Ergo Archiepiſcopus ille puerum cum magna caritate ſuſcipiens, dat ſibi confirmatione ſacroſancti chriſmatis, & ſuo nomine Adalbertum appellans, tradidit ſcholis, aderat ſibi diſcenti ſpiritus ſemper individuus comes, & currunt divite vena ingenium, ratio, & ſenſus.* Qui idem Biographus confirmationem jam prius in patria factam ſeu ſimpliciter ignoravit, ſeu prudenter ſe ignorare ſimulavit. Sunt tamen nonnulli, qui hanc ſecundam confirmationem inficiantur, & nomen hoc Adalberti illum ſeu in conſecratione Epiſcopali pro more illius ætatis, ſeu in monaſticæ vitæ profeſſione accepiſſe contendunt. Sed nimis quam clara ſunt verba ſecundi Biographi (ad annum 960 jam prolata) cui ſecretiora quædam circa geſta S. Adalberti cognita erant, ut ex rerum narratione cognoſcere licet, & ipſi actorum Bollandiorum *Apud Mabill. ſæc. V. Bened. p. 850. N. 4.*

Malilion. cit. l. p. 865.

Com-

Commentatores jam animadverterunt. Illud potius ſuſpicari fas eſto: *Woytiechi* slavicum nomen, quod S. Adalbertus in baptiſmo acceperat, non aliud fuiſſe a *Vincentii* latino nomine. Non neſcio quidem veteres slavicas voces Wogi téch ſignificationi latinæ *Vincentii* non penitus reſpondere, interim tamen re non multum diſcrepant, cum *Victor* & *Vincens* non minus *Conſolator exercitus* (quod prius nomen ſignificat) dici poſſit. Conjecturæ autem iſti non leves cauſas præbent veteres quique codices, qui S. Adalbertum noſtrum *Vicentium* & *Vincentium* vocant. Horum alter eſt Caſſinenſis literis Longobardicis ſcriptus, alter MS. æque vetus S. Cæciliæ, cujus utriusque Acta Sanctorum meminere. Quod ad nomen *Adalberti*, ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi inditum, attinet, id origine & etymologia germanicum eſt, de quo Aventinus: *Adel idem eſt quod nobilitas, brecht & bert idem quod dignus, unde Adelbrecht, Adalbert, & contracte Albert orta ſunt*, quaſi nobilitate dignum dicas.

Acta SS. ad 23 April.

Aventinus in Nomenclatura propr. nominū germ.

III. Hoc anno proximum Bohemis exarſit bellum Miſeconem Polonorum Ducem inter & Odonem Marchionem Miſnenſem, quarum ſimultatum num etiam partem tulerit Boleslaus noſter, Miſeconique auxilio adfuerit, nihil proditum. Rem ex Ditmaro his verbis tranſcripſit Annaliſta Saxo: *Interea Odo venerabilis Marchio Miſeconem Imperatoris fidelem, tributumque uſque in Vurta fluvium perſolventem collecto exercitu petivit. Ad cujus auxilium Comes Sigefridus, filius Lotharii, tunc juvenis venit cum ſuis. In die igitur Sancti Johannis Baptiſtæ adverſus eum* (Miſeconem) *pugnantes, primoque vincentes a fratre ejus Cediburo, exceptis tantum Comitibus præfatis, omnes optimi milites præfati oppecierunt in loco, qui dicitur Cidni. Hac de fama miſerabili turbatus Imperator de Italia nuncios miſit, præcipiens Odoni & Miſeconi, ſi gratiam ſuam habere voluiſſent, uſque dum ipſe veniens cauſam diſcuteret, in pace permanerent.* Hem Miſeconis fratrem *Cediburum* ab omnibus Polonis ſcriptoribus etiam veterioribus una cum hac inſigni victoria prætermiſſum! ſed & loca commemorata nonnihil illuſtrare juvat: *Wurta*, ad quem uſque Ottoni tributum ſolviſſe dicitur Miſeco, eſt *Warta* hodiernus Poloniæ fluvius, qui in Cracovienſi regione fontes habet, ad Landsbergam Novam Marchiam alluit, apud Kolo navalis fit, & demum apud Cuſtrinum ſe ſe in Oderam exonerat. Locum pugnæ *Cidni* Ditmarus vocat *Cidini*, alius Ditmari codex vocat *Cidri*, quæ varia lectio vocem corruptam eſſe & procul dubio *Cidrici* ſeu *Zitrici* legen-

Annal. Saxo ad h. a.

gen-

gendam oſtendit. Nam hunc ſlavicum pagum ad *Odonem* (aliter etiam *Hodonem* & *Huodonem* appellatum) Miſnenſem hunc ſeu orientalem Marchionem ſpectaſſe clare eruitur ex Ottonis II diplomate anno 979 monaſterio Nienburgenſi dato, in quo dicitur: *Regales manſos in villa . . . in marca Zucha ſitos in pago etiam Zitriti in comitatu Huodonis Comitis jacentes.* Quem Huodonem Comitem non alium fuiſſe ab Odone Marchione rite demonſtravit doctiſſimus Eccardus. *Marca Zucha* eſt hodierna Zaucha in inferiori Luſatia hodiedum ad Libdam perſtans, abinde non procul remotus eſt vicus Ziezen, quem reliquias veteris nominis Zitrici eſſe autumat doctiſſimus Abbas Gotvicenſis. Hoc vero tributum illud, quod demum ab Imperatoribus cellum Bohemiæ regibus, ut ſuo loco oſtendemus, & quod unquam penſitatum fuiſſe fruſtra negant plerique Poloniæ Hiſtorici.

Eccardus Hiſt. Geneal. Saxon. ſuper Marchion. orient. p. 116 & ſeq. Chron. Gotvic. p. 880.

IV. Ad illuſtrandam annorum poſteriorum hiſtoriam non prætermittendum: demortuo hoc anno Hungarorum tertio Principe *Toxo* ſucceſſiſſe illi univerſæ gentis ſuffragio Geiſam filium, qui Ditmaro l. 8. *Dejux* appellatur. De quo Notæ Aloldianæ: *Urzo alias Toxo mortuo Ungari elegerunt Geizzam ſuæ quidem gentis, ſed natura mitiorem, quam barbari ſui parentes fuerunt. Hunc gratia DEI prævenit, ut prudens conſideraret mala maxima, quæ ſua gens tot aliis regionibus intulit, & crudeles ſtrages, quas ipſa viciſſim paſſa eſt, & ideo in pace majorem ſpem habuit. . . . Et quia terram ſuam novit eſſe bonam & fertilem, ſuaſit genti ſuæ, ut arma deponeret, & merces ſuas potius vicinis diſtraheret, quas ſibi ſua provincia copioſe germinaret,* unde etiam Carthuitius dicit eum cœpiſſe: *cum omnibus circumquaque poſitarum provinciarum vicinis de pace attente tractare.* Quæ pacis fœdera commerciaque cum vicinis Chriſtianis gentibus inita lucem Evangelii in Hungariam paulopoſt induxerunt. Nam veroſimillime jam anno ſequente poſt eam legationem, quam Ungari ad Ottonem Quedlinburgi Paſcha celebrantem adornarunt, Otto M. quendam Brunonem Epiſcopum (diverſum a Brunone Gentium Archiepiſcopo & Apoſtolo in Pruſſia martyrio coronato) ad Regem Hungarorum miſit ad pacis fœdera concilianda, uti ex quodam diplomate Ottonis a Mabillonio ex Codice Tegrnſeenſi in lucem primum prolato eruitur. Quod ſimul principium viæ ad religionem Chriſtianæ inter Hungaros ſtratæ merito deputant doctiſſimi Viri Hanſizius & Georgius Pray. Potiſſimum vero fidei Chriſtianæ in Hungariam inductæ meritum defert S. Adalberti alter Bio-

Notæ Aloldi ad an. 972.

Chartuitius in vita S. Stephani N. 1.

Lambertus Schafnaburg. ad an. 973 Apud Mabillon. Sæc. V. Bened. p. 81 Hanſiz. Germ. Sac. T. I. p. 157. Pray in Annal. Hung. P. 3. l. 2. p. 371

Biographus uxori ſuprafati Geizæ, de qua ille: *Totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri, ipſa regebat, eaque Duce Chriſtianitas cepta.* Promovit vero eam maxime ſuis optimis conſiliis imperiisque Geiza, ut ſcribit Carthuitius: *Geiza*, inquit, *edicto propoſito juſſit Chriſtianis omnibus, in ipſius ditionem ſive ducatum ingredi volentibus hoſpitalitatis & fidei publicæ ſtudium & curam impendi. Porro Clericis & Monachis fecit poteſtatem in ipſius quoque conſpectum veniendi, eosque propenſo animo audivit, atque ita factum eſt, ut orthodoxæ fidei ſemen in pectoris ejus horto ſatum, in fruges erumpere geſtiret.* De Brunone Epiſcopo ſupraſato, a multisque pro primo Hungarorum Apoſtolo habito (quorum tres nomine referuntur, & de quibus variæ authorum ſententiæ) poſterius agemus, ubi baptiſmum S. Stephani S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo vindicabimus.

Carthuitius c.

V. Ad annum hunc quoque ſeu ſequentem, annorumve iſtorum confinia referendum eſt, quod Sigebertus Gemblacenſis de miraculis ad exuvias Divi Wenceslai Pragæ patratis memorat. Dixi autem *ad annorum iſtorum confinia*, nam quanquam Sigebertus annum præſentem narrationi huic præfigat, eam tamen morti Ottonis M., quæ anno ſequente accidit, ſubjicit, & profecto tot tantaque miracula non ad unum eundemque ſed plures confines annos ſpectant. Verba autem illius ſunt: *Venceslaus Princeps Boemiæ, a fratre ſuo Boizlao propter percipiendum principatum interfectus, urbem Pragam, ubi requieſcit, multis miraculis illuſtrat.* Ad annorum iſtorum itaque periodum pertinent miracula quæ Chriſtannus in vita S. Wenceslai (apud Balbinum in Epitome excuſa) a pagina 62 uſque 65 enarrat, quorum potiſſima primaque reorum ſubitam ex carceribus ex vinculis deliberationem reſpiciunt, ſequitur viſus reſtitutio cuidam mulieri impetrata, tum Svevi gente pedum paralyſi laborantis repentina ſanatio, denique Przibislavæ & Stephani presbyteri ſacrum furtum, conſecutaque cœleſtis pœna. Miracula iſta, præter poſtremum de Przibislavæ ſacro furto narrat etiam Biographus Anonymus S. Wenceslai, qui ſub Ottone II ſcripſit, qui de frequentia iſtiusmodi prodigiorum hæc ſubjungit: *Satis capacia implerentur volumina, ſi quis officio ſtili temptaret currere per ſingula, que poſt dictim, & annuatim ad ſepulchrum ejus virtutum coruſcant inſignia, quorum queque valde miranda, ſic quoque inibi* (Pragæ) *uſitata habentur, ut pro ſui innumeroſitate & ſcholaſticis quoddam ea ſcribendi faſtidium ingenerant, & populus nullo ſtupore, & veluti ſolis commune jubar ſine*

Sigeb. Gembl. ad h. a.

ami-

admiracione ſuſcipiat. Alius Anonymus tribus & amplius ſæculis poſterior ejusdem Sancti Biographus, qui in MS. Codice Trebonenſi habetur, omnium copioſiſſime hæc miracula proſequitur uſque ad annum 1342, quo nobilem quendam adoleſcentem Cutnenſem loquelæ reſtitutum memorat. Vitæ hæ diverſæ S. Wenceslai nuſquam antehac editæ aliquando merebuntur publicationem inter Tomos noſtros MSS. inedito-rum.

ANNUS 973.

Supercilium ethnicorum non ultra ferre potis Boleslaus, conſcripto Chriſtiano milite Lucenſium, provinciam bello laceſſere, rebellesque ſeu vexillo Crucis ſubjicere, ſeu peſſumpremere conſtituit. Conſilia Adalberti contra in omnia alia ibant, graviſſimis verbis dehortatus Principem, ne invitos ad Chriſti caſtra cogat, nec perduellium iſtorum ſalutem tanto Chriſtianorum ſanguine redimat, imo id etiam incurſurum Principem periculi, ut cum lolium eradicare ſatagit, ſimul evellat & triticum. Sibi permittat hanc ſollicitudinis partem, accuraturum ſe prius, ut lenitate, ac ſuis ſuorumque monitis in ovile Chriſti perpellantur, ſin minus, refractarios ſacro fulmine feriendos, ut Sodomitarum calamitate ſuam infeliciorem experiantur. (a) Dedit tot exhortationibus locum Boleslaus, atque vim & arma, quam facile legit, tam nullo negotio diſſolvit. Interea evigilavit tanto ferventius Præſulis induſtria ad ſpargendum verbi divini ſemen,

S. Adalbertus dehortatur Boleslaum, ne ethnicos armis cogat ad ſuſcipienda Chriſti ſacra.

terramque ſterilem & ſaxoſam ſubinde vomeris ligonisque ſeveritate emolliendam.

Eam militum dimiſſionem ſtolida ethnicorum gens vel metum vel ignaviam interpretata criſtas erexit audacius, jamque a civibus in ipſum Ducem odium tranſtulit. Initium truculentiæ ſuæ in regione aquilonari, vicinisque Zamoſtio, Stranovioque locis (b) facere conſtituit, collem quendam ad fluvium Gizeram (c) occupat, arte manuque munit, inde populationibus per adjectos pagos viasque publicas Pragam uſque infeſta. Pulſatus crebro Chriſtianorum quærimoniis Princeps demum conſulto Antiſtite neceſſe habuit arma armis objicere, poſitaque clementia ad ſeveritatem animum adpellere. Ita perduelles in ſuis munitionibus obſideri cœpti, excluſique commeatibus annonæ defectu quarto poſt die ſub auroram in aciem ſub ſignis deſcenderunt. Tam repentino hoſtis excurſu pene oppreſſi Chriſtiani loco nonnihil cedere occipiunt. (d) At Bratrzimilus Hruſſovius inclinata ſuorum acie videns in eo rerum articulo non jam cauti Ducis ſed ſtrenui militis officium a ſe deſiderari, adacto in confertos hoſtes equo (mox exemplum Ducis ſequentibus Beera Kowanskæo, Hrozekio, Przedmirskio, Koslao de Kluka agminum præfectis) viam conſternatis ſuis militibus ad victoriam cum ingenti cæde hoſtium aperit; fuitque ea pugna, qualis cum deſperatis eſſe ſolet, anceps, cruenta ab orto ſole ad meridiem uſque. (e) Boleslaus victor omnibus hoſtium gazis ſpoliisque in æquas partes diſpertitis in loco pugnæ victoriarum largitori DEO militari cerimonia gratias egit. Dum vero

Ethnici magis criſtas attollunt, arma expediunt.

Cæduntur a Boleslao.

per

per eosdem dies hic loci cum exercitu ſuo moraretur, mirum ſomniabat ſomnium, quo ſibi cum DEO loqui ab eoque moneri videbatur, ut his cladis ethnicæ viciniis urbem ſtatueret ſempiternum hujus victoriæ monumentum. Experrectus ſomnii ſerie narrata de idoneo urbis exquirendo ſitu ſuos admonet. Pluribus opportuniſſimus ſaxoſus collis viſus amni ſuperjectus, ethnicorumque ſepulturæ, quam Hrobka appellabant, proximus. Huc cum poſtero die facta arborum ſtrage adduceretur Princeps, primo aſpectu agnovit locum ſibi per ſomnium oſtentatum. Nec mora urbs, caſtrumque poni cœpta, urbi nomen Hrobka, caſtro Boleslaviæ inditum, quod propter veteris diſcrimen poſthac Neo-Boleslavia appellatum, (f) dein obliterato Hrobkæ nomine ad ipſam quoque urbem derivatum eſt. (g) Atque ut etiam pietas iſthic ſuum haberet monimentum, templum iſthic auguſtum Glorioſæ Virgini nuncupatum eſt. (h) Reducem Boleslaum Pragam triumphabundum excepit Adalbertus magna cleri populique frequentia, eademque pompa in Baſilicam Divi Viti induxit, ubi majore ſanctioreque cerimonia DEO ob tam proſperos rerum eventus cantatæ laudes.

In cladis loco conditur Neo-Boleslavia.

ANNUS JESU CHRISTI 973.

BENEDICTI PAPÆ VI. AN. 2. OTTONIS II. AN. 1. ET 7.

BOLESLAI II. AN. 7. DITMARI EPISC. PRAG. 1.

(a) Hagecio rurſum veteriorem fontem non reperi in his enarrandis.

(*b*) Supereſt hodie locus medio lapide Boleslavia diſſitus, prior trans, poſterior cis fluvium Iſaram poſitus. Dubravius ſimilitudine vocis deceptus locum Stranow in regionem Zatecenſem rejecit, quem jam ea in re correxit Balbinus.

Balbin. in Epit. p. 130

(*c*) Gizera, hodie paſſim Iſera & Iſara, fluvius in Cerconoſſiis montibus confiniisque Sileſiæ oritur, pluribus hinc atque illinc pontibus per decurſum inſtratus paulo infra Brunduſium in Albim ſe exonerat.

(*d*) Georgius Kerelius in MS. Chronico Neo-Boleslavienſi ſuo tempore etiam munimenti iſtius & pugnæ ſuperfuiſſe indicia ſcribit: Non procul, inquit, Zamoſtio & Stranovio ad amnem Gizeram eſt collis quidam prope viam currulem, qua Neo-Boleslavia Brodam pergitur, ad quem hodie etiam valla potiſſimum jam terra obſita ſpectantur.

Dubrav. l. 6. p. 39.

(*e*) Dubravius Hagecio coævus compendio ſummo cladem quandam ethnicorum his temporibus enarrat, ſed ad Egram fluvium, quo perperam Stranovium conjecerat. Nec vero is etiam gentilium iſtorum nominum præfectorumque militiæ meminit, quæ hic alibique paſſim ad captandam Nobilitatis, ſua ætate florentis, benevolentiam efficta ſunt, & quibus incaute quique poſteriores ad texendas Genealogias uſi. Ita prorſum Paprocius a commemorato Hruſſovio præſenteque anno nominatæ apud nos olim Hruſſoviorum familiæ originem repetit, quod ambabus ut ajunt ulnis eodem errore amplexatus Balbinus. Omnem antiquitatis cognitionem deponat neceſſe eſt, cui perſuaderi poſſit hæc gentilia nomina ex præſente aut ſequente ſæculo eſſe.

Paprocius in Diadoeho T. IV. p. 255.
Balbin. in Epit. p. 129.

(*f*) Eſt in manibus meis MS. Chronicon vernaculum Neo-Boleslavienſe ex Bibliotheca Duxovienſi depromptum, quod Georgius Kerelius urbis Syndicus circa annum 1604 ſcripſit, in quo accedentibus ad ſe ſæculis plura omnino hactenus hiſtoricis incognita detegit, at urbis initia haud alia ab Hagecio refert, ad quem non modo provocat, ſed lectorem etiam ampliora deſiderantem remittit. Hodie inter regias urbes numeratur, de qua Stranskyus: *Avorum noſtrorum memoria fuit urbs hæc in ditione procerum Michaloviciorum, Cymburgiorum, tandem Cragiriorum, poſtea ſtirpis Haſſiſteineæ Lobkoviciorum, a quorum poſtre-*

Stransky Reip. Boj. c. 2. p. 105.

ſtremo Bobuslao Joachimo libertatem plenam (Anno 1595) nobis adoleſcentulis, ære grandi emit, ac Rudolphi Regis-Cæſaris clementia locum inter urbes regias Anno 1600 obtinuit. Recte tamen erroris convincit Stranskyum Balbinus, cum ab hac Neo-ſeu Juniore Boleslavia Diſtrictum Boleslavienſem appellationem traxiſſe ſcripſit, quam is Diſtrictus a Vetere Boleslavia antiquitus traxerat. *Balb. Miſcell. l. 3. p. 32.*

(*g*) Balbinus Hrobkæ nomen penitus abrogatum fuiſſe ſcribit, *poſtquam anno 1334. 25 Febr. ex valle in collem editiorem migravere cives, ac nova illa civitas a Jeſskone ſeu Joanne de Michalovicz urbis Domino multis privilegiis & immunitatibus eſt ornata.* *Balb. in Epit. p. 130.*

(*b*) Mox laudatus Kerelius ait hanc primam Eccleſiam nonniſi e ligno cum ipſo caſtro fuiſſe conſtructam, ac primum in lapideam anno 1200 tranſiiſſe. Id oſtentare numeros lapidi inraſos, qui in pilaſtro ſcholæ ſervatur. Ego vero ſuo loco alio idoneo inſtrumento oſtendam veroſimillime primam omnium fuiſſe iſthic Eccleſiam S. Viti, quam olim Ordo Crucigerorum tenuit.

PRÆTERMISSA.

I. Res omnium hactenus intricatiſſima viſa eſt verum annum eruere, quo Epiſcopatus Pragenſis erectus eſt, quem inter tot diverſas ſententias hucuſque a nemine rite genuineque definitum reperi. Veteriores omnes pene cum Coſma annum 967 amplexati, quos turba recentiorum ſecuta. Balbinus, Peſſina, Puczalka, & Hammerſchmid cum adverterent Chronotaxim præſertim S. Adalberti, qui Ditmari brevi regimini ſucceſſerat, cum anno hoc non cohærere, jam annum 970, jam annum 971 defixerunt. Crugerius annum 974, Berghauerus plane annum 975 delegit. Duo præterea ſunt Chronica, alterum vernaculum MS. Bibliothecæ Carlovienſis ſæculo XV exaratum, alterum Mellicenſe apud Bernh. Pezium T. I. p. 219, quorum utrumque Epiſcopatus Pragenſis erectionem in annum 974 rejicit. Sed nullus horum omnium acurem tetigit. Et quanquam a nemine coævo aut paulo poſteriore annum ad poſteritatem tranſcriptum acceperimus, tamen vetuſtas tot nobis reliquit Chronologica indicia, ut ſi his critice inſiſtamus, indubie verum annum deprehendere ac definire poſſimus. Et quidem 1*mo* Anonymus idemque ſodalis S. Wolfgangi Biographus teſtatur Epiſcopatum *Balb. in Epit. p. 125. Peſſina in Phoſph. ſept. Rad. 3. Puczalka in Nav. eccleſ. p. 153. Hamerſchmid in Prodr. Gloriæ Pragenſis. Cruger. ad 2. Jan. Berghauer in Protom. Pœn. p. 9.*

tum

tum Bohemorum nonnisi consensu ejusdem S. Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis fuisse erectum, cujus verba hic ex c. 29 integra exscribere juvat; *Inter tanta pietatis studia videtur pandendum, quid etiam famulus Dei egerit super gente Poemorum. Hæc namque gens, noviter per Christianam imbuta fidem, sacrilega idola, licet tepide, abjecit: Sed quomodo Catholicam exequeretur religionem, quando caruit pastore, prorsus ignoravit. At medius Otto Cæsar Divinæ cultor præcipuus religionis a glorioso Duce Heinrico ceterisque fidelibus est interpellatus, ut quod, apud ipsam gentem inchoatum esset, pro Domini amore regali potestate perageret. Talibus igitur petitionibus Cæsar libenter assensum præbuit. Sed quod Poemia Provincia sub Ratisbonensis Ecclesiæ Parochia exstitit, peragi non potuit, nisi ipsius Antistitis præsidio. Unde Rex legatione missa ad Episcopum petiit; ut acceptis pro parochia prædiis in Poemia, sibi liceret Episcopatum efficere. Tunc vir Dei nimium lætatus in his quæ dicta sunt, sibi primates suos convocavit, exquirens ab eis consilium, quomodo Cæsari conveniens redderet responsum. Illis autem, ne petitioni tali consentiret, unanimiter consiliantibus dixit. Pretiosam igitur margaritam sub prædictæ latentem provinciæ terra conspicimus, quam ni venditarum comparatione rerum non acquirimus. Idcoque audite quæ dico. Ecce ego me meaque omnia libenter impendo, ut ibi domus Domini per corroboratam scilicet Ecclesiam stabiliatur. Hæc ergo memorans consensurum se Cæsari remandavit. Cumque tempus peragendi concambii venisset, tanta favit alacritate, ut ipse privilegium componeret.* Hæc Biographus. Alterum indicium est, quod nobis reliquit Henricus III Imp. in diplomate suo anno 1080 dato, quo Episcopatum Moravienſem rursum Pragensi reunivit, & in quo Cosmas noster præsens vidit ipsum Cæsarem monogramma manibus suis adnotantem. In hoc diplomate dicitur Pragensem Episcopatum in Bohemia & Moravia unum confirmatum fuisse ab Ottone I, & Benedicto Papa. Querela enim Gebehardi Episcopi Pragensis hæc ibidem refertur: *Quod Pragensis Episcopatus, qui ab initio Bohemiæ ac Moraviæ Ducatuum unus & integer constitutus, & tam a Papa Benedicto, quam a primo Ottone Imperatore sic confirmatus est.* E quibus jam cognoscitur ad erectionem Episcopatus Pragensis concurrisse S. Wolfgangum, Ottonem primum Imperatorem, & Benedictum Papam, nec non magnam etiam tulisse partem tam Ottonem medium scil. Ottonis primi filium Imperii socium & propter diuturnam Patris absentiam negotiorum Germanicorum passim administrum, quam etiam Henricum Ducem Bavariæ, qui a Boleslao

Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 986.

Cosmas in Chron. l. 1. ad an. 1086

leslao Pio interpellati rem apud S. Wolfgangum urserunt, ut cederet parochia sua, quod ad erectionem novi Episcopatus absolute necessarium erat. Jam vero Ottonis I imperium & Benedicti Pontificatus concurrit nonnisi superiore & præsente anno cum Episcopatu S. Wolfgangi. At tam pauci fuere superiore anno non modo Benedicti Pontificatus, sed etiam Wolfgangi Episcopatus dies, ut vix prudens aliquis assentiri possit, illo exiguo dierum compendio Episcopatus Pragensis negotium tractari, absolvique potuisse. Nam Benedictus VI. nonnisi post 28 Decembris anno lapso Papa electus est, ut critice id demonstrat Pagius, & S. Wolfgangus ejusdem mensis exitu scil. in Natali Domini Episcopus Ratisbonensis Francofurti per annulum & baculum investitus est, cum anno superiore ostenderimus Ottonem M. adhuc post festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ in Italia fuisse, ac proinde nonnisi in autumno in Germaniam rediisse, denique Natalem diem Francofurti celebrasse. Quæ divi Wolfgangi festis natalitiis peracta investitura, ac sub reditum anni hujus initio cathedræ Ratisbonensis occupatio procul dubio pluribus veteribus ansam præbuit, ut Episcopatus S. Wolfgangi initia in annum 973 præsentemve rejecerint, ne dicam plerosque veteres Chronographos anni initium a Natali Domini auspicari, quod re ipsa præsente anno fecit quoque Annalista Saxo. Ex his jam manifestum fit; confirmationem illam Episcopatus Pragensis a Benedicto Papa & Ottone primo factam (de qua diploma Henrici III. Imp.) superiore anno minime fieri potuisse. Jam vero ostendemus etiam ex similibus historicis indiciis, eam ultra annum hunc extendi minime posse, imo rem omnem ante septimam Maji anni præsentis, qua mortuus est Otto M. absolvi debuisse. Et quidem constat ex critica Pagii, Benedictum VI. anno adhuc præsente, quanquam mense incerto, crudeliter necatum, constat ex omnibus sinceriorибus Chronographis Ottonem M. mense Majo demortuum, constat post illius mortem Henricum Bavariæ Ducem illico nomen Imperatorium affectasse, ac jam anno sequente illum in apertas simultates cum Ottone II incidisse, constat etiam a primo simultatum istarum ortu Boleslaum Pium Henrici Bavariæ Ducis partes contra Ottonem II tuitum fuisse, constat denique S. Wolfgangum turbarum istarum causa in silvestris lacus prope Abernum solitudinem se recepisse, ut quomodo confirmatio erectiove Episcopatus Pragensis serius hoc anno imo morte Ottonis M. fieri potuerit, nullus videam. Neque vero, contra manifestissima jam erecti Episcopatus Pragensis monumenta, illius initia ad ea tempora differre fas esto, quibus

Pagius in Crit. Baronii ad an. 972.

Annalista Saxo ad An. 973.

Pagius c. l ad an. 974.

Hen-

Henricus, Boleslausque Ottoni reconciliatus fuit, quemadmodum Raderum & Hundium ſenſiſſe conjicitur ex illo maximo errore, cum S. Adalbertum primum Antiſtitem Pragenſem per S. Wolfgangum creatum fuiſſe affirmant. Verba ſupra allata Biographi: *At medius Otto Cæſar a glorioſo Duce Henrico ceterisque fidelibus eſt interpellatus, ut quod apud ipſam gentem inchoatum eſſet, pro Domini amore regali poteſtate perageret.* Non eo ſpectant, quaſi poſt mortem patris ab Ottone demum II tractata & abſoluta fuiſſent. Nam Otto medius ſeu II jam anno 967 in Natali Domini in conſortium Imperii poſt coronationem ſuam Romanam adlectus eſt, redux in Germaniam ob patris abſentiam ſolus pene ipſe rempublicam adminiſtravit, ut ejus nomine tot ſcripta diplomata convincunt. Poſt annum igitur 967 reditumque Ottonis II. cum nova conjuge ſua ex Italia accidit, ut Henricus interceſſionem ſuam interpoſuerit pro erigendo Epiſcopatu Pragenſi, cujus erigendi facultatem jam Joannes Papa Boleslao dederat, quæ cauſa demum ob contradictionem Epiſcopi Ratisbonenſis hoc anno primum accedente S. Wolfgangi conſenſu penitus a patre Ottone I abſoluta eſt.

Raderus in Bav. Sancta p. 98. Hundius in Epiſc. Ratiſb. p. 130.

Recte autem ait diploma Henrici III. apud Coſmam: Epiſcopatum Pragenſem *a Papa Benedicto confirmatum fuiſſe.* Nam erigendi illius licentiam jam impetravit Boleslaus I. a Joanne XIII, uti ad annum 967 oſtendimus. Hæc vero licentia Joannis Papæ quanquam abſoluta fuerit, ex natura tamen ſua & inſtitutione Canonica conditionem involvit: ſi ſcilicet Antiſtes, ad cujus diœceſim Bohemia ſpectat, conſenſerit, quemadmodum Leo, Cœleſtinus, aliique ſummi Pontifices Conciliaque ſtatuerunt, e quibus vel unius Concilii Africani Canonem 20 referre libet: *Plebes*, inquit, *quæ in diœceſibus ab Epiſcopis retinentur, quæ nunquam Epiſcopos habuerunt, nonniſi cum voluntute ejus Epiſcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores vel Epiſcopos.* Huc accedit, quod more illorum temporum Epiſcopatus novi nonniſi totius Synodi decreto inſtitui ſoliti fuerint, cui ſe Epiſcopi omnes præſentes ſubſcripſere, jam vero cum ex tenore & clauſula *vale* manifeſtum fiat licentiam illam Boleslao I. datam nonniſi ritu cujusdam epiſtolæ ſine conſueta ſynodalis decreti aut bullæ forma expeditam, nec eam univerſæ genti Bohemæ ſed ſoli Boleslao inſcriptam fuiſſe, quid mirum ob tot legales defectus ac præſertim Metropolitæ Salisburgenſis, Epiſcopique Ratisbonenſis contradictionem ab anno 967 uſque 973 executionem fuiſſe ſuſpenſam, quemadmodum idem circa Magdeburgenſem Archiepiſco-

Epiſtola Joannis XIII ſupra ad an. 967 relata.

ſcopatum eveniſſe jam ſuperioribus annis docuimus. Ceterum quodnam iſtud concambium fuerit Sanctum Wolfgangum inter & Boleslaum initum, de quo ſupra laudatus Biographus, aut quæ prædia in Bohemia Ratisbonenſi Epiſcopo conceſſa, penitus ignotum. Periit omnium horum cognitio cum ipſo Privilegio ſeu diplomate, quod S. Wolfgangus manu ſua conſcripſerat, quæ profecto Coſmas Eccleſiæ Metropolitanæ Decanus non multum ab his temporibus remotus procul dubio in ſuo Chronico poſteritati tranſcribere, & ab interitu vindicare potuiſſet. Illud veroſimillimum: negotium iſtud concambii, finiumque Epiſcopatus Pragenſis definiendorum hoc anno Quedlinburgi in Paſchate (quod in 23 Martii inciderat) Boleslaum inter & Ottonem Sanctumque Wolfgangum, (quem Raderus præſentem quoque fuiſſe memorat) fuiſſe tractatum abſolutumque. Nam tam Annaliſta Saxo, quam Chronographus Magdeburgenſis Boleslaum noſtrum eo evocatum fuiſſe his verbis ſcribit: *Debinc ivit* (Otto I) *ad Quidelingeburch proximum Paſcha divinis laudibus humanisque peragens gaudiis. Illuc confluebant* Imperatoris edicto *Miſeco & Boleslaus Duces . . . . . conſumatisque pacifice cunctis, ditati muneribus magnis, reverſi ſunt ad ſua lætantes.* *Annal. Saxo ad h. a.*

An porro verum ſit, quod jactat Dlugoſſus, Daubravcam Poloniæ Duciſſam precibus ſuis & hortamentis apud Boleslaum plurimum ad erectionem Epiſcopatus Pragenſis contuliſſe, ejusque commendatione Ditmarum in Epiſcopum promotum fuiſſe, penes eum fides eſto, id certo, quod ſubjungit, falſum eſt: duos Archiepiſcopatus, ſeptemque Epiſcopatus in Polonia *annis octo*, ut inquit, ante Pragenſem fuiſſe fundatos. Nam ut de ceteris taceam, paulo infra demonſtrabo, Cracoviam urbem cum provincia (in qua alterum Archiepiſcopum conſtituerat Dlugoſſus) inter fines Epiſcopatus Pragenſis cenſam fuiſſe. *Dlugoſſus hiſt. Pol. l. 2. p. 101*

II. Omnes pene Hiſtorici patrii recentiores cum Balbino mirantur, prædicantque tantam Epiſcopatus Pragenſis amplitudinem, ſub cujus initiis fines illius longe lateque, etiam in alias provincias ultra hodiernos Bohemiæ terminos leguntur protenſi, at nemo illorum in hoc uſque tempus ſibi operam ſumpſit ignota illa hodie locorum nomina illuſtrare, ut fines quidem pagis, provinciis, fluminibus montibusque diſtinctos Epiſcopatus Pragenſis teneamus: quæ illa fuerint, propter cœlo toto diverſam hodie Geographiam, in tenebris palpemus. Operæ igitur pretium duxi, hanc Geographiæ veteris partem, quantum veterum nominum memoriæ, aliis locis detectæ, innuunt, expedire. Et quanquam tam inſtrumentum erectionis ab Ottone I & Benedicto VI confirmatum, *Balb. in Epit. p. 205*

quam etiam concambium illud supra nominatum, atque privilegium manu S. Wolfgangi scriptum injuriis temporum interierint: conservavit tamen nobis vetustas in toties memorato diplomate Henrici III primos fines Episcopatus Pragensis, qui secundum quatuor plagas his verbis recensentur: *Primitiva illa* (inquit Henricus Imperator) *Parochia cum omni terminorum suorum ambitu Pragensi sedi est adjecta. Termini autem ejus occidentem versus bi sunt: Tugocz qua tendit ad medium fluminis Cheb, Zeyza, Zedlicane, Lucsane, & Daciane, Liutomerici, Lemuzi usque ad mediam silvam qua Boemia limitatur.* Loca jam hæc, (quorum passim cognitionem antiquitas nobis subtraxit) secundum easdem quatuor plagas ex aliis historicis indiciis expendere aggredimur: *Tugocz*, seu ut alia exemplaria ejusdem diplomatis emendatius exprimunt: *Tugost* & *Tugast* Hercinium saltum esse, cujus pars erat saltus pinifer der Fichtelberger Wald, qui hodie etiam passim der böhmer Wald appellatur, jam Parte II Annalium nostrorum pag. 423 pluribus explicavimus. Simul tamen his locorum confiniis castrum quoddam cognomine fuisse, quod verosimillime ex hoc saltu nomen traxit, conjicitur tam ex Chronico MS. Augustæ Bibliothecæ Vindobonensis, in quo ad annum 1040 hæc referuntur: *Henricus cum suo exercitu in silva prope Tugocz a Boemis graviter sternitur*, quam ex Cosma ad eundem annum, qui omnem locorum istorum silvarumque viciniam fuse describit. *Ipse autem Cæsar* (inquit) *castrametatus est ex utraque parte fluminis Rezne* (id est Regini) *Postera autem die pertransiens castrum Kamb, cum admoveret aquilas silvæ, quæ dirimit Bavariam atque Boemiam &c.* tum subjungit Bohemorum munitionem fuisse ultra alterum montem inter densissimas silvas, e qua Bohemi eruperunt & vix alias unquam auditam stragem Imperatori Henrico intulerunt. Fuit in hac silva & aliud castrum *Trebgast* quod anno 1307 Fridericus Burggravius Norimbergensis emit a Comite Orlamundo. *Cheb* flumen Egram esse, atque ita slavice appellatum, quod veteres Bohemi ejus fontes a Tepla (quæ a calidis Thermarum Carolinarum aquis Ogre nomen invenerat) repetierint, jam alibi, & maxime eorundem Annalium Parte II. pag. 129 seq. egimus. Per *Zeyzam* verosimillime intelliguntur limites Episcopatus paulo superioribus annis erecti Zeyzensis, Zicensis, Cicensis & Citicensis. Jam Parte III Annalium pag. 150 & seq. ostendimus, quousque hac parte fines Bohemiæ ad pagum usque Sarove (qui fuit Thaculfi Comitis Bohemi) in hodierna Voigtlandia ad Salam & Salafeldam excurrerint. Diplomata rerum montanarum metallicarumque Bohemiæ,

Apud Cosmam l. 1. ad annum 1086.

Chronicon MS. Augustæ Bibl. Vindob. Hist. Eccl. N. L. p. 111.

Cosmas ad an. 1040.

Chron. Curiæ apud Menken. T. III.

hemiæ, quæ collegit Clar. Vir Thaddæus Peithner, oppido oſtendunt etiam poſterioribus temporibus plurimas Comitum Reüſz & Pflugianorum ditiones (quarum etiam hodie quæquæ Bohemiæ feudales ſunt) in Voigtlandia ad Bohemiam ſpectaſſe. Quis *Zedlicane*, ſeu ſecundum variantes lectiones *Zedlea* & *Zelza*, vetus slavicus pagus fuerit, cum ignorantiſſimis ſcio. Ejus veſtigium hactenus nuſpiam reperi, neque vero in limitibus Egranæ, Satecenſisve regionis cognominem hodie locum invenio; cum vero medius ponatur inter *Cicenſem* & *Lucenſem* ſeu Zatecenſem regionem, in eadem Voigtlandia aut Miſniæ Marchionatu quærendum autumo. Quid ſi hodiernum *Schelte* eſt ad Schopam fluvium, Bohemiæque viciniſſimum? Complura enim iſthic montana & metallifera loca Procerum noſtrorum venditionibus aliisve permutationibus aut transactionibus, Ducum Regumve noſtrorum permiſſu, ad Miſnenſes Marchiones tranſiiſſe, res noſtra diplomataria oſtendit. *Lucſane* item *Luczane*, *Liuſena*, *Luczena* & *Luczko* haud alia eſt, quam regio & provincia Satecenſis, de qua ejusque finibus jam locupleter egimus P. II p. 134 & 307, quam ad fluvios *Floe* & *Schop* hodie appellatos in Miſniam protenſam fuiſſe, ex Coſmæ topographica hujus provinciæ deſcriptione conjicitur. *Daciane*, quæ & in aliis exemplaribus *Daſena* legitur, obſcura quoque ac minime expedita eſt regio. R. P. Athanaſius ſuſpicatur per hanc provinciam intelligi *Tetſchnenſe territorium* in diœceſi Litomericenſi ad Albim proxime Miſniæ Marchionatum ſitum, qua in re provocat ad Coſmæ Continuatorem, qui ad annum 1128 dicit: Brzeczislaum in captivitatem ductum eſſe in caſtellum *Daczin*, hodiernum videlicet *Tetſchen*. Sed ex aliis vetuſtioribus liquet, ubivis hoc caſtellum *Dieczin* appellari, ut proinde in voce *Daczin* apud Continuatorem Coſmæ procul dubio oſcitantia librarii intercurrerit, nec enim unquam vocem Dieczin pro territorio & regione, ſed caſtello acceptam fuiſſe lego. Quodſi verum eſt, uti P. II Annalium p. 134 ex Dubravio retulimus, provinciam Zatecenſem ſeu Luczane nomen inveniſſe a Luzicis ſeu Luzanis & Luiticis dictis inferioris Luſatiæ Slavis in hanc regionem immigrantibus, an non ſuſpicari fas eſt cum his Luzicis etiam finitimos Dacianos ſeu Doxanos, qui Doxam ſeu Doſſam fluvium accolebant, huc loci colonias duxiſſe, e quorum reliquiis adhuc ſit oppidum nominataque arx *Dux* ſeu *Ducbs*, quam Monachus Pirnenſis *Daxan*, alii veteres *Toxen* vocant, quæ omnino altius verſus confinia Miſniæ, peneque media inter Satecium & Litomericium ſita eſt. Id tamen nonniſi conjecturæ loco acceptum velim, cum hacte-

Coſmas Chron. Bob. l. 1.

nus hujus provinciæ nulla alia vetus memoria in manus meas inciderit. *Liutomerici* est regio hodierna Litomericensis, de qua eadem P. II. p. 317 & seq. egimus. Postrema omnium ex hac occidentali plaga est *Lemuzi*: quæ cum media sit inter Litomericensem & Pšovanensem seu Melnicensem provinciam, conjicere licet eam extrema Litomericensis hodierni districtus, qua superiorem Lusatiam Boleslaviensemque Districtum attingit, occupasse, ita tamen ut hodiernam Zittaviensem regionem comprehenderit. In Majestate Carolina seu constitutionibus Caroli IV Rubrica VIII inter civitates & castra, quæ possunt a Rege Bohemiæ obligari seu oppignorari, deprehendo locum *Lemis* inter plerasque regias civitates, hodie etiam superstites, relatum, sed quis ille fuerit, ejusque situs, adhibita omni industria explorare haud potui. Illud indubium est: territorium illud intra duo cornua hodiernæ Bohemiæ, quod posterius *Zittaviense* a condita isthic urbe Zittavia dictum est, quodque Balbinus in Miscell. l. 3. p. 9. *Districtum Zittaviensem* in veteribus *Bernæ Regalis* Indicibus appellatum ait, omni tempore inter fines regni Bohemiæ fuisse censum, nec unquam seu Litomericensi seu Melnicensi, Boleslaviensive districtui incorporatum fuisse, ac proinde sejunctam provinciam seu peculiarem veterem pagum slavicum constituisse, qui merito pro veteri illo *Lemuzi* in hoc diplomate Henriciano prodito habendus, nam ceteros circumquaque, qui hodiernum territorium Zittaviense cingunt, proditos habemus, scilicet Liutomericii, Daleminci, Budissin, Trebovane, Pšovane. Et vero omnes pene scriptores Lusatiæ fatentur se ignorare nomen vetus, quod regio ista ante conditam Zittaviam habuit, quod tamen habitatum fuisse non negant. Sed jam ad plagam aquilonarem transeamus.

Apud Paulum Gischinium p. 7.

Carpzov Neuerörterter Ehrentempel p. 289 &c.

Ad aquilonarem (prosequitur Henrici Imp. diploma) *hi sunt termini: Pšovane, Crovati & altera Chrovati, Zlasane, Trebowane, Poborane, Dedesi usque ad mediam silvam, qua Milcianorum occurrunt termini.* Ex mox recensitis pagis seu provinciis sat clare eruitur, isthic prius referri regiones Bohemiæ extremas aquiloni objectas, scil. *Pšovane, Crovati, & altera Chrovati, Zlasane*, tum procedi ad finitimas tres regiones extra Bohemiam sitas *Trebowane, Poborane, Dedesi* prioribus quatuor recta linea oppositas. *De Pšowane seu Bssowane* regione jam P. II Annalium nostrorum p. 284 egimus, quæ verosimillime ab amne Bssowka, hieme nunquam obdurari solito, hodieque nomen vetus obtinente, appellata est, posterius ab erecta ad confluentem Albis & Moldavæ civitate

tate Melnik Melnicenſis provincia ſeu diſtrictus dictus eſt, qui tamen ſæculo XII, alia facta regionum partitione jam exſpiravit. Huic provinciæ cum opponatur *Trebowane*, conjicere licet omnem illum terrarum tractum ab urbe hodierna Melnik uſque ad Lemuzi ſeu Zittavienſem regionem, & Trebowane ſeu Gœrlicenſe territorium ad hanc provinciam ſpectaſſe, atque Pſowane fuiſſe vocitatum. Quod vero per Trebowane hodiernum territorium Gœrlicenſe intelligatur, jam eadem P. II. p. 42 docuimus, & apud omnes rerum Gœrlicenſium Luſiticarumve ſcriptores res extra dubium poſita eſt. Qua in re ut alia præteream, luculentiſſimum teſtimonium eſt Continuatoris Coſmæ ad an. 1131 de Duce noſtro Sobieslao ſcribentis: *Ædificavit caſtrum in partibus Milesko* (Milcianorum) *juxta flumen Niza* (Niſſam) *appellavitque Yzborelik, quod antea & Drewnow vocabatur.* Yzhorelik vero *aliter Gerlitz appellatum* ait Pulkava noſter. Dicebatur regio Drebowane ſeu a lignorum copia ſaltuoſoque terrarum ambitu, ſeu a ligneo propugnaculo, quod germanice Holzburg appellatum ait Frencelius. Sequuntur duæ regiones *Crovati & altera Chrovati*, de quibus jam quoque eadem P. II p. 11 & ſeq. actum eſt. Hæ duæ regiones montanos Bohemiæ tractus inter Pſovane ſeu Melnicenſem, & *Zleſane* ſeu hodiernam Sileſiam obtinuerunt, oppoſitæque fuere flumini Caſtori ſeu *Bober*, ad cujus fontes Slavi Boberani pagusque *Poborane* dictus fuit. Fluvius iſte (qui ad confinia Bohemiæ in hodierno Schwidnicenſi Ducatu oritur, Saganum alluit, & demum ad Croſſam in Oderam illabitur) tam slavico *Bober*, quam latino *Caſtoris* nomine jam quoque cognitus erat Ditmaro. Quarta regio eſt *Zlaſane*, quæ in pluribus codicibus emendatior *Zleſane* legitur, haud alia eſt quam hodiernæ Sileſiæ pars, de qua jam quoque P. II. p. 69 & ſeq. egimus, ubi ex Ditmaro, aliisque veteribus oſtendimus pagi *Zleſiæ, Sleſiæ*, poſterius Sileſiæ dictæ, monti Sabotho adſitæ, nomen dein ad univerſam Sileſiam fuiſſe derivatum. Huic pago a ſeptentrionali plaga adſitus objectusque erat pagus itidem slavicus *Dedeſi* aliter *Dedeſſene* appellatus, qui etiam Ditmaro nomine *Diedeſiſi* incognitus non erat, cujus mentionem ter, Ottonis III iter ad ſepulchrum deſcribens, facit. *Decurſis*, inquit, *Milcieni terminis ad Diedeſiſi pagum primo venienti* (Ottoni Boleslaus Dux Polonorum) *occurrit.* Diploma Ottonis apud Clar. Philip. Wilhelm. Gerken, cujus jam ſupra pag. 71 mentionem fecimus, *Daſſiam* appellat, atque ad hanc uſque provinciam fines Epiſcopatus Brandeburgenſis definit. E quo ceterisque locis Ditmari eruitur, pagum *Dedeſi* trans Boberam, adeoque inter Bo-

Ditmarus l. 6. p. 382

Idem l. 4. p. 387

be-

Chron Gotvic. voce Dedesi.

beram, & Oderam fluvios ſitum fuiſſe. Abbas Gotvicenſis, cum eundem ſitum pago huic concedit, exiſtimat locum *Teutzen*, qui a dextris fluvii Bober ſupra Croſſen apud monaſterium Naumburg am Bober in chartis Geographicis reperitur, reliquias eſſe hujus nominis, quemadmodum in Bohemia ex Dieczin hodie *Tetſchen* efformatum eſt. Extendebant ſe autem hac parte Epiſcopatus Pragenſis fines *uſque ad mediam ſilvam, qua Milcianorum occurrunt termini*, quemadmodum toties laudatum diploma loquitur: Pagi slavici *Mielcieni*, *Milciani*, *Milzeni*, *Milzavia*, & slavice *Milesko* dicti copioſe apud diverſos veteres, præſertim Ditmarum ſunt memoriæ. Abbas Gotvicenſis pagi hujus ſitum inter pagos Niſeni, & Luzici a confiniis Bohemiæ, & haud procul a Miſni urbe ad pagum uſque Diedeſiſi extenſum fuiſſe cenſet. Nos vero ex multis monumentis manifeſte eruimus, nomen Milcieni paulo poſterioribus temporibus magis genericum & provinciæ majoris nomen fuiſſe, quæ plures minores pagos comprehendit. Nam & Niſeni & Luzici, imo & Drebowane ſeu Gœrlizium comprehendiſſe indubium videri debet, veteres legenti. Quare nec Ditmarus nec mox laudatum diploma pagum, ſed *Milcianos terminos* nominant, & Adelbol-

Idem voce Milcieni.

Apud Leibnitz T. I. p. 436.

dus in vita S. Henrici Imp. *Marchiam* vocat. *Marchiam*, inquit, *Milzaviam* (Boleslaus Polonus) *Saxoniæ & Poloniæ* (id eſt Sileſiæ) *interjacentem ſibi ſubjicit.* E quibus fines Milzaviæ ineunte ſæculo XI licet cognoſcere, ut omnis ille terrarum tractus proxime Bohemiam inter Saxoniam & Sileſiam ad Marchiam Milzaviam ſpectaverit, in quem Marchio orientalis, aliter Luzici & Milzaviæ dictus, jurisdictionem exercuit. Quanquam hoc anno, & ſub erectionem Epiſcopatus Pragenſis nec pagus *Drebowane* ſeu Gœrlicenſis, nec *Poborane* ſub poteſtatem Marchionis orientalis ſpectaſſe videatur: ſecus enim Imperator Otto (qui cum Benedicto Papa fines hos præſcripſit ac ratihabuit) procul dubio potius Epiſcopatui ſuo Miſnenſi, hac parte alioquin arctato, hos duos pagos adjudicaſſet. Ex his jam compendio habemus a territorio Gœrlicenſi per Boberæ fontes, & ejusdem fluminis dextram ripam uſque ad Groſſen Oderamque fluvium *primæve Parochiæ* Pragenſis terminos excurriſſe. Sed non leve negotium nobis faceſſere videtur Diploma

Maderus in antiq. Brunſv. p. 188. Hofmann T. I. in Introduct. p. 4. Calles in Serie Epiſc. Miſn. p. 11.

datum *anno* 948 *Indictione VIII Magni Ottonis Imperatoris in domino feliciter regnantis tertio* paſſim prolatum ab Hiſtoricis Saxoniæ Luſatiæque, quodque excuſum proſtat apud Maderum, Hofmannum, Sigismundum Calles aliosque, in quo Epiſcopatus Miſnenſis latiſſimi deſcribuntur termini „ per omnem Niſici, Luſizi, & Selpuli regionem uſque ad

„ Ode-

„ Oderam, abhinc usque ad Oderæ caput seu fontes in hodierna Mo-
„ ravia scaturientes, inde quasi recta via usque ad fontes Albis, rur-
„ sum abhinc deorsum in occidentalem partem, ubi divisio confinium
„ duarum regionum est Behem & Nisenen, denique ibidem per silvam
„ ultra Albeam usque ad caput orientalis Mildæ. „ Qua terrarum dimensione omnes pene supra commemorati Episcopatus Pragensis fines scilicet *Drebowane*, *Poborane*, *Zlesane*, & *Dedesi* cum magna parte districtus hodierni Reginohradecensis Litomericensisque absorberentur. Verum jam inter alios eruditissimus Abbas Gotvicensis diploma hoc manifestissimorum errorum convicit, utpote quod subscriptionem præseferat *ad vicem Cancellarii* seu *Archicapellani* pridem defuncti, quod titulum *Imperatoris* & *Augusti* Ottoni hac annorum periodo nequaquam adhuc competentem tribuat, quod designatio annorum regni vel Imperii Ottonis item & Indictio minime cum annis Incarnationis cohæreat, quibus addere libeat, quod de erigendo Archiepiscopatu Magdeburgensi Misnensique Episcopatu aut Burchardo Episcopo ne quidem anno hoc adhuc Otto somniaverit, quæ omnia posterius accidisse supra ostendimus. Protulit quidem Meibomius hujus diplomatis emendatius, & a plerisque relatis erroribus repurgatum exemplar, at neque in hoc omnia capita subleste fidei eliminavit posterior quicunque artifex, qui diplomati huic fidem conciliare studuit, ut etiam hæc diplomatis tam notabilis diversitas suspicionem magis firmet, id multo posterius inventum confictumque fuisse. Scilicet diplomatis hujus fines excerpti sunt ex Bulla Joannis XIII Papæ, quam Fabricius mutilam, integram Lunigius, Calles & Concilia Germaniæ exhibent, quæ quoque suis nævis scatet, & subleste fidei multam suspicionem præbet. Nam in ea Episcopatus Misnensis ab omni jurisdictione Archiepiscoporum eximitur, ipsique Romanæ sedi immediate subjicitur, cum tamen ex alia legitima ejusdem Joannis XIII bulla, quæ apud Lunigium, Mansium, & Tomo II Conciliorum Germaniæ legitur, Misnensis sedes tanquam suffraganea cum Merseburgensi, Citizensi, Brandeburgensi, & Havelbergensi, Magdeburgensi Archiepiscopo immediate fuerit subjecta. Unde recte docet Sigismundus Calles, nonnisi sæculo XV. sub Bonifacio IX hanc exemptionem Misnensi Ecclesiæ fuisse concessam. Quodsi tamen quis contendat, perperam a quocunque posteriore hanc clausulam exemptionis intrusam fuisse, ac proinde eam ceteris in hac Bulla relatis rebus haud aliquid derogare, cum ad bullam hanc Viri quique doctissimi, interque hos Abbas Gotvicensis provocet, facile & expeditum responsum est, accidere potuisse,

Chron. Gotvic. p. 180.

Meibom. T. I. p. 752

Fabric. Chron. Misn. l. 1. p. 78. Lunig. spicil. eccles. cons. I. p. 833. Calles in serie Epis. Misn. p. 17. Concil. Germ. T. II. p. 634. Lunig. cit. l. Mansi T. I. supplem. Concil Concil. Germ. T. II. p. 633.

Chron. Gotvic. voce Selpuli.

se, cum Misnensis Episcopatus tribus annis citius atque Pragensis institutus fuerit, omnino suprafatos fines eidem Misnensi Episcopatui sub suum exordium fuisse designatos, sed cum postea reclamaret, obniteretur que Boleslaus noster, & verosimillime vicinæ gentes Slavicæ magis optarent Slavico Episcopo Pragensi subjici, ipseque Benedictus VI Papa ex hac subjectione majora emolumenta Christianæ fidei speraret, pagos hos & provincias ademptas fuisse Misnensi Episcopo, Pragensique adjudicatos, quod profecto diplomatis Henriciani sinceritas, & minime convellenda auctoritas persuadet, ad quod Cosmas noster scribit, se oculis suis vidisse Henricum Imperatorem Monogramma suum appingentem. Progredimur ad orientalem plagam:

Inde ad orientem (inquit idem diploma) *hos fluvios habet terminos Bug, scilicet & Ztir cum Cracova civitate, provinciaque cui Wag nomen est, cum omnibus regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakova est. Inde Ungarorum limitibus additis usque ad montes, quibus nomen est Tritri dilatata procedit.* Poloniæ fluvii *Bug & Ztir* neque veterioribus neque hodiernis Geographis sunt incogniti. Dlugossus *Bug* quintum numero inter fluvios Poloniæ recensetDlugossus hist. Pol. l. 1. sus, cujus verba sunt: *Quintus Bug, cujus fons in palude in superiore parte castri & oppidi Olesko, in villa Kolczow, ostia in flumine Narew.* Retinet hic fluvius etiam hodie nomen, oriturque juxta communem Geographorum descriptionem in rubra Russia facile septem milliaribus a Lemberga, & supra Warsaviam ad Wissegrod in Vistulam illabitur. E quo cognoscimus seu Dlugossum non habuisse finceram fluminis hujus notitiam (nam Narew aquis multo inferior apud Sarolzek vicum in Bug influit, nomenque amittit) seu certe confluentem apud Sarolzek Bug & Narew usque ad ostia, quæ sunt ad Wissegrod, Dlugossi ætate Bug nomen retinuisse. De *Ztyr* fluvio refert eodem libro Dlugossus: *Styri fons est in montibus Sarmaticis prope villam Wissocka, ostia circa Zydaczow oppidum.* Rursus alio loco dicit: *cujus fons in palude circa Olesko, in villa Jescenow,* Sarnicius in Descript. Pol. *ostia in fluvio Priespiec non longe a Pinsko.* Quod confirmat Sarnicius: *Lustratores regii*, inquit, *derivant Stir ex montibus ad Olesko, unde & Bug, & alia complura flumina.* Ztir fluvius passim hodie in Geographicis tabulis ac Lexicis nomine Ster exprimitur, secundum quæ in eadem rubra seu minore Russia exoritur, & in palatinatu Bresticensi se in fluvium Pripizium exonerat. Supra fidem multis videri poterunt tam longinque in Poloniam excurrentes Episcopatus Pragensis termini: sed diploma

Hen-

Henrici ab eruditiſſimis quibusque ac ſummis Criticis ad Lydium lapidem examinatum omnes hucuſque ſinceritatis notas tulit. Lucem id profecto nobis præbet, ut cognoſcamus, quouſque hac parte in Poloniam iſto jam tempore lex evangelii penetrarit, cum terræ iſtæ ſollicitudini paſtorali Epiſcopi Pragenſis creditæ fuerint. Nec hæc terrarum amplitudo incredibilis videbitur antiquitatum gnaro, cum & Moguntinam diœceſim per Franconiam, Saxoniam, & Brandeburgenſem Marchiam aduſque transoderanas Poloniæ terras, ipſamque Bohemiam; Laureacenſem Archiepiſcopatum per univerſum cis & trans Danubianum Moraviæ regnum una parte ad Tiſſam uſque Mariſumque fluvios, altera ad Savum uſque ſe ſe explicaſſe (ut nihil de Salisburgenſis Hammaburgenſisque Epiſcopatus latiſſimis finibus commemorem) hoc ipſo & ſuperiore ſæculo legatur. Certum eſt ſub erectionem Epiſcopatus Pragenſis Poloniam omni Epiſcopatu, ſi unum Poſnanienſem excipias, caruiſſe. Certum eſt etiam per Bohemos nominatimque Daubravcam Boleslai Pii ſororem Chriſti fidem transplantatam fuiſſe in Poloniam, ut ipſi Poloni quique ſcriptores cum Dlugoſſo non diffitentur. Et vero unde (vicinis pene omnibus Slavicis gentibus adhuc ethniciſmi erroribus excœcatis) potiſſimum vocatos dicamus ſacerdotes, atque ex Bohemia? an dubitare fas eſt complures, invitante cumprimis Daubrawcæ gratia, ſe ſe ultro in hanc ſementem Evangelii immiſiſſe? quemadmodum de Cracovia indubitatum eſt, in qua urbe Bohemi ſacerdotes primam principemque Eccleſiam Divo ſuo Indigeti Wenceslao conſtruxerunt, nuncuparuntque. Ut merito terræ hæ potiſſimum ſudore Bohemorum Chriſto initiatæ Epiſcopatus Pragenſis finibus adſcriptæ fuerint, qua in re procul dubio plurimum præſidii attulit Miſeconis Poloniæ Ducis atque uxoris Daubravcæ favor & conſenſus; priorem certe hoc tempore Boleslao Pio amiciſſimum fuiſſe legimus. Nolim autem exiſtimare Pragenſem hanc primævam Parochiam ad oſtia uſque fluviorum Bug & Ztir excurriſſe, ſed ſtricte hic accipienda eſſe verba diplomatis, ipſosque ſolum fontes horum fluminum, qui in montibus ad Olesko ſunt, terminos conſtitutos fuiſſe, qui omnino cum Cracovia rectam quaſi lineam tenent, magisque ad Hungariam & Tataros montes, diœceſi Pragenſi etiam adcenſos, accedunt. Sed jam reliquos hujus orientalis plagæ terminos examinemus. *Cum Cracova* (inquit idem diploma) *civitate, provinciaque, cui Wag nomen eſt, cum omnibus regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakova eſt.* Situs urbis & hodierni palatinatus Cracovienſis nemini incognitus, hic ipſe non modo

ad diœceſim Pragenſem, ſed etiam imperium Boleslai Pii ſpectabat poſtea, ut ſuo loco dicemus. Quæ vero illa provincia *Wag* ſit, enodatu difficilius, cujus Poloni ſcriptores non meminere, nec enim Stanislaus Sarnicius in ſua deſcriptione veteris & novæ Poloniæ illius meminit, deprehendo tamen eum ſub lit. V. p. 1928 flumen hujus nominis attuliſſe, cujus longitudinem & latitudinem per gradus 49. 9. 42. 2. deſcribit, e qua dimenſione conjicitur fluvium hunc paulo infra Cracoviam quærendum eſſe. Et hem! Mabillonium in Notis ad vitam S. Zoerardi fontes curſumque hujus fluminis his verbis deſcribentem reperio. *Waga fluvius in Pannoniæ montibus oritur, nec emenſo longo terrarum ſpatio Donajecio connectitur, aut potius nomen mutat, indeque ad Opatovicium opidum in Polonia Viſtulæ miſcetur.* E quibus verbis teſtatum fit *Wagam* hunc diſtinqui ab altero *Wago* fluvio, qui in locorum iſtorum viciniis Carpaticisque montibus æque ad confinia Poloniæ oritur, Liptovienſem, Trentſchinienſem, & Nitrienſem Comitatum præterlapſus ad Comaromium in Danubium ſe exonerat. Dlugoſſus quidem locupletiſſimum catalogum fluviorum Poloniæ texens Wagæ hujus aut Wagi non meminit, ſed fluvium a Mabillonio commemoratum *Dunajecii nigri* nomine impertit, ut ex his illius verbis cognoſcere licet: *Dunaiec* (inquit) *niger & albus, cujus utriusque fons in Alpibus altiſſimis Hungariæ, quorum nivalis ſemper vertex, qui Tatri a vulgo appellantur, oſtia habet circa Opatowiec.* Verum vix dubitare quidem licet Mabillonium hanc ſuam Wagæ fluminis appellationem, fontes, curſumque ex vetuſtiore aliquo Dlugoſſi ætate monumento deprompſiſſe, nec enim credibile tam accuratum ſeverumque in aliis Virum hæc cerebro ſuo effinxiſſe. Quid ſi fortaſſis pagus *Wagſma* ad flumen Dunajecz hodie ſuperſtes, quem in Tabula Geographica Comitatus Scepuſienſis reperio, ex reliquiis eſt hujus veteris nominis ſeu fluvii ſeu provinciæ? Quidquid eſt, provinciam hanc Cracoviæ regioni affinem, & veroſimillime Scepuſienſis Comitatus ex utraque Dunajecii ripa partem complexam fuiſſe, ex conſequentibus hujus diplomatis verbis conjicitur: *Inde Ungarorum limitibus additis uſque ad montes quibus nomen eſt Tritri dilatata procedit.* Vocem *Tritri* Codex Coſmæ Freherianus reddit *Jeitri*, ex alio Codice legit Freherus in Margine *Triti.* Marignola vocat montes *Tertii*, Pulkava *Truti.* E qua varia lectione vocis corruptio manifeſto liquet, nec alios hos montes eſſe, quam ſupra a Dlugoſſo allatas alpes, ſeu Carpaticos montes, *quorum nivalis ſemper vertex, qui Tatri a vulgo appellantur.* Crebrius porro Dlugoſſus horum *Tatri* montium meminit,

Mabillon. ſæc. VI. Bened. p. 78.

Dlugoſſus hiſt. Pol. l. 1.

Apud Math. Belii in Hung. antiq. & nov. Prodromo ad p. 124.

ſic

ſic Poproth fluvium deſcribens ait: *cujus fons ex monte Pannonico Thatri prope Kucowna & Filka villas*, rurſum: *Rogoznik fl. major & minor, uterque ex alpibus, quas vocamus Thatri ortus.* Sarnicius montes hos prius *Sarmaticos* demum *Tatros* vocitatos fuiſſe ſcribit, de quibus etiam Wernherus: *Slavorum lingua Tatri, hoc eſt Tatari, quod in regionem Tartarorum vulgi opinione protendantur. Hungari vocant Tarczal, quod nominis lingua eorum a nudo ſeu deraſo vertice ductum eſſe videtur, nihil enim aliud, quam eminentiſſimi & prorſus nudi ſcopuli ſunt hi montes.* Sed litem rurſum circa fines hujus plagæ orientalis movent cum Dlugoſſo plerique recentiores hiſtorici Poloniæ & Sileſiæ, qui octo annis ante erectionem Epiſcopatus Pragenſis Cracovienſem & Wratislavienſem Epiſcopatum a Miſecone Poloniæ Duce conſtitutum contendunt, imo paſſim eodem Dlugoſſo facem præferente volunt multo ante non modo Gneſnæ ſed etiam Cracoviæ Archiepiſcopos ordinatos, quos nomine referunt. At deſideramus merito ab iis ſi non vetuſtiora, certe ævo paria monumenta, quanta nos ad definiendos Epiſcopatus Pragenſis fines proferimus. Arma ſcriptorum Poloniæ ab authoribus ſæculi XV petita pridem Ditmaro teſte ac duce contuderunt Viri quique rei criticæ periti, quæ profecto perinfirma ſunt, ut authoritatem diplomatis Henriciani omnibus characteribus veræ antiquæ finceritatis conſpicui evertant. Certe Boguphalus unus e primis Poloniæ ſcriptoribus, tum etiam Commentator Kadlubecii (ſi Poſnanienſem excipias) Epiſcopatus Poloniæ cum ipſa ſede Metropolitana Gneſnenſi ſerius ſub Boleslao I. Poloniæ Duce Miſeconis filio erectos ſcribunt. Et profecto Wratislavienſem primum ſub Caſimiro I. fundatum fuiſſe, indubiis monumentis proditum eſt, ut Caminenſem non commemorem, cujus tam vetuſta initia pridem exploſa ab eruditis. Jam vero ſupra eo in argumento plura proſecuti ſumus ad annum 966 in Prætermiſſis noſtris.

Sarnicius l. 3. c. 9.

Wernherus in admirandis Hung. aquis.

Concludit tandem diploma Henricianum terminos Epiſcopatus Pragenſis his verbis: *Deinde in ea parte, quæ meridiem reſpicit, addita regione Moraviæ uſque ad fluvium, cui nomen eſt Wag, & ad mediam ſilvam cui nomen eſt Mure, & ejusdem montis eadem parochia tendit, qua Bavaria limitatur.* Optandum fuiſſet, ut idem diploma nobis quoque meridionalem plagam nominatim per pagos & provincias finitimas, quemadmodum ſuperiores plagas deſcripſiſſet, ſane illam hoc tempore plerisque locis prope Danubium, in ipſamque Bavariam procurriſſe legeremus. Quod Moraviæ limites iſthic omnes recenſiti non reperiantur,

tur, procul dubio lis mota a Laureacenſi ſeu Patavienſi Epiſcopo obſtitiſſe videtur, quocum hoc tempore de finibus utriusque diœceſis necdum plene transactum conventumque fuerit. Jam vero *Wag* fluvius iſthic relatus diverſus eſt a ſuperiore, ut mox ante innuimus, nam & is aquis multo uberior, & magis olim hodieque cognitus. Quæ illa ſilva *Mure* ſit, quis ille mons ſeu montes adſiti (ut plurali numero refert Pulkava) perobſcurum. Doctiſſimus Abbas Gotvicenſis in ſua Tabula Geographica veteris Germaniæ *ex Diplomatibus, chartis & tabulis medii ævi deſcripta* in hodierna inferiore Auſtria paulo ſupra fluvium Pulkha & Tayam & prope hodie exſtans oppidum Malberg conſignat locum *Muoriperg*, quo indicio & veſtigium illius veteris nominis *Mure* & montis haberemus. Id certum eſt, clarumque fiet ex poſterius referendis, Retzium haud procul remotum limitaneum caſtrum fuiſſe etiam poſterioribus temporibus inter Moraviam & Oſterrichiam, omnemque regionem inter fluvios Pulkham & Zayam (hodie Zeyam) ad Moraviam pertinuiſſe; in quæ locorum confinia etiam hodie Epiſcopi Patavienſis jurisdictio ſe protendit. Ut fortaſſis haud multum aberraturi ſimus, ſi ſucuſque Parochiæ Pragenſis fines excurriſſe dixerimus, qui abhinc ad Cambum ſeu Kamp flumen (comprehenſis civitatibus Waidhofen, Vitra ſeu Waitra, & cœnobii Zwettlenſis ditione) procurrerunt. Leguntur quidem in placito Henrici Ducis Bojorum, hoc ipſo tempore viventis, *de juribus Eccleſiæ Bathavienſis*, etiam Bohemi ultra Danubium ad Tulinam, verba enim ſunt: *Perſuicha ſicuti Wilhelmus in proprium poſſidebat, quod nunc Boemanni arant. Liliunbova juxta Tullonam, Egilinſtein &c.* Sed nemo ſibi perſuadebit eouſque excurriſſe limites Bohemiæ, ut potius credendum ſit, Bohemas quasdam iſthic fuiſſe colonias, quæ retrogreſſis hac parte Hungaris terras iſtas colere cœperant, ſe ſeque orientalis Marchionis imperio ſubjecerant. Quod ad Bavariæ limites attinet, etiam longinquius iſthic fines Bohemiæ excurriſſe certum eſt. Nam ex multis documentis & ipſa vita S. Guntheri teſtatum ſit: limites Bohemiæ ad Rheginum uſque fluvium ad civitatem Camb & caſtrum Floſs (quod poſterius etiam Bohemiæ ceſſit) fuiſſe protenſos. Quos ampliſſimos Epiſcopatus Pragenſis fines præſertim in hodiernum Poloniæ & Hungariæ regnum procurrentes, quisquis attentius animo ſuo expenderit, non mirabitur poſtea, ubi legerit S. Stephanum Hungariæ Regem a S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo baptizatum, eundemque derelicta Bohemia ſe poſtremum in Poloniam ad Boleslaum Polonorum Ducem

Vide Balb. in Miſcell. Dec. I. l. 3 p. 10.

Apud Oefel. T. I. p. 718.

cem contuliſſe. Nam reipſa is magnæ partis Hungariæ Poloniæque Epiſcopus fuit, quæ omnia annis conſequentibus magis elucidabimus.

III. Non prætermittendum eſt hoc anno S. Udalricum Auguſtanum Epiſcopum ad ſuperos tranſiiſſe, de quo veteres quique ac cumprimis Annaliſta Saxo his verbis: *Eodem anno S. Othelricus Anguſtenſis Epiſcopus e corpore migravit ad Chriſtum anno ætatis ſuæ LXXXIII, ordinationis autem LIII, menſe Julio, quarto Nonas ejusdem menſis in feria VI.* Excerpta ex Necrologio diem corrigunt, ſubſtituuntque *Nonas Julias*, ſed conſervanda prior dies, hoc enim ipſo anno, quo Dominicalis litera erat *E*, quarta ſeu IV Nonas Julii incidit in diem Veneris. Hujus Sancti vita, morsque multis prodigiisque claruit, ut ex Familiari ejus Gerardo Biographo tam a Mabillonio quam Bollandianis edito liquet. Poſt mortem illius complura etiam ad tumulum illus patrata miracula, quæ non modo Germaniam, ſed & omnes Slavorum terras pervaſere, adeo ut etiam Miſeco Polonorum Dux (quod omnibus Poloniæ ſcriptoribus hactenus incognitum erat) *Sagitta toxicata* in brachio vulneratus, per interceſſionem Sancti hujus, cui ſe ſe oblato argenteo brachio devoverat, ſanatus fuerit. Ejusdem Sancti patrocinium imploravit Boleslaus Pius Dux noſter, cum filius (Boleslausne fuerit, an Jaromirus, incertum) graviter morbo conflictaſſet, quod ſpectata horum filiorum ætate, ſub finem hujus ſæculi Imperio bellisque gerendis apta, omnino paulo poſterioribus annis accidere debuit. Sed Gerardum §. 21 loquentem audiamus: *In regione Sclavorum filius Wolezlavi Ducis in valetudinem incidit, & in tantam infirmitatem deductus eſt, ut pater ejus & mater ceterique præſentes amici, præſentem vitam eum ulterius habere poſſe deſperarent. Cumque pater in his anguſtiis verſaretur, admonitus eſt de matre* (Hemma) *pueri, & de aliis, quibus notum fuit, quam multipliciter multi per merita Sancti Udalrici de diverſis anguſtiis liberati eſſent, continuo votum vovit, ſi filius ejus ad vitam rediret, ut miſſis Legatis ſepulcrum Sancti Udalrici cum oblationibus viſitaret. Eodem vero die filius Ducis converſus ad vitam, conſolationem patri non minimam obtulit, qui cognoſcens miſericordiam DEI in filio, nuncios ſtatim mittere, & votum ejus implere ſtuduit. Qui venientes ad ſepulcrum obtulerunt V libras argenti, & aureos quam plurimos, & de cera quantum unus fortis Saumarius* (equus ſarcinarius) *portare potuit: Mater etiam pueri ſeorſum aureorum denariorum bonam partem pro filio miſit. Legati etiam altare Sanctæ Mariæ cum auro & aliis oblationibus, ſicut eis*

Annal. Saxo ad h. a.

Gerardus in vita S. Udalrici §. 22.

Apud Meibom. ſæc. V. Bened. p. 467.

eis præceptum eſt, devote viſitaverunt, ſimiliter & ultare Sanctæ Afræ, & narraverunt, pro qua re miſſi ſunt, dicentes, antequam ipſi exirent de ſua provincia, ut filium Domini ſui ambulantem & ſanum dimitterent. Diximus ſupra: Boleslai aut Jaromiri hanc fuiſſe infirmitatem, eamque conſequentium annorum confinio verosimillime accidiſſe, cum merito ſuſpicemur Boleslaum patrem in tanti beneficii memoriam proxime deſuper nato filio nomen Udalrici impertitum, quale germanicum nomen nullus Ducum noſtrorum Ducaliumve filiorum hactenus geſſit, nec etiam multo poſt germanica nomina adſciſcere in uſu fuit, profecto cum Udalricus anno 1004 jam fratri de Ducatu Bohemiæ litem moverit, tumque ab hiſtoricis coævis *Viri* nomine impertiatur, haud multo ſerius tribus quatuorve annis naſci potuit. Ditmarus hoc Othelrici Ducis noſtri nomen ad invidiam calumniamque trahit, aitque id explicari per *mammonam iniquitatis* ſcilicet germanica etymologia, atvero iisdem literis ſcribitur etiam veteribus S. Othelricus ſeu Udalricus, ut proinde inconcinne hæc eadem interpretatio in ipſum Sanctum traduci poſſet. In numis certe noſtris ejusdem Ducis, quorum ſeptem ſcalpro excuſos produxit P. Adauctus noſter, nuſpiam Othelricus, ſed ſeu Udalricus ſeu Odalricus ſcriptus legitur. Ceterum ab eo tempore S. Udalrici venerationem in Bohemia ſemper fuiſſe maximam oſtendunt, complures veteres Eccleſiæ & Sacella, in quorum nonnullis etiam veſtigia pedum ſaxis inciſa ſervabantur, quæ hic in Bohemia expreſſa fuiſſe paſſim plebs credidit: at verosimilius eſt venerationis cauſa ad veterum Auguſtæ ſervatorum formam fabricata fuiſſe, nuſpiam enim in hiſtoriis certis veſtigium ſupereſt S. Udalricum unquam in Bohemia fuiſſe. Metropolitana Eccleſia Pragenſis inſignibus ejus gaudebat olim reliquiis, quas anno 1353. Carolus IV. Auguſtæ Vindelicorum impetraverat, ſcilicet parte capitis & brachio, item vexillo, parte Sarcophagi, ſtola, cingulo, caſula, humerali, dalmatica, mitra, tunica, ſandaliis, ut eas vetus index conſignat.

Ditmarus l. 6 p. 399.

Beſchr. böh. Münzen 1. Abth. p. 214.

Peſſina in Phoſ. Sept. Rad. 4. p. 513.

AN-

ANNUS 974.

Altius in quorundam animis radices egerat profana ſuperſtitio, qui licet eſſent profeſſione Chriſtiani, tamen Deorum Penatium, aliorumque rituum ethnicorum ſectatores perduraverant. Et effecerunt id per hos dies dæmonis verſutiæ, ut cum iſti Semichriſtiani viderent baptiſmo initiatis reſponſa negari, minus ſecunda quæquæ evenire, contra idololatris artiumque magicarum ſtudioſis fortunam proſperare (uti pendula omnia & nutantia eo procumbunt, quo impelluntur) multi, ejurato ſimpliciter Chriſto, ad dæmonum ſacra, id eſt: lotæ ſues ad volutabra rediere. *Redeunt Chriſtiani ad idololatriam.* (a) Tanta erat morbi iſtius pervicacia, ut ſacerrimus Antiſtes nulla ei depellendo ſatis idonea remedia inveniret. Luem igitur tantam, quæ quotidie majores acquirebat vires, Adalbertus haud amplius æquis ſpectare oculis valens, peſtifera potius regione excedere ſtatuit, quam ut perditi populi aliquam partem ferre videretur. Communicato igitur cum Boleslao conſilio, nudus pedes Romam conceſſit, (b) iſthic Vicario Chriſti ſupplex futurus, ut perduellem populum ſacro fulmine percelleret, quo a DEO projectus, Chriſtianorum commercio deſtitutus, contemptusque ab omnibus tandem ſciret ſentiretque, in quæ flagitia incidiſſet. (c) Auditis probatisque accuſationis capitibus, Adalbertus ſummi Pontificis conſenſu (d) in cœnobium S. Alexii, atque ab infulis ad cucullum monaſticumque tyrocinium ſe transfert. (e) Iſthic *S. Adalbertus deſerit Bohemiam.* *Fit Romæ Monachus.*

brevi

brevi tempore perfecti, omnibusque numeris absoluti monachi norma factus, ignaro cœnobiarcha (f) qualem quantumque virum societate fratrum communicasset.

ANNUS JESU CHRISTI 974.

DONI PAPÆ II. AN. 1. OTTONIS II. AN. 2. ET 8.

BOLESLAI II. AN. 8. DITMARI EPISC. PRAG. 2.

(a) De hoc Christianorum ad dæmonis sacra & idolorum cultum relapsu altum silet uterque S. Adalberti Biographus, præcipua utriusque querela & accusatio sunt depravati Cleri populique mores, in quibus emendandis cum se operam perdidisse S. Adalbertus adverteret, Romam transiit. Hæc omnia ex ipsis fontibus ad eos annos, ad quos spectant, referemus.

(b) Istud iter Romanum 15 annis antevertit Hagecius, quod quidem non nudis pedibus sed pedestrem confecisse ad Annum 989 ex Biographo ejus legemus.

(c) Quid rursum hic Hagecius fulmine suo ecclesiastico velit in homines ab Ecclesia extorres vibrando ignoro. Caput accusationis apud Joannem XV., qui ab anno 985 usque ad annum 996 Cathedræ Petri præsederat, fuit: quod *se grex audire nollet, nec sermo suus proficiat in iniquorum pectoribus, in quibus dæmoniacæ servitutis imperia regunt*, inquit Biographus.

(d) Omisit Hagecius susceptum iter Hierosolymam, peregrinationem ad montem Cassinum, transitum ad monasterium, cui Nilus Abbas Græcus ordinis S. Basilii præfuerat, quæ omnia tyrocinium in monasterio S. Alexii Romæ præcesserunt, quæque ad annum 990 ex iisdem Biographis referemus.

(e)

(e) Cosmas quidem noster & Chronicon Magdeburgicum idem inquiunt: *inscio Abbate, quis esset, factus est monachus.* At Biographus verius dicit: multis tentatum & examinatum fuisse S. Adalbertum, nec prius ab Abbate receptum, *quam cum Domnum Apostolicum cum humiliato Antistite convenisset, ut quidquid agendum foret, tanti patris sententia, suorumque Cardinalium consilia deliberarent.* *Chron. Magd. ad an. 990.*

PRÆTERMISSA.

I. Jam superiore anno obiter mentionem, injecimus sub initium Imperii Ottonis II. quasdam simultates inter ipsum, & Ducem Bavariæ Henricum, qui Germaniæ Regis nomen affectaverat, obortas, Boleslaum vero nostrum cum Miseone PoloniæDuce Henrici partes tuitum. Id breviter insinuat ad annum II. Ottonis Hermannus Contractus his verbis: *Dissensio inter Imperatorem & Henricum Ducem Bajoariæ oritur.* Similia habet Sigebertus Gemblacensis: *Contra Ottonem Imperatorem rebellat patruelis ejus Henricus Dux Bajoariæ.* Locupletissime vero Schafnaburgensis & Chronicon Herveldense: *Henricus Dux Bajoariorum, & Abraham Episcopus cum Bolesclavone* (Boleslao) *& Misichone inierunt contra Imperatorem pravum consilium. At Imperator tali nefando comperto consilio congregavit Principes suos, & quid inde faceret, consilium petiit. Qui dederunt ei consilium, ut mitteret ad Ducem Henricum, & Popponem Episcopum, & Gebehardum Comitem, eosque ad placitum invitaret per edictum, qui sine dilatione dedit se in potestatem Imperatoris.* Hanc vero submissionem nonnisi simulatam ac pene momentaneam fuisse, ex anni sequentis historia cognoscemus. Quid causæ fuerit, quod tam Boleslaus, quam Miseco ab Ottone II. defecerit nihil in veteribus proditum est; at si priora exempla dissensionum & bellorum in memoriam revocemus, quæ toties a gente nostra intentata legimus, quoties priore demortuo novus Germaniæ Rex aut Imperator creatus est, causa permanifesta est, scilicet annuum illud tributum Germaniæ regibus a Bohemis pendi solitum, quo se ut Duces & gens nostra deliberaret, nullum non movere lapidem. Hæc eadem ratio esse potuit Miseconi aversi ab Ottone II animi, cum prioribus annis docuerimus eundem etiam ad Wartam usque fluvium Regibus Germaniæ tributum solvisse. Et fortassis, uti fieri assolet, Henricus Dux Bajoariæ Boleslaum Miseconemque spebus & promissis lactavit illexitque, fore ut, se regnum consecuturo, ab hoc onere uterque immunis futurus esset. *Herm. Contr. ad h. a.* *Sig. Gembl. ad h. a.*

Abraham ille, qui inter turbarum harum complices numeratur, erat Epi-
Brunnerus Annal. Boic. P. 2. l. 3. p. 136. scopus Frisingensis, quem Brunnerus præcipuum hujus dissensionis incen-
torem facit. Verba ejus sunt: *Initium turbis Henrici ambitio dedit Abrahami potissimum vaniloquentia inflata, qui Othoni Aquisgrani jam olim, deinde Romæ Pontificis manibus coronato detrahere diadema, & dubiam possessionem regni facere ausus in desperatissima lite tamen rationes invenit Henrico persuasuras: Imperium ad ipsum pertinere, atque ut nulla diu sine patrono causa fuit, summos viros in eandem sententiam de-*
Hist. Frising. T. I. p. 181. *duxit, &c.* Contra Meichelbekius Abrahamum ab hac calumnia vindi-
care nititur, merosque neotericos eos esse adstruit, qui ei calumniam hanc impegere. Nam exstare tria Ottonis II diplomata hoc ipso anno mense Majo, Julio, & Novembri data, in quibus eum *Præsulem nostræ familiaritati digne adjunctum, ac Virum totius religionis appellavit.* Veriorem turbarum harum causam proditam esse a scriptore Mausolæi S. Emerami, qui Henricum consilio & impulsu proximorum agnatorum atque affinium hanc seditionem excitasse, & fœdus cum Augustano Episcopo Bertholdo Palatino, & Henrico Carinthiæ Marchione pepigisse scribit. Quidquid sit Abrahamum turbarum istarum magnam partem tulisse, non sunt Arnbekius aut Neotrici, quemadmodum vult Meichelbekius, primi assertores, sed ut vidimus multo vetustiores Schafnaburgensis, & Chronici Herveldensis, author, qui eum inter Henrici complices primum referunt. Imo vero Abrahamum Henrico coronam regiam Ratisbonæ imposuisse, ex anni sequentis historia testatum fiet.
Hansiz. Germ. sac. T. I. p. 277. Quod ad illa tria Ottonis II diplomata in favorem Abrahami data, itemque quartum ab Hansizio cum ejusdem laude prolatum attinet, ea nihil aliud innuunt, quam turbas has (verosimillime jam anno superiore aut præsentis initio exortas) ante mensem Majum fuisse sopitas compositasque, cum se se Henricus cum Abrahamo *in potestatem dedit Imperatoris*, quanquam id totum nonnisi simulate factum fuerit. Nam cum paulo post Otto II. in Lotharingiam expeditionem suscepisset adversus Raginerium & Lambertum filios Ragineri Montensis Comitis, ibidemque
Ditmarus l. 3 p. 342. Sig. Gemblac. ad b. a. civitatem Buschuth seu castellum Buxidis (ut id vocat Gemblacensis) obsedisset, diruissetque, factio Henriciana denuo telam suam texere cœpit, quæ etiam postea in Ottonem III. derivata est, ut propterea Henricus passim *Rixosi* nomen ab exteris obtinuerit. Ceterum ad hunc, consequentesque annos pertinet, quod de Ditmaro nostro brevibus refert
Cosmas l. 1. ad an. 968. Cosmas: *Posthæc Præsul Dietbmarus Ecclesias a fidelibus in multis locis*

ad

ad Dei laudem conſtructas conſecrat, & populum gentilem baptizans, quam plurimum facit Chriſto fidelem.

ANNUS 975.

Jam vero dum ſic Pragenſis Antiſtes in alio orbe exulat, Bohemia interea cœleſtis iræ nequaquam manſit expers, civilibus primum turbis præcipue in Zatecenſi provincia vexata, quibus poſtremo medela modusque adferri non potuit, præterquam ſanguine Chriſto nomen dare nolentium. Odio pariter in dies magis magisque Chriſtianos inter & Ethnicos inflammato, paſſim utrinque graſſabantur immanes prædationes cædesque, ut hæreret Boleslaus, quid conſilii capiendum eſſet; is tamen pro pietate ſua, qua rem Chriſtianam Sacerdotiumque complectebatur, ad protegendam fovendamque æquam cauſam totum ſe convertit. Militem, quem ex optimis legerat, in regionem Zatecenſem ire jubet, renuentesque Chriſti nomen profiteri ſeu in exilium exturbare, ſeu ſeveritate omni perſequi jubet. Et vero ſeveritas tandem fructus eos, quos optaſſe poterat, peperit. At, cum ſic vaſtata, inque ordinem redacta provincia redeunt cohortes Boleslai, clanculum ethnicorum reliquiæ per nefas collectæ, facta arborum ſtrage, reditum militi intercludunt, inopinumque ex inſidiis adorti fugant, cæduntque; rerum enim ſecurus procedebat miles arcubus, enſibusque in plauſtra abjectis. Sat tempori tamen adfuit vigilantia Boleslai, qui animadverſo

Zatecenſis regio in ordinem redigitur.

Boleslai miles cæditur ab ethnicis.

hoſtis impetu ſuos ad prehendenda arma animavit, & vero tam præſens illico cuique fuit animus & fortitudo, ut formata acie hoſtem irruentem viriliter exciperet, & cæſis plurimis vim vi infringeret. Viginti ſupra trecentos ex hoſte deſiderati, reliquiæ per ſilvæ latibula fuga ſalutem quæſiere. Inter cæſorum cadavera, quæ ſcrobibus ad hoc paratis injecta, repertum quoque eſt corpus multis vulneribus confoſſum Mrazeki cujusdam, harum turbarum præcipui coryphæi, vitæque Boleslai inſidiatoris, cui foris Chriſtiano, at intus & in cute perfido idololatræ Pragenſis regionis præfecturam, dum ipſe in expeditione Zatecenſi eſſet, Boleslaus dederat. (a) Prælium iſtud Pragam inter Slanamque commiſſum eſt, atque quoniam ethnicorum arma propulſando Chriſtiani vicerant, certaminis locus a defendendo vernacula lingua „ ſilva Brandeis „ dictus eſt. (b)

ANNUS JESU CHRISTI 975.

BENEDICTI VII. AN. 1. OTTONIS II. AN. 3. ET 9.

BOLESLAI II. AN. 9. DITMARI EP. PRAG. 3.

(a) Hujus rurſum hiſtoriæ nullum in veteriore veſtigium. Verius eſt, quod veterioribus Ditmaro aliisque annunciantibus refert Co-
Apud Menken. T. III. ad h. a. ſmæ codex Dresdenſis: *Hyems duriſſima, & importune longa & Idus Maji nix magna noviter lapſa terram operiebat.*

(b) Silvæ vix hodie aliquid hic loci ſupereſt, exſtat tamen viculus Brandeis viæ publicæ incubans, unoque lapide Slana diffitus.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Simulatam nonniſi fuiſſe ſuperiore anno ſubmiſſionem reconciliationemque Henrici Ducis Bavariæ, & complicum ſuorum, hujus anni nova molimina liquido demonſtrant. Jam pater illius Henricus I. Dux Bavariæ adjuvante cumprimis Mathilde matre aliisque agnatis & Principibus coronam regiam Ottoni I delatam in controverſiam vocabat, eo quod ipſe patris Henrici (Aucupis nempe) nomen conſecutus ſimul ab eo primum tum procreatus eſſet, cum ipſe Germaniæ Rex agnitus coronatusque fuiſſet, ſeu ut auctor vitæ Mathildis loquitur: *in aula regali natus eſſet*, quæ magnarum hos duos inter fratres diſcordiarum cauſa fuit, ut mox relatus author teſtatur. Hæc coronæ regiæ jura veluti a patre neglecta, ſeu eidem vi extorta mox a morte Ottonis I Henricus II. Dux Bajoariæ (de quo hic nobis ſermo eſt) recoquere cœpit, palam ubique queſtus, vi atque præter omnem æquitatem patrem ſuum ac proinde etiam ſe corona exutum, quod ut magis omnium ob oculos proponeret, ad exemplum Græci Imperii provocavit, in quo Porphyrogeniti ſeu in purpura nati præferrentur fratribus & filiis ante obtentam Imperii coronam genitis, aut certe ſocii Imperii conſtituerentur. Illud ipſum eſt, quod Gerbertus coævus Henricum a ſuis *Græcum* appellatum dicat, ſcilicet quod Græcum imperandi ritum in Germaniam inducere meditaretur. His argumentis prætenſisque juribus Henricus Ottoni II non quidem Imperialem, ſed Germanam coronam eripere conatus eſt, atque hoc ipſo anno ſe Ratisbonæ in Regem Germaniæ coronari fecit Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi augurali ceremonia ſibi coronam imponente; nam S. Wolfgangus, ut ne turbarum harum partem aliquam ferre videretur, ſe in ſolitudinem lacus Alpeſtris receperat. Horum omnium conſcium imo & fautorem fuiſſe cum Miſecone Boleslaum noſtrum, perſuadet bellum illico ab Ottone Bohemis intentatum, & aſylum, quod Henricus e cuſtodia elapſus in Bohemia apud eundem quæſivit, invenitque; magisque confirmat, ut quidam volunt, Boleslaum, loco Bohemiæ viciniſſimo, inaugurationis hujus ſolemnitati cum numeroſo comitatu pompaque pene regia interfuiſſe. Goldaſtus ex Fabricii l. 2. ſcribit: Bojemum & Polonum Ducem hoc anno ad celebrem in Thuringia Vinariæ conventum vocatos eſſe, *ad quem neque ipſi venerunt, nec legatos miſerunt.* In ſcholiis provocat ad Schafnaburgenſem. At Schafnaburgenſis ad hunc annum ſolum verba ſunt: *Otto Impera-*

Auctor Vitæ Mathildis c. 2. apud Leibniz. T. I. p. 197.

Gerbertus in epiſt. N. 26.

Goldaſtus l. 2. c. 3. p. 169.

perator habuit magnum conventum in Webmare, de Bohemo aut Polono Duce vocato tacet. Nihilominus cum mox subjungat: *Eodem anno Imperator Bohemos vastavit, & cremavit*, non levis conjectura Goldasto esse potuit: Henricum cum complicibus suis ad hunc conventum vocatum, atque cum mandato ejus non paruissent, Ottonem expeditionem in Bohemiam, omnia vastando & cremando, suscepisse, nam eandem incursionem in Bohemiam memorat etiam Chronicon Herveldense. Hæc autem incursio in Bohemiam pene momentanea fuit, nam vix exercitus per limites grassatus, Henricus Boleslao junctus alia parte cum exercitu Ottonis cervici imminuit. Sed infortunate res cecidit Henrico. Nam ut Annalista Saxo memorat: *Henricus Bawariorum Dux captus est, ad Engelenheim ductus caute custoditur.* Ditmarus locum custodiæ *Geilheim* vocat, quod cum anno secundo Ottonis accidisse dicat, omnia hæc ante mensem Junium, quo tertius Imperii annus Ottonis cœperat, evenire debuerunt. Sebastianus Widl cum Henrico Abrahamum Episcopum Frisingensem captum contendit, quem Schœnlebius ab Ottone in exilium pulsum, in Carinthia ad lacum Wertsee asylum quæsiisse vult. Hæc passim recentiores: apud veteriores proditum nihil invenio, ne illud quidem: proditoriene & dolo, an in pugna aliqua captus fuerit Henricus, an incautum imparatumque Otto oppresserit. Nisi fortassis quis ex illis Sigeberti Gemblacensis verbis: *Otto Imperator Henricum Ducem sibi subjugat*, prælium aliquod ariolari velit. Porro ut ut Henricus caute custoditus fuit, elapsus tamen, novasque Ottoni molestias tricasque texuit.

Schafnaburgensis ad h. a.

Chron. Herveld ad h. a.

Annal. Saxo ad h. a.

Ditmarus l. 3. p. 342

Seb. Widl in S. Sebastiano Ebersberg. c. 8. §. 3.

Schœnleb. in Carniolia

Sigeb. Gembl. ad h. a.

II. Complura sincera monumenta innuunt hoc anno in Episcopatu Pragensi magnam mutationem accidisse, adeo ut Episcopatus, qui annis abhinc duobus, & quod excurrit, *per Bohemiam & Moraviam unus & integer* (quemadmodum toties commemoratum Henrici III diploma loquitur) *fuerat constitutus*, divisus fuerit, Moravia a Bohemia sejuncta, eaque proprium & peculiarem Episcopum acceperit. Anno certe sequente idoneo instrumento testatum faciemus, Moraviæ fuisse Episcopum proprium Moguntini Archiantistitis Suffraganeum, cujus etiam nomen ex Cosma nostro in apricum proferemus. Id autem qua ratione, modo, & quam ob causam acciderit, cum documenta historiæque interciderint, ex superstitibus quibusque indiciis conjectura aliqua consequi ac elucidiare conabimur. Certum est, ut copiose Parte II & III. Annalium nostrorum ostendimus, Moraviæ olim regnum suos peculia-

liares habuiſſe Epiſcopos, quo vaſtato everſoque per Hungaros, Laureacenſes Archiepiſcopi jus ſuum vetus, quod in has regiones illis olim Romanorum & Gepidarum tempore competebat, reſuſcitarunt. Cum poſt inſignem illam Ottonis Magni anno 955 victoriam his partibus retrocederent Hungari, tranquilliusque vicinis ſuis uti occiperent, ac proinde ſe undequaque veteres coloni Chriſtiani in has terras inſinuarent, Gerardus Archiepiſcopus Laureacenſis, uti jam ad annos 942 & 946 meminimus, ab Agapito II. Summo Pontifice facultatem impetravit *in orientali Pannonia & regione Avarorum Marabarorumque* conſtituendi Epiſcopos, quod etiam veroſimillime, uti ad eos annos innuimus, executus eſt. Jam vero cum anno 973 per erectionem Epiſcopatus Pragenſis potiſſima veteris cisdanubianæ Moraviæ pars ab Archiepiſcopatu Laureacenſi fuerit avulſa, eademque Moguntino Archiantiſtiti conceſſa, recoxit Piligrinus Epiſcopus Laureacenſis ſeu Patavienſis anno ſuperiore ſua vetuſta jura in regiones orientalis *Pannoniæ, Ungarorum & Moravorum* coram ſede Pontificia, & per duos Romam miſſos presbyteros Benedicto VII (qui ſecundum calculum Papebrochii ultimis anni prioris menſibus Papa creatus fuerat) neceſſitatem novorum iſthic erigendorum Epiſcopatuum propoſuit, eundem multis precibus obteſtatus, ut cum meſſis iſthic inter Ungarorum & Sclavorum provincias magna eſſet, operarii pauci, per ſuos autem jam circiter quinquies mille Hungari Chriſto initiati fuiſſent, juberet Pontifex aliquos iſthic ordinari Epiſcopos, ſibique pallium prædeceſſoribus ſuis mitti ſolitum impertiretur. Legatio hæc benigne accepta fuit a Benedicto VII, bullamque (quæ apud Lambecium, Philippum Labbe, Goldaſtum, Hanſizium aliosque legitur) impetrarunt hi duo presbyteri, qua inter alia eidem datur facultas, ut in Hungaria & Moravia *more anteceſſorum ſuorum habeat poteſtatem presbyteros & Epiſcopos ordinare atque conſtituere.* Hac nova veteris diœceſis juriumque Laureacenſis Eccleſiæ confirmatione convelli videbatur prior conſtitutio Benedicti VI, qua Moravia Epiſcopatui Pragenſi fuit unita, ac utraque regio Metropolitæ Moguntino ſubjecta. Nec cuiquam dubium eſſe poteſt, hac diverſa duorum Pontificum ſententia, bullarumque contradictione controverſiam litemque inter Epiſcopum Pragenſem & Laureacenſem fuiſſe enatam, cum prior finibus diœceſis ſuæ ab initio conſtitutis concedere nollet, alter Moraviam ſibi denuo vindicatam, ac veroſimillime Epiſcopum Suffraganeum iſthic ordinatum cuperet. Nec incredibile eſt moliminibus Piligrini adhæſiſſe univerſos Moravos, qui memores ſe priore

ſe-

sæculo non modo Episcopos sed etiam Archiepiscopum habuisse, ac proinde sibi ad Episcopatus erectionem constitutionemque in regione sua majora præ Bohemis jura competere, procul dubio hanc Episcopo Pragensi factam subjectionem limis accipiebant oculis. Quidquid demum controversiæ fuit causæve, id certum, Moraviam hoc tempore proprium accepisse Episcopum, qui tamen non Laureacensi, sed Moguntino Archiepiscopo fuit Suffraganeus datus, (uti sequente anno ostendemus) procul dubio ut eidem aliqua parte tot terrarum jactura sarciretur, quam per novi Archiepiscopatus Magdeburgensis erectionem fecerat. Verum hunc Episcopatum Moraviæ diuturnum haud fuisse, ac Episcopum hoc anno isthic constitutum successorem nullum habuisse, quin Moraviam denuo S. Adalberto Episcopo Pragensi secundo fuisse subjectam, ad annum 983 docebimus.

ANNUS 976.

Altera inter inflictas populo Bohemo ab abitu Præsulis sui pœnas erat dira fames ex siccitatibus orta, duro atque adeo inexorabili cœlo, ut licet non raro hoc & superiore anno gravibus nubibus obductum post tempestates imbres sponderet, semper tamen hiantia hominum vota eluserit, præter horrendos mugitus fulguraque, & crebra fulmina ceterosque terrores aquæ nihil omnino largiens. Et quanquam æstas non adeo ureret, passim tamen hiatibus findebatur terra, exaresebant prata, silvæque macie contabescebant. (a) Ea tristis rerum facies Christianos Ethnicosque non minimo terrore perculit, istorum haud paucos majorum pœnarum metu ad amplectenda Christi sacra divino quodam instinctu pellexit, illis ad quævis pietatis opera, deprecandum-

Siccitas ingens absente S. Adalberto.

dumque vindex Numen incitamento fuit. Atque ut palam esset, hæc non fortuito, sed propter grandia & perspicua flagitia universæ regioni evenire, ostensum est divinitus Boleslao in Ecclesia Divi Viti DEum pro salute populi sui veneranti: Non ante cœlos liquefactum iri, quam exul antistes in patriam revocaretur, gentemque cœli furoribus obnoxiam Ecclesiæ vinculis expediviſſet. Hoc uno remedio salutem Bohemiæ reparatum iri. Hæc causa fuit convocati ex templo senatus sacerdotiique maturandæ in Italiam legationis. (b)

Consultatur de legatione ad Italiam mittenda.

Eodem anno Dombravka maritum suum Mieczislaum Poloniarum Ducem mascula prole beavit, (c) Boleslaus Chabry dictus, primus regia dignitate in hac gente conspicuus, de quo plura suo loco.

Boleslaus Chabry Dux Pol. nascitur.

ANNUS JESU CHRISTI 976.

BENEDICTI VII. PAPÆ AN. 2. OTTONIS. II. AN. 4. ET 10.

BOLESLAI II. AN. 10. DITMARI EP. PRAG. 4.

(a) Absente S. Adalberto Bohemiam plurium annorum siccitate, ac cumprimis sterilitate pulsatam fuisse constans est traditio; ejus luculentum etiam habemus testimonium ex Bulla Innocentii IV, cujus transumtum vetus in membrana habetur in Archivo Brzevnovienſi, quod cum omnibus aliis documentis exscribendi licentiam benevolentissime mihi impertitus est Reverendissimus Perillustris ac Amplissimus DD. Loci Abbas Fridericus, quem sacerrimi Ordinis sui decori commodisque diu sospitet Numen. Bullam hanc nusquam typis vulgatam posterioribus S. Adalberti annis servamus, nam Hagecius gesta hujus Sancti uni-

verſim facile annis 15 antevertit. Nec vero anno hoc ſe adeo inclemens genti noſtræ exhibuit cœlum, cum glorioſam adverſus Ottonis exercitum victoriam impertitus ſit, cujus cum Hagecius ne mentionem quidem faciat, oppido declarat ſe ſe veteres fontes, coævosque hiſtoricos minime conſuluiſſe.

(*b*) Alias veriores cauſas miſſæ a gente noſtra legationis non quidem ad Italiam, ſed Moguntiam ad Archiepiſcopum ex Biograghis cognoſcemus.

(*c*) Hanc Boleslai Poloni nativitatem admodum ſero hoc anno adnotavit Hagecius, quo jam nonnulli Hiſtorici mortem matris ſuæ Daubravcæ conſignant. Major fides Boguphalo, & Commentatori in Kadlubecium tribuenda, qui anno jam 967 Boleslaum natum aſſerunt, ut ibidem in Prætermiſſis oſtendimus. Errorem hunc Hagecii jam confutavit Balbinus, cum ex Boleslai imperii, vitæ, mortisque annis verum calculum annumque 967 nativitatis eruit.

Balb. in Epit. p. 118.

PRÆTERMISSA.

I. Otto II. Henricum Bavariæ Ducem adhuc cuſtodia Geilheimenſi detentum perduellionis convictum Ducatu ſuo exuit, in ejusque locum Ottonem Sueviæ Ducem Luidolphi filium, Ottonisque M. nepotem ſubſtituit. Quod revera præſente anno, non poſterius factum fuiſſe, ut quædam ſat vetuſta Chronica volunt, ex Wolfnero manifeſto eruitur. Ad annum enim 983 ſcribit: *Henricus Bajoariæ Dux pater Henrici Imperatoris ab Imperatore* (Ottone II.) *patruele ſuo ante ſeptennium ob infidelitatem & tyrannidem ab honore ſummotus eſt.* Et vero annum hunc conſignant etiam Annales Hildeshemenſes, qui eum inſuper *excommunicatum* fuiſſe volunt. Paulo poſt Henricus per amicos ſuos commiſerationis ſenſu motos occaſionem viamque ſe ſe e cuſtodia deliberandi nactus eſt, rectaque in Bohemiam ad Boleslaum fautorum ſuorum præcipuum fugam maturavit. Id ut primum comperit Otto, fugientem cum exercitu perſecutus eſt, per viam ferro & igni omnia populatus, ut Chronicon Raddegeshuſanum meminit, quod uti & alia vetuſta Chronica paſſim quidem hanc Ottonis in Bohemiam irruptionem annunciant, at cladem a Bohemis acceptam (ſi Ditmarum excipias, quem ad hunc annum etiam exſcripſit Annaliſta Saxo) ſummo ſilen-

Wolfher. in vita S. Godehardi c. 1. p. 485.

Annales Hildesheim. ad h. a.

lentio premunt. Juvat itaque Ditmarum, qui narrationi huic pariter annum præsentem præfigit, hæc sincerius, & quidem verbis suis enarrantem audire. *Henricus* (inquit) *Dux Bavariorum honore & communione privatus, Bojemiam fugit, quem Imperator ibidem valido petens exercitu cum Duce Bolizlao manentem, nil ibi prorsus in neutro horum profecit, sed magnam Bavariorum catervam, sibi ad auxilium huc venientem, & juxta Pilisini urbem castra metatam, dolo cujusdam militis Bolizlai sic perdidit. Vespere facto Bavarii se lavantes nulla custodum securitate fruuntur, & ecce hostis loricatus adveniens nudos eosdem in tentoriis & in virentibus pratis occurrentes prostravit, & cum omni præda lætus & incolumis revertitur. Imperator autem audita tantorum strage virorum, & quod nulla sibi via redeundi patuit, tecto itinere ad civitatem suam, quæ Cromena dicitur, venit.* Ditmarus l. 3. p. 342. Hæc de strage breviter Ditmarus, cui si scriptor Bohemus, Slavusve accidisset enarrandæ, procul dubio non modo hanc catervam Bavarorum, sed omnem exercitum Ottonis cæsum ac pene exstinctum legeremus, cum illi nulla via redeundi patuerit, & tecto itinere salutem in fuga quærere compulsus sit. Profecto Ottonis milites ne quidem proximos agnatos regis ducesque sepelire, & eorum corpora nonnisi difficulter asportare potuisse, non obscure conjicitur ex Abbatissæ Vilicensis confessione in vita S. Adelheidis, quam de fratre illius isthic interempto his verbis facit: *Interim Godefridus frater ejus* (Adelheidis, filiusque Godefridi Ducis Franconiæ) *processit in robur virile, cumque esset elegantiæ ac strenuitatis miræ, Imperatorem Bohemos cum exercitu adeuntem est comitatus honorifica suorum militia, omnique bellico apparatu beriliter stipatus, ubi factus belligerator insignis & fortis, meruit accipere victoriam glorioſæ mortis. Cujus cadaver a suis, licet multo laboris sudore, tamen ad patriam Deo gratias reductum est cum honore.* Apud Mabill. sæc. VI. Bened. p. 140. Hem! non solum Bavaricam catervam, sed etiam Godefridum Ducis Franconiæ filium cum suis Francis cæsum fuisse. Ceterum quod ad loca supra a Ditmaro commemorata attinet: Pilisini quin sit Plisna, hodie regia civitas, indubitatum est, eam recte Annalista Saxo ex emendatiore Ditmari codice *Plisni urbem* vocat, eademque in diplomate Brzevnovienſi, ad annum 993 referendo, *Plizeni* appellatur. At quænam *Cromena* civitas sit, tot fere sunt sententiæ authorum, quot operæ sibi sumpserunt eam inquirendi ac definiendi. Balbinus *Krumlovium* nostrum esse suspicatus est; at id sustineri minime potest, quandoquidem Ditmarus de Ottone ait: *ad civitatem suam venit.* Balb. in Epit. p. 131. Krumlovium autem nunquam inter ditiones seu Osterrichiæ seu Bavariæ ac

proinde nec Ottonis numeratum; ſed omni tempore, ut hodie Bohemiæ finibus accenſum fuiſſe, extra omne dubium eſt. Hahnius in Ottone II. aliud iſtud *Krumau* fuiſſe exiſtimat in ſilva Bohemica prope fines Bavariæ, ſed doct. Abbas Gotvicenſis queritur nominis hujus civitatem ſe ſe fruſtra loco indicato quæſiiſſe, ac propterea arbitratur hanc *Cromenam* potius eſſe hodiernum *Cromberg ad fluviolum Schwarzachum in palatinatu ſuperiori* ad confinia Bohemica inter Waldmünchen & *cœnobium Piwonka*. Alii cum clar. Pfeffel ariolantur *Kranam* de qua pag. 437 Ditmarus, & quam Abbas Gotvicenſis pro fortalitio *Cronach* ad amnem Rubiacam in territorio Bambergenſi habet. Alii plane *Cruſinam* hodie Creuſſen ad rubrum Mœnum interpretati ſunt. At hæſitationi hodie vix amplius locus eſt, urbem hanc, ad quam ſe fugiens Otto ex Bohemia tecto itinere receperat, haud aliam fuiſſe, quam *Cammam* ſeu hodiernam civitatem *Kamb*, aut ut alii ſcribunt *Chamb*. Nam vocem *Cromenam* in quibusdam Ditmari exemplaribus ſcribarum oſcitantia corruptam eſſe oſtendunt emendatiores codices. Ipſe Leibnitius poſterius in ſuis Ditmari emendationibus vocem hanc aliter reddit *Cramma*, & in variantibus lectionibus *Ditmaro reſtituto* ſubjectis emendat recte *Camma*, quam ipſam ſcriptionem retinuit etiam Annaliſta Saxo, qui hic loci Ditmarum ad verbum exſcripſit, ut dubitari haud poſſit hodiernum *Chamb* a Ditmaro indicatum fuiſſe. Erat autem *Camma* ſeu *Camba* non modo nomen regionis in confinibus Bohemiæ, ſed etiam urbis & caſtri ſuper fluvio Regan ſiti inter duas aquas Geuinacha & Marlacha, ut videre eſt apud Anamodum, quod etiam Coſmas noſter ad annum 1040 *caſtrum Kamb* vocat. Eſt igitur hodie ſuperſtes civitas *Chamb*, a qua comitatus ipſe inter Bohemiam & ſuperiorem Palatinatum ſitus nomen traxit. E civitate & caſtro iſto limitaneo non raro expeditiones in Bohemiam ſuſceptæ, ſicut & cæſis in Bohemia Germanicis exercitibus non ſemel receptui fuit. Ex Plſnæ vero confiniis retro in Bavariam haud brevior rectiorque via Ottoni eſſe potuit, atque in hanc urbem ſuam, in qua per ipſum fluvium Rheginum & caſtrum præſidium certum adverſus victoriosum, inſequentemque hoſtem conſecutus, hinc etiam Ditmarus ait *recto itinere* ad civitatem ſuam venit. Ceterum neſcio, quid ſomniaverit Carpzovius, qui in Tabellis ſuis Geneal. Dohnenſium hoc anno Boleslaum noſtrum ab Hincone de Dohna captum tradit, verba ejus ſunt: *Hinco Ottonis Imp. Locumtenens cepit Boleslaum Ducem Bohemiæ an.* 976. Quod ſomnium ſeu Ritterſhuſii ſeu Carpzovii fuiſſe, ut ſilentium omnium hiſtoricorum non commemorem, vox ipſa munusque *Locumtenentis* manifeſto prodit. II.

Hahns Reichshiſt. 2 Th. p. 113

Chron. Gotvic. p. 716.

Pfeffel de finibus Nordgav. p. 157.

Annaliſta Saxo ad h. a.

Anamod. in Trad. Emmer. p. 201 & 202.

Oberlauff. Ehrentempel P. II. p. 33

II. Jam crebrius superioribus annis mentionem fecimus, Moraviam anno præsente proprium habuisse Episcopum Moguntini Suffraganeum, quod jam ex diplomate seu Processu criminali Willigisi Archiepiscopi Moguntini dato & finito hoc anno IV. Kal. Maji testatum faciemus, qui integer apud Gudenum exeusus est. Willigisus itaque mandato summi Pontificis & Ottonis II cum suis Suffraganeis ventilata causa Gozmari Cantoris, qui fortuito quidem, non tamen præter omnem culpam, scholarem quendam Canonicum atramentali tabula occiderat, ingentiumque subortarum turbarum causa fuit, hanc tulit sententiam: *Quapropter auctoritate ipsius* (Ottonis) *adstipulantibus quoque Assessoribus nostris Venerabilibus Episcopis, Spirensi, Wormatiensi, Pragensi, Moraviensi, pro manifesto parricidio Gozmarum ab officio & beneficio deposuimus, & tonsoratum cenobio, quod est Nuenstat* (Kloster Neustadt) *ad penitentiam transmisimus. In signum quoque omnibus Ecclesiis nostris & Ecclesiarum personis presentibus & futuris Canterie baculum & infulam detraximus, & eam dignitate Prioratus exauctoravimus. Pro interventu quoque supra dictorum Episcoporum totius Ecclesiæ Moguntiace cognationi, que tanti mali causa fuerat, stipem ecclesiasticam reliquimus, & infimo loco, & perpetuo silentio punivimus.* Id oppido dolendum, nomina istorum quatuor Episcoporum expressa non esse; Pragensem horum fuisse Ditmarum res extra dubium est, at quis Moraviensis ille fuerit, jam explorandum: Cosmas noster postquam ad annum 1067 retulisset, sub Severo Episcopo divisum fuisse Episcopatum Pragensem adeo, ut Moravia proprium Antistitem rursum acceperit, subjungit: *Fertur autem, quod fuisset in Moravia ante tempora Severi* (Episcopi Pragensis) *quidam Episcopus, ut reor, nomine Wracen*, quem profecto haud alium fuisse a Moraviensi illo Episcopo, de quo suprafatum diploma, merito conjicere licet. Clarissimus Assemanus (qui hujus diplomatis Moguntini cognitionem non habuit) existimat Cosmam per hunc *Wracen* intellexisse Wichingum Moraviæ Episcopum, de quo copiose egimus P. III. Annal. nostrorum. At Wichingus nimium quantum remotus fuit a Silvestri temporibus, neque cum Wichingus cathedræ episcopali præsedit in Moravia, Bohemia sedem episcopalem adhuc habuit. Huc accedit, quod S. Methudius Moraviæ Archiepiscopus incognitus Cosmæ non fuerit, qui si ad hæc tempora prioris sæculi respexisset, sane præ Wichingo ad hunc, aut certe plures Episcopos, quibus tum gavisum fuit regnum Moraviæ, provocasset. Non igitur hic Cosmas de alio loquitur Episcopo Moraviæ, quam qui excitata Cathe-

Gudenus in Cod. Diplom. T. I. p. 352

Cosmas ad an. 1067.

Annal. Hagec. f. III. p. 192 & 338.

thedra Pragenſi, & Moravia eidem ſedi ſubjecta, interceſſerat, & illud
Cosmas cit. l. *Bohemiæ & Moraviæ quaſi unum & individuum epiſcopium ſciderat*, quemadmodum poſtea ſub Silveſtro factum fuiſſe memorat. Id non
Gudenus T. II. p. 597. prætermittendum: in catalogo univerſali Epiſcopatuum MS, cujus mentionem idem Gudenus facit, Moravienſem Epiſcopum inter XV. Suffraganeos Archiantiſtitis Moguntini recenſeri, adeo ut primum locum *Pragenſis*, ſecundum *Moravienſis*, ultimum Babenbergenſis obtineat. Jam vero

III. Cum teneamus Moraviam præſente anno illiusque confinio proprium habuiſſe Epiſcopum, ſive is *Wracen* ſive alius nomine fuerit, indubitatum eſt eidem omnem illum Moraviæ tractum in orientem protenſum ad uſque Wagum fluvium (quemadmodum anno 973 Epiſcopo Pragenſi conſignatus fuerat) conceſſum fuiſſe; quo pacto diœceſis ſua in magnam partem Hungariæ ſe protendit, nec immerito is Hungariæ Epiſcopus appellari poteſt. Quid ſi jam dicamus ab eodem Moraviæ Epiſcopo (cujus cujus demum illę nominis fuerit) Geizam Ducem Hungarorum patremque S. Stephani aquis baptismalibus ablutum, cum nemo hactenus ſatis idoneo teſtimonio prodiderit, a quonam Geiza baptizatus fuerit? Res profecto non inermibus nititur argumentis. Nam 1*mo* Hic Moraviæ Præſul proprius Hungarorum cisdanubianorum, qui Chriſto nomen dederunt, hoc tempore erat Epiſcopus, cujus diœceſis ad confluentem Wagi & Danubii excurrerat, adeoque haud longe Strigonio (quæ ſedes Geizæ Sanctique Stephani fuiſſe paſſim adſtruitur) abfuit. Nec vero de alio Epiſcopo hoc tempore locorum iſtorum viciniis quidquam proditum eſt, nam certum eſt nec Ruſſos nec Polonos hac parte adhuc quosdam habuiſſe Epiſcopos. Laureacenſis ſeu Patavienſis Epiſcopus, quanquam repetitis vicibus a Summis Pontificibus acceperit facul-
Concil. Germ. T. II. p. 658. tatem iſthic conſtituendi Epiſcopos, certum tamen eſt ex Synodo Laureacenſi hoc ipſo anno habita, eum in altera Danubii ripa jurisdictionem ſuam non ultra montem *Comagenum* exercuiſſe; Hungariam autem nonniſi annis poſterioribus ſub imperio S. Stephani Epiſcopos ſuos accepiſſe, unanimis eſt omnium hiſtoricorum ſententia multis vetuſtiſſimis documentis roborata. Attamen cum Ditmarus proximus his temporibus claris verbis adſtruat, Geyze proprium ſuum fuiſſe antiſtitem, quem hunc alium, atque Moravienſem fuiſſe aſſeremus? Verba autem
Ditmarus l. 8. p. 420. Ditmari ſunt: *Hujus* (Sancti Stephani) *pater erat Dejux nomine, admodum crudelis, & multos ob ſubitum furorem ſuum occidens. Qui cum Chriſtianus efficeretur, ad corroborandam hanc fidem contra reluctantes ſub-*

ſubditos ſævum & antiquum facinus zelo domini abluit. Hic domino vero omnipotenti variisque vanitatibus inſerviens cum ab Antiſtite ſuo ob hoc argueretur, divitem ſe, & ad hæc facienda ſatis potentem affirmavit. Quis igitur ille ſuus ſeu proprius Geizæ Antiſtes fuerit, cui auctoritas Geizam arguendi competierit, haud alium atque Moravienſem hunc invenio; qui ſi (ut dubitare haud licet) hiſtoriæ Eccleſiæ ſuæ gnarus fuit, novitque ante annos adhuc ſeptuaginta Moraviæ Epiſcopos jura diœceſis ſuæ per utrumque Danubii litus ad Tibiſcum & Savum uſque exercuiſſe, an ille cauſæ ſuæ indormierit, ut ubi ubi his locis Chriſtianos invenit, eos ovibus ſuis accenſere neglexerit? Laureacenſis ſeu Patavienſis Epiſcopi jura, quanquam crebrius a Sede Apoſtolica renovata confirmataque, nunquam amplius eouſque penetrarunt; erecto enim ſuperiore ſæculo Archiepiſcopatu Moraviæ, partibus his jurisdictio Archiepiſcopi Laureacenſis exſpiravit, quæ ipſa cauſa fuiſſe videtur, quod is efficere amplius nequiverit, ut Moravia & Pragenſis Epiſcopatus ſibi ſubjiceretur, ſed Moguntinum Metropolitam acciperet, Hungariæ vero Epiſcopi poſterius conſtituti ſuis propriis parerent Archipræſulibus. Certum eſt ſecundo (uti ex Chartuitio Biographo S. Stephani legere eſt) Geizam, antequam S. Adalbertus veniſſet in Hungariam, & ante filii Stephani baptiſmum jam aquis baptiſmalibus fuiſſe ablutum, ut idcirco id S. Adalberto, quemadmodum ſenſit Hanſizius, tribui haud poſſit. Nec vero baptizatus fuit a trium illorum Brunonum nonnemine, ut pluribus locis & maxime p. 227 convincit idem Hanſizius, qui recte inſuper innuit, hunc Geizæ baptiſmum nonniſi poſt celebrem illam Piligrini Archiep. Laureacenſis ad Benedictum VII. epiſtolam, quæ anno 974 ſcripta fuit, accidere potuiſſe. *Ac certe* (verba ſunt hujus doct. viri) *Piligrinus in epiſtola ad Benedictum VII cum de nobilioribus Hungaris ad millia quinque ſalutari lavacro ablutos glorietur, non erat certo ſilentio preſſurus ſpolium omnium præſtantiſſimum baptiſmum regis. Manet igitur in obſcuro, quisnam iſthoc præſtiterit, niſi ſuſpicari liceat id factum per aliquem Piligrini Patavienſis diſcipulum, ſerius tamen quam literæ ſint ad Benedictum ſcriptæ.* Imo nec per aliquem Piligrini diſcipulum, quandoquidem is nuſpiam legitur diſcipulum aut Suffraganeum Antiſtitem habuiſſe, & ſupra oſtendimus ex Synodo ejusdem præſente anno habita, jurisdictionem hactenus ab eo ultra montem Comagenum non fuiſſe exercitam. Quæ profecto perſuadent, baptiſmum Geyzæ vix quidem ab alio quam toties memorato Epiſcopo Moravienſi fuiſſe peractum, præſertim cum is accidere debuerit intra annos 974 & 984, ad an-

apud Schwandnerum T. I. p. 414.

Hanſiz. Germ. T. I. p. 234.

Idem cit. l.

annum autem 975 oſtenderimus, veroſimillimè jam Epiſcopatus Moraviæ a Pragenſi diviſionem factam fuiſſe, qui nonniſi ad annum circiter 985 perduravit, quo rurſum Moravia Cathedræ Pragenſi unita fuit, ut ſuo loco oſtendemus. Quod præterea robur aliquod his addere poteſt, eſt ſilentium omnium veterum vicinorum ſcriptorum Germanorum de hoc baptiſmo, ejusque collatore, qui ſi Bavaricorum aut Germanorum Epiſcoporum fuiſſet aliquis, procul dubio annotatum reperiremus; vix enim rem tanti momenti, quanta eſt converſio & baptiſmus Ducis Hungariæ, ſpesque gentis integræ ad Chriſtum convertendæ, præterita fuiſſet: at quoniam laus ea & commendatio fuit Slavi Epiſcopi, extraque hiſtoriarum ſuarum limites, ejus cognitio ad poſteritatis germanæ memorias ſpectare haud videbatur. Illud denique non prætermittendum: Stredovskius ex noſtris, quanquam eum diploma Moguntinum latuerit, tamen ex rerum, temporum, hiſtoriarumque collatione Epiſcopo Wracen (quod nomen Wratislai eſſe aſſerit) a Coſma indicato hunc ipſum annum 976 cathedræ Moravienſis deſignat, vindicatque.

Stredovsky ſac. Morav. Hiſt. p. 563.

ANNUS 977.

Legati Boh. Romā veniunt.

Menſe Aprili legationis provincia ſex illuſtribus viris commiſſa eſt, duo erant e Sacerdotum Collegio Bolohoſſtius & Mysliborus, ceteri Krzivanius, Roſyslavus, Wnymirus & Jarekius ex equeſtri ordine. (a) Legationis ſumma fuit, ut Woytiechus Epiſcopus Pragenſis a Benedicto ejus nominis VII repeteretur. Erant ſane juncta huic functioni permulta incommoda, ſed illud omnium maximum, quod Antiſtitis per urbem quæſiti ne veſtigium quidem uſpiam appareret, ut adeo pene fruſtra ſuſcepta videretur profectio; ni poſtremo traditis Principis ordinumque Bohemiæ literis, explicatoque utriusque deſiderio, ſubmiſſe rogatus ſummus Pontifex, cœnobium S. Alexii in urbe pete-

re

re legatos jussisset. (b) Ibi demum Præsulem in monasterii recessu cucullo tectum agnitumque dum supplices de genu salutant nuncii, summæque necessitatis causas venerabundi explicant, non latuit res quosdam de fratribus facti hujus observatores, qui totum veloci pede ad cœnobiarcham detulere: venisse hospites quosdam viros illustres, qui strati ad pedes F. Adalberti observantia nusquam debita eundem coluissent. Deducti ad præsentiam Abbatis corona fratrum stipati hospites verbis urgentur: qui sint, unde & quamobrem veniant, quidve causæ sit, quod fratrem tam insolito venerationis cultu acceperint? ad quem Mysliborus sacerdos in hæc verba prolocutus est: En coram duos e sacerdotum, quatuor e nobilitatis Bohemæ ordine a Principe & universa gente delectos missosque, Adalbertum, quem coram vides, Præsulem nostrum quæsitum, reductumque. Non poterat non admirationi esse Cœnobiarchæ tam inexspectata rerum scena, circumspectansque cum stupore fratres ad Adalbertum: Quo vergebant tua consilia, inquit, ut mihi meisque incognitus ab infulis te ad vilissima hujus cœnobi ministeria demitteres? rursumque conversus ad nuncios, quærit: quid causæ esset, quod eum quærerent, repeterentque? Ex quibus postquam intellexit Boemiam jam duorum annorum spatio sub interdicto ecclesiastico gemere, ac proinde omnem cœli rorem terræque ubertatem cum Adalberto exule patria recessisse, cum bona pace redire, ac Boemiæ benedictionem impertiri jussit.

S. Adalbertum in monasterio S. Alexii reperium.

Pontifex eum in patriam redire jubet.

At vero Adalbertus ſententiam quoque Summi Pontificis explorare conſtituit, a quo cum in mandatis accepit, ad ſedem ſuam reverteretur, populumque vinculo Eccleſiæ obnoxium enodaret, ſupremo fratribus cœnobii dicto vale ſe legatis reditum maturantibus ſociavit. (c) Sæpe poſtea Abbas de Adalberto, ſi quando ejus mentio inciderat, præconii inſtar ejus modeſtiam, vitæ integritatem ſanctitatemque extollere ſolitus, (d) narravitque, quo pacto juſſus aliquando craterem vino plenum adferre malignitate dæmonis (moloſſi nigri ſpecie tecti) excuſſum manibus humique in mille fragmenta protritum ſolo crucis ſigno repente integrarit, refeceritque. (e) Ipſi porro fratres egregias quasque virtutes, quas ſingillatim quisque in eo notaverat, certatim inter ſe integris panegyricis celebrabant. At Præſul iter cum legatis proſpere emenſus patriam ingreſſus eſt, jamque in interiora veniens aſcenſo monte quodam (quem late Bohemiam deſpicientem a viridibus jugis viridem incolæ appellant) (f) a Brzimota eremicola, qui iſthic ſolitarius cœnobium Beatæ Mariæ exorſus fuerat, gratanter exceptus, in cellulam deductus eſt, ubi accinentibus ſimul legatis Ambroſianum hymnum laudes DEO gratesque dixit. Tum in eminentiorem locum egreſſus a quatuor mundi plagis terram Bohemam, omnemque ejus populum Pontificiis nexibus facto ſigno crucis exſolvit. Tantum mox fertilis pluviæ in omnem regionem dejecit cœlum, quantum terræ diuturnis ſolis ardoribus exuſtæ ſatis ſuperque fuit, (g) ut nemo non ex his prodromis intelligeret Antiſtitem proxime Bohemiam eſſe, cui cœlum ipſum vi-

In viridi monte Bohemiæ benedicit.

virentibus quaquaverſum campis triumphalem reditum ſterneret. Venienti Pragam hic enim vero effuſa in occurſum cum Duce plebs pro ſe quisque gaudere, antiſtitis certatim manus exoſculari, flere alii, præteritorumque veniam flagitare, alii ſaniora poſthac polliceri. Ita circumfuſo omnis ætatis ſexusque multitudine, inque Divi Viti templum deducto, Boleslaus omnium nomine obedientiam ſpopondit cum ſacramento integrioris vitæ. Iſthic Adalbertus inter cetera univerſæ annunciavit genti obtentam a Summo Chriſti Vicario poteſtatem, ut poſthac per ſingulos dies in baſilica Divi Viti hymnus Kyrie eleiſon sclavonica lingua ad numeros muſicos decantaretur. Nam ſibi divinitus oſtenſum promiſſumque eſſe: Poſthac Bohemos toto corde ad DEum converſos, ritusque hujus tenaces nunquam tanta terræ ariditate pulſandos. Accenderat Principem populumque cantus hujus legendi audiendique cupido, & vero Præſul depromptam e pera viatoria cum longævi panis fruſto & ligneo calice membranam coram omnibus tradidit, qua mox memoratus hymnus eleganter exceptus erat. (b)

Pragæ ſumma ſtripudio excipitur.

Author slavici hymni Kyrie eleiſon.

Eodem anno Dombravka conjux Mieczislai Polonorum Ducis, materque Boleslai Chabri primi regis ejusdem gentis mortales exuvias poſuit. (i)

ANNUS JESU CHRISTI 977.

BENEDICTI VII. PAPÆ AN. 3. OTTONIS II. AN. 5. ET 11.

BOLESLAI II. AN. 11. DITMARI EPISC. PRAG. 5.

(a) Legationis hujus principes, qui cum literis Moguntini Metropolitæ Romam missi erant, fuere Christannus Strachyquas & Papas Radla, præ quibus cum nobis Hagecius nescio quæ incognitorum sacerdotum, nobilitatisque nomina propinat, oppido ostendit, se neque Biographis S. Adalberti, uti convenerat, usum.

(b) Nec Papam, nec Moguntinum, nec Boleslaum legatosque latuit, S. Adalbertum cucullum induisse in monasterio SS. Alexii & Bonifacii, quæ omnia suis annis veriora ex ejus Biographis proferentur.

(c) Et hæc rursum universa narratio minime respondet relatis Biographorum. Ceterum Dalimilum omnium primum ex nostris reperio, qui ait S. Adalbertum Bohemiam fulmine ecclesiastico feriisse. Suo loco ostensuri sumus, fulmen istud solum in Wrssovecios vibratum.

Mabillon. sæc. V. Bened. p. 859. N. 29.

(d) His similia omnino habet Biographus: *Dicunt*, inquit, *autem Abbas & fratres ejus de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus, & extra martyrium vere sanctus erat.*

Ibid. p. 857. N. 22.

(e) Longe aliter hæc enarrat prior Biographus, qui cum universim dixit, sæpe cum verecundia hostem infernalem eidem lapsus paratse, subjungit: *Una dierum cum fratrum mensæ apportaturus foret merum, offenso pede corruit ipse super vas, & vas ingenti cecidit super marmora lapsu. Audit a longe Pater monasterii, cunctique fratres per ordinem, quomodo labitur ille heros, nescientes quia hunc casum prosperrima adversitas comitaretur, ita enim vas sanum, & vini portio non minuta reperitur, ac si nulla facta foret ruina.*

In vestigio Bohemiæ p. 36

(f) Imo Chanowskyus ait: *montem viridem* inde vocatum, quod fulmine ecclesiastico per S. Adalbertum sublato, & pluvia de cœlo cadente *montis prædicti herba arida statim viruerit.* Idem eodem loco du-

duplicis lapidis meminit, alterius in arce, alterius in ſacello vicinæ ſilvæ, in illius ſedentis, in iſtius jacentis S. Adalberti veſtigia expreſſa eſſe. Berghauerus etiam menſuram hujus veſtigii deſcribit, additque S. Adalbertum *ebullientem iſthic e monte fonticulum, qui uſque hodie Woytiechi nomen tenet, mirabili ſanativa virtute donaſſe.* *Berghauer in Protom. Pœnit. p. 2.*

(*g*) Hæc omnia ad quasdam traditionum reliquias referenda ſunt, quas ſollicite Hagecium per regnum exquiſiviſſe, jam alias epiſtola ejus ſuperſtite teſtatum fecimus. Ceterum a ſiccitate, lue pecorum & hominum eos annos notatos eſſe, quibus S. Adalbertus exulabat in Italia, ad annum 989 & 990 oſtendemus, iſtis enim, non ſuperiore & præſente anno, univerſum id accidit.

(*b*) Hymnus breviſſimus, qui hodie etiam in Metropolitana aliisque Eccleſiis canitur, hujus tenoris erat: Goſpodyne pomiłůg ny, Gezu Kryſte pomiłůg ny, tys Spaſa wſſieho mira, ſpaſyż ny, y vſlyſſyż, Goſpodyne Glaſy naſſe: dag nam wſſem Goſpodyne, żyżu, a mir wnaſſy zemi Krieſſ, Krieſſ, Krieſſ. Quod latine interpretatur: *Domine miſerere, JEſu Chriſte miſerere, tu ſalus totius mundi ſalva nos & percipe Domine voces noſtras: da cunctis Domine panem, & pacem noſtræ terræ Kyrie eleiſon.* Exſtat MS. liber in Bibliotheca Clementina S. J. in quo idem hymnus continetur cum notis muſicis adjectis, ejusque explicatione anno 1397 a quodam Ord. S. Benedicti concinnatus conſcriptusque, iſthic author dicit: S. Adalbertus *hoc canticum Dei ſua ſcientia compoſuit, ſanctitate dignificavit, authoritate epiſcopali roboravit, ac ſalutaribus indulgentiis dotavit &c.* Quæ indulgentiæ procul dubio ab ipſo Romano Pontifice conceſſæ fuerint, ſecus enim non video, quid ejus licentia ad cantandum hunc hymnum in Eccleſia Metrop. opus fuerit, ut vult Hagecius.

(*i*) Hunc emortualem annum Daubravcæ recte conſignavit Hagecius. Nam quanquam Freheriana Coſmæ editio ſuperiorem annum numeris exprimat, tamen Dresdenſis Codex rite per annum præſentem emendat, quem Annaliſta Saxo & Dlugoſſus adnotavit. Mira autem ſunt, & tot laudibus, quibus Daubravcam omnes Poloni hiſtorici celebrant, adverſa, quæ Coſmas de illa præſenti anno adſcripſit: *Obiit*, inquit, *Daubrauka, quæ quia nimis improba fuit jam mulier provectæ ætatis, cum nupſiſſet Polonienſi Duci, peplum capitis ſui depoſuit, & puellarem* *Coſmas ad h. a.*

rem coronam sibi imposuit, quod erat magna dementia mulieris. Dlugossus, qui Cosmam nostrum legerat, aliorsum hæc trahit, inquiens: *Hæc in ætate provecta caput non velabat, sed ad instar virginum serto & corona incedebat ornata,* quibus dein Balbinus ad expurgationem Daubravcæ, usus, hæc subdit: *Superbiæ eam Cosmas insimulat, quod virginum more vultu non obnupto & sertum in capite gestans incesserit, sed istud fortasse lætitiæ, quam optima matrona ex Christianæ religionis gloria capiebat, dederit, vanitatis eam certe vita reliqua sanctissime acta facile absolvit.* At aliud intenderat Cosmas, cum ob id *improbam* vocat, quod *peplum seu velamen viduitatis* deposuerit, Deoque sacra ad nuptias transierit. Nam ejusmodi velatæ mulieres viduæ erant Diaconissæ priscæ Ecclesiæ, ut ex Glossario Caroli Dufresne cognoscere licet, quæ vitæ integritate, religione ac pietate insignes in sacris Ecclesiæ ministeriis ea obibant munia, quæ diaconi salvo pudore vel etiam absque offensionis nota peragere non poterant, habebanturque adhuc his sæculis pro Deo sacris, quæ voto continentiæ adstringebantur; exemplo est repudiatio Henrici Aucupis Germaniæ regis, qui primam uxorem suam Hatheburgam non alio ex capite repudiavit, quam quod vidua velata fuerit. Hinc scribit Ditmarus l. 1. p. 326 de eodem Henrico: *Jam jamque latentis animi fervor erupit, & injusto se hactenus multum peccasse connubio tandem professus.* Scilicet in mentem rediere Henrico Sigismundi Episcopi Halberstadiensis ob idem matrimonium cum vidua velata contractum fulmina, cum ut idem Ditmarus refert, prohibuit: *aliquam inter se amplius fieri commixtionem, & per epistolam banno Apostolicæ autoritatis interdicens ad conditam Synodum ambos vocavit.* Talem velatam mulierem quin intenderit Cosmas, vix quidem dubium, at oppido falsus est, cum hanc viduitatem velamenque Daubravcæ imputavit, quam virginem datam Mieczislao omnes veteres recentioresque Poloniæ Historici scribunt, nec vero credibile Miecislaum *mulierem provectæ ætatis,* qualem nominat Cosmas, sibi matrimonio juncturum fuisse, aut Daubravcam ea pietate, qua eam celebrat Ditmarus, se connubio sacrilego contaminaturam fuisse. Procul dubio autem Cosmas nuptias secundas Miseconis cum primis Daubravcæ confudit, nam secunda illius uxor erat velata, imo sanctimonialis, quam Miseco ex monasterio Calva eduxit, de qua hæc Ditmarus: *Sed cum mater ejusdem* (Boleslai Poloni) *obiret, pater ejus* (Miseco) *unam sanctimonialem de monasterio, quod Calva dicitur, Thiedrici Marchionis filiam, atque canonica autoritate duxit. Oda fuit nomen ejus, & magna erat præsumptio illius. Spreverat enim spon-*

Balb. in Epit. p. 118.

Glossarium Dufresne voce Velum ordinationis.

De his Concil. African. c. 89 Triburense c. 25. Turonense III. cap. 27. Wormaciense c. 21. &c.

Ditmarus l. 1. p. 325

P. Albertus Ines in Elogio Miecislai.

Ditmarus l. 4 p. 359.

ſponſum cæleſtem, præponens ei virum mortalem, quod cunctis Eccleſiæ rectoribus, & maxime Antiſtiti ſuimet venerabili Hillibardo deplicuit. Niſi dicere malimus Coſmam amitæ Przibislavæ velum & viduitatem, quoquo demum errore, Daubravcæ imputaſſe, nam de illa dicit Chriſtannus: *Poſtquam Przibislavam Dominus a jugo maritali ſolverat, totam ſe manciparat Deo famulandam eſtuanti ſitiens animo velamine ſacro contegi*, & rurſum: *Sub ſacro habitu ſanctiſſime vivens.* Ut proinde expurgatione, quali uſus Dlugoſſus aut Balbinus, haud opus ſit. Imo fortaſſis omni culpa vacat Coſmas, paragraphusque iſte ex marginibus in ipſum contextum Coſmæ in pluribus exemplaribus illius irrepſit. Nam Annaliſta Saxo, qui omnibus locis Coſmam noſtrum ad verbum diligentiſſime exſcripſit, narrationis univerſæ non meminit, quod conjecturæ locum præbet, eam a ſuo exemplari defuiſſe. Ceterum Daubravcam in Eccleſia Gneſnenſi magno mariti, filii, civium, clericique planctu tumulatam fuiſſe tradit Dlugoſſus.

Balb. in Epit. p. 61. & 64

Annal. Saxo ad h. a.

Dlugoſſus hiſt. Pol. l. 2. p. 104

PRÆTERMISSA.

Otto II anni prioris maculam abſterſurus rurſum expeditionem ſuſcepit adverſus Bohemos, de quo Schafnaburgenſis, Chronicon Herveldenſe & Albericus. Verba prioris ſunt: *Imperator cum magno exercitu perrexit ad Bohemos, & maximam partem terræ illius incendio concremavit.* Verum expeditionem hanc non ab ipſo Imperatore, ſed Ottone Bavariæ & Allemanniæ Duce ſuſceptam fuiſſe, ex Gerardo presbytero & familiari S. Udalrici Biographo cognoſcere licet, & quidem veroſimillime ut Boleslai armorum vis (quæ tota cum Henrico exauctorato Bajoariæ Duce & altero Henrico Auguſtano Epiſcopo in Noricum ſeu hodiernam ſuperiorem Auſtriam incubabat) diſtraheretur, Otto Dux cum ſuis Suevis & Bavaris alia parte irrupit in Bohemiam, Ottone Imperatore cum alia exercitus parte limites Bavariæ confines Oſterrichiæ tutante. Hac incurſione in Bohemiam facta, & Boleslao ad ſua defendenda maturante, interea Henricus plerasque Norici urbes cum Patavio cœpit. Quod cum Ottoni Duci nunciatum eſt, retraxit ille ſubito militem ex Bohemia, & Henricum Patavii obruit, urbemque obſidione cinxit, cui vicinus in auxilium feſtinavit Imperator, Henricumque ad deditionem compulit. Sed verba ipſa Gerardi compendio relata, quæque ex aliis illuſtranda ſunt, audire libet: *Quodam tempore*, inquit, *cum Imperator Otto gentem Sclavorum* (Bohemorum) *cum exercitu in-*

Schafnaburgenſis, Albericus. Chron. Herveld ad h. a.

Apud Mabill. ſæc. V. Bened. p. 458.

va-

vadere voluisset, & Otto, qui tunc Dux erat Alemannorum & Bauvariorum, Henrico deposito, in adjutorium ejus venire cum Alamannis & Noricis paratus esset, Haimricusque Episcopus (Augustanus) *ire se cum illo promitteret, exspectavit cum suis militibus donec recederet exercitus* (scilicet Ottonis in Bohemiam) *& sicut antea consiliati sunt, occupavit cum militibus suis civitates quas potuit, & ipse in Nuwingburg* (Neuburg) *intravit. Henricus autem, qui antea Dux fuit, Pazovam* (Patavium Passau) *civitatem intravit ea ratione, ut Ottone cum exercitu recedente provinciam sibi adjutorio nepotis sui Episcopi subjugaret. Hoc itaque consilium cum Ottoni Duci notum factum fuisset, reversus est* (ex Bohemia) *cum exercitu ambarum provinciarum, & obsedit eum in praefata civitate Pazova. Imperator autem Otto cum Dei clementia liberatus a Sclavis* (scil. Bohemis ad sua defendenda retrocedentibus) *venit post eum ad eandem civitatem in obsidionem ejus. Obsidione facta & carmula* (seditione*) *mitigata Imperator ad Saxoniam revertitur.* Illud vero anno praesente factum fuisse docet nos Ditmarus, qui narrata superioris anni clade Ottonis a Boleslao nostro accepta subjungit: *in proximo anno* (Otto) *praefatum Ducem* (Henricum) *ad Pataviam confugientem subegit.* Eundem annum servat Schafnaburgensis superiora persequens: *Henricus* (inquit) *cum altero Henrico invaserant Bazovam, quod Imperator ut audivit, festinato exercitum illo movit, urbemque obsedit, & Henricum Ducem ad suam gratiam recepit.* Ea autem conditione receptus in gratiam Henricus, ut vocatus compareret in publico placito, & cum complicibus suis se crimine perduellionis purgaret, quod demum sequente anno factum fuisse ostendemus. Ceterum hac obsidione tam civitatem Patavienſem quam muros illius multum labefactatos fuisse persuadet diploma Ottonis II, quo Piligrino Episcopo pro vastatione civitatis & reparatione murorum donat praedium Anespurk. Quid vero egerit Boleslaus noster scena tam subito mutata, haud proditum est, anno sequente jam Ottoni conciliatum fuisse indubitatum est. Goldastus quidem jam anno praesenti Alstedii in Thuringia submissionem & conciliationem Boleslai adscribit, sed authores, ad quos provocat, id solum meminere, Boleslaum in Paschate ad Ottonem venisse, quod omnino anno primum sequente factum est.

Lex Bajuvar. Tit. 2. §. 3.

Ditmarus l. 3 p. 343.

Schafnaburgenſis ad h. a.

Hanſiz. Ger. ſac. T. I. p. 222.

Goldaſtus l. 4. c. 3. p. 553. & l. 2. c. 2. p. 170.

AN-

ANNUS 978.

Reſtitutus ovili ſuo paſtor Adalbertus nihil in ſe deſiderari paſſus eſt, quod ſedula ovium cura expoſcebat, verbo & exemplo forma gregis ſui factus. VI Kalendas Octobris, quo die SS. Coſmæ & Damiani feſtivam ſolemnitatem Eccleſia agit, religionis cauſa ad templum Divis his ſacrum, quod ante annos quinquaginta Pragam inter Wiſſehradumque a ſanctiſſimæ memoriæ Duce Wenceslao conditum fuerat, peregrinatus eſt. Templum iſtud, imo verius ſacellum, hodiedum in cœmiterio Slovanenſi ſpectare licet. (a) Inde iter Boleslaviam more ſuo ſolitarius larvatusque per ſilvarum devia direxit, ethnicorum odia inſidiasque evitaturus. Poſteaquam ad prodigioſum Divi Wenceslai tumulum ſacris operatus, ſe ſuumque gregem Deo commendaſſet, ſecreto, omnibusque incognitus per fluminis Albis ripas deſcendit. Emenſo lapide uno pervenit in vicum Albi proximum Neratovicze dictum. (b) Abhinc in adverſum littus trajecere navicularii idololatræ: pro naulo vero, quo carebat, annunciationem chriſtianæ religionis offerentem miſere inter manus raptant, poſtremo etiam humi alliſum in nauli vicem calceis ſpoliant. Digna erat cœleſti ultione divini viri violatio, meritoque mitiſſimi alias animi juſtam indignationem provocaverat. Execratus igitur inhoſpitales avarosque barbaros, ipſos eorumque filios & nepotes, ceteramque poſteritatem ſempiterno perculit maledicto, ut frumenti panisque egeni eſſent. (c) Et eſt hodie loci hujus ſtirpisque cala-

S. Adalbertus peregrinatur ad ſacellum SS. Coſmæ & Damiani.

Inde Boleslaviæ

Vapulat a nautis.

Imprecatur illis omnique poſteritati.

mitas, ut quantumcunque ex agris colligant, eorumque horrea segetibus stipata tumescant, nunquam tamen in messem sequentem suppetant. Nam occulta quædam tabes in autumno collectas fruges passim exedit. Cui malo ut tempori prævertatur, jam isthic in morem receptum est, ut vix tribulis excussa seges veneat, paneque emptitio vivatur. (d)

Plures per hos anni dies sacris ordinibus initiati sunt. Ex quorum numero septem supra viginti severioris vitæ institutum amplecti cum animo suo constituere, supplices itaque facti Episcopo Adalberto vitæ propositæ rationi locum idoneum expetiverunt. Haud multo post Boleslao quædam Wltavæ fluminis insula tertio supra Pragam milliario divinitus indicata est, quam cum capiendo cœnobio capacem explorasset, præter moram manum admoveri operi, magnisque sumtibus Ecclesiam Divo Joanni Baptistæ nuncupandam cum asceterio excitari jussit. Huc subsequente anno suprafati austerioris vitæ candidati inducti, cucullo regulaque Divi Benedicti donati sunt, datus iisdem Abbas Bohumilus vir ipsa sanctitatis fama apud plerosque conspicuus. Boleslai vero liberalitas nihil iis deesse passa est, omnibus abunde ad victus vestitusque rationem suppeditatis. (e)

Cœnobium Insulanum fundatur.

ANNUS JESU CHRISTI 978.

BENEDICTI VII. AN. 4. OTTONIS II. AN. 6. ET 12.

BOLESLAI II. AN. 12. DITMARI EP. PRAG. 6.

(a) De hoc ſacello plura jam P. III. pag. 551. & ſeq.

(b) Supereſt hodie vicus Neradovicz ad Albim Koſtelecium inter & Melnicium ſitus.

(c) Incredibiles imo abominandæ ſunt tot diræ & execrationes S. Adalberti, quas in tanto Biographorum veterumque omnium ſilentio ex Hagecio noſtro legimus. Nolim inficiari, ad traditionum reliquias pertinere, S. Adalbertum hinc atque illinc a malevolis hominibus ac præſertim ethnicis male habitum, adeo ut ſimile quid etiam Neratovicii accidere potuerit, præſertim cum Balbinus affirmet, iſthic lapidem grandiorem adhuc oſtendi, & pro ſacro haberi, in quem S. Adalbertus calceis ſpoliandus dejectus alliſusque ſit, cuique ſuperiore ſæculo Wilhelmus Slawata ſacellum ejusdem Divi honori nuncupatum inſterni juſſit. Sed propter unius alteriusve delictum omnes pagi incolas cum univerſa progenie ac poſteritate tot infelicibus diris devovere, malisque cumulare & fidem ſuperat, & Divi Adalberti manſuetudini ſanctitatique ſumme injurioſum eſt. Non erat hæc doctrina Chriſti & Sanctorum, malum pro malo reddere, ſed percuſſa maxilla una alteram præbere. Unde optandum eſſet, ut execrationes iſtiusmodi, quæ ex Hagecio in quasque vernaculas vitas hujus Sancti irrepſerunt, auctoritate publica expungerentur, quandoquidem alioquin hodie nemo ex poſteritate dirarum iſtarum vel indicium experitur. *Balb. in Epit. p. 133.*

(d) Boleluzkius ſcribit, ſe cum quibusdam civibus Pragenſibus huc excurriſſe veritatis explorandæ cauſa, poſt multas quæſtiones reſponſum tuliſſe ab incolis: id ſe nec expertos unquam, nec audiviſſe quidem, quid vero majoribus ſuis acciderit, ſibi ignotum eſſe, eo quod bello tricennali vaſtatus locus meros novos adventitiosque colonos acceperit. *In Reſt. Bol. II. p. 281.*

(e) His Hagecius innuit fundamenta celebris illius monasterii, quod demum sæculo sequente nomine *Insulani* seu *S. Joannis in Insula* innotuit, jacta fuisse, qua in opinione Balbinum, Crugerium, Boleluzkium aliosque plures sectatores postea habuit. Sed copiose locum hunc Hagecii, præludente jam sibi Magnoaldo Ziegelbauer, confutavit Reverendissimus D. Bonaventura Pitter in suo S. Gunthero p. 148 & seqq., ubi ostendit Hagecium tam in Chronologia, quam loco, quam nomine primi Abbatis sociorumque illius gravissime hallucinatum. Profecto diploma Ottocari I. Regis Boh. hodie autographum superstes, quod omnium donationum a primis hujus cœnobii incunabulis compendium & confirmationem Regiam continet, luculenter ostendit, cœnobium Insulanum non ante annum 1000 a Boleslao Pio fundatum, primumque Abbatem Lambertum, non Bohomilum, nomine ex cœnobio Altaensi vocatum fuisse. Diploma istud Reverendissimus D. Bernardus Slavik piæ memoriæ Abbas S. Joannis sub Rupe ex archivo Celsi. Principis de Schwarzenberg ante annos facile 14 vindicavit, idque postea mihi inspiciendum & exscribendum benignissime transmisit.

Balb. in hist. S. Montis Auct. 1. p. 102.
Magnoaldus. Ziegelbauer in Epit. hist. Mon. Brzev. p. 232.

PRÆTERMISSA.

I. Otto II. Imperator obsesso nuper atque ad deditionem compulso Henrico exauctorato Duci Bavariæ atque complicibus ejus hoc anno Paschale tempus decrevit, quo se in publico placito de perduellionis crimine perpurgarent. Annalista autem Saxo Imperatorem hoc anno in Quedlinburg Pascha celebrasse prodit, quid ibi cum Henrico & ejus complicibus actum sit, tradit Gerardus S. Udalrici Biographus his verbis: *Postea* (scil. post expugnatum Patavium) *statuto tempore Heinricus filius Heinrici, & æquivocus filius ejus Pertolfi ad colloquium Imperatoris vocati sunt: cum quibus etiam Heinricus Episcopus ad Imperatorem se ad excusandum de prædicto reatu venit, ut restitutus gratiæ ejus ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio Heinricus & æquivocus ejus in exsilium missi sunt: Heinricus autem Episcopus ad Vurdinam* (Werthinense cœnobium) *ubi sanctus requievit Liutgerus, Abbati ad custodiendum commendatus est.* Annalista Saxo etiam Ekbertum Comitem captum & abductum prodit, cujus verba sunt: *Heinricus quondam Dux cum Henrico minore & Ekbertus comes apud Imperatorem accusati; jussu Imperatoris Magdaburh capti sunt, & exilio longo deputati.* Quo loco cum author dicat *capti Magdaburh*, Sigismundus Calles alii-

Annal. Saxo ad h. a.
Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 458.
Annal. Saxo ad h. a.
Sigism. Calles Annal. Austr. l. 4. p. 262.

aliique historici Ottonem hoc anno Magdaburgi Pascha celebrasse judicarunt. Sed certum est, ut supra diximus, Ottonem Pascha in Quedlinburg egisse, ibique utrumque Henricum causam suam dixisse, quod verbis apertis prodit Schafnaburgensis: *Ad Ottonem venit in Pascha Boleslavo, aderat & Henricus cum altero Heinrico, qui comprehensi in exilium missi sunt.* Quæ ut concilientur, verisimillimum est utrumque Henricum cum Ekberto veniisse ad Imperatorem Magdeburgi adhuc ante tempus Paschale degentem, ibidem captos, demum Quedlinburgi in publicum placitum ad perpurgandum crimen perduellionis adductos fuisse, inde demum cognita causa condemnatos & Trajectum in custodiam missos longoque exilio mulctatos fuisse. Henricus quidem exauctoratus Dux Bavariæ seditionis hujus primipilus custodia sua deliberatus non est, dum vixit Otto II. Unde recte Brunnerus sentit anno 982 post mortem Ottonis Bajoariæ Ducis non successisse mox commemoratum Henricum, sed *Henricum minorem, is*, inquit Brunnerus, *cum Henrico majori cognominis, aut ut illo sæculo loquebantur æquivocus esset, scriptores permulti in errorem inobservabilem inducti, ipsum Henricum Bojum anno 982 postliminio patriam, dignitatemque recepisse fabulantur, quem tamen certum est vivo Ottone II nec luci nec libertati restitutum*, quem quidem Ducatum nonnisi anno 984 recepit. Quod ad illustrandam consequentium annorum historiam hic prænotare necessum erat. *Annal. Boic. P. a. l. 3. p. 141.*

Jam ut ad Boleslaum nostrum veniamus: is præsente anno ad Paschalem Quedlinburgi celebratam festivitatem non modo libere venit, sed & honorifice ab Ottone susceptus est, & magnis muneribus donatus domum remissus est, quod Chronicon Herveldense & Schafnaburgensis his verbis testantur: *Ad Imperatorem Ottonem venit in Pascha Boleslavo, qui honorifice susceptus, magnisque muneribus ab Imperatore oneratus rediit domum.* Quibus liquet minus vera scripsisse Goldastum aliosque, qui seu superiore anno seu præsente Boleslaum inter ceteros Henrici complices ad causam in publico placito dicendam, crimenque perduellionis expurgandum vocatum scribunt. Cum Boleslaus tam libere Imperatorem in Paschate accesserit, ab eodemque honorifice susceptus sit; multo magis id innuit: Boleslaum jam prius Imperatori conciliatum fuisse. Quo tempore vero aut modo id acciderit, quæve pacis conditiones initæ fuerint, nuspiam proditum. Procul dubio hactenus victor & Miseconis Poloniæ Ducis amicitia atque societate fultus nulli duriori *Chron. Herveld. & Schafnab. ad h. a.*

riori conditioni subscripserit. Quin imo merito suspicari licet: ei non modo superiorum annorum intermissum tributum condonatum, sed & ab eo pendendo in annos complures posthac liberatum fuisse. Nam urgebant Ottonem turbæ Italicæ exercitus in eas regiones traducere, ac proinde ea omnia quæ ad pacem spectabant, in Germania circumspicere necessum erat, quemadmodum reipsa Boleslaus isthic etiam post acceptam a Saracenis cladem Ottonis quietus tranquillusque perstitit. We-

Weleslavin. in Calend. ad 31 Martii. leslavinus quidem e nostris ad diem 31 Martii (in quem anno præsente Pascha inciderat) provocans ad Chronici Mansfeldensis c. 146 & Fabricium scribit: facta reconciliatione Boleslaum non diu in fide ac tranquillitate perstitisse; nam eodem adhuc anno illum per exercitus sui Ducem Vagionem urbem Misniam expugnasse, suoque præsidiario milite per duodecim continuos annos fuisse tutum. Quod plena fiducia am-

Balb. in Epit. p. 131. & Dec. 1. l. 2. p. 67. plexatus est Balbinus, qui insuper addit: ab eo anno *ad centum* facile annos subsequentes Bohemiæ Principes Misniam aut obtinuisse aut amissam repetiisse, donec anno 1073 Wratislaus I. Boh. Rex totam ditionem Misnensem dono ab Imperatore accepisset. Et denique suspicatur: cum posterioribus annis Otto II. nihil hostile adversus Boleslaum egerit, quin imo amicè illo usus sit, verosimillime Misniam jam hoc anno Boleslao donatam & pacifice possidendam relictam fuisse. Sed de urbis Misniæ expugnatione ditionisque hujus invasione silent omnes veteres, nec nobis Chronicon Mansfeldense, nec Fabricius sine auctoritate fontium veteriorum loquens fidem facit, præcipue cum compertum sit utrique passim Chronologiæ exiguam accurationem esse, certum, inquam, sit: hanc ipsam Misniæ invasionem per Wagionem Boleslai militem primum anno 984 sub Ottone III, ut suo loco docebimus, factam fuisse. Istud certius: Hungaros his annis denuo irruptiones & popu-

Apud Hundii, Bernard. Pezium & Hansizium. lationes in Osterrichiam & Noricum auspicatos, ut ostendit diploma Ottonis II, quo S. Wolfgango Ep. Ratisbonensi dat licentiam munimentum condendi in loco Zwisila ad confluentem majoris & minoris Erlaffæ, *ut tutiores ibi coloni ab infestatione Ungarorum manere possint.* An, ut

Hansiz. Germ. sac. T. I. pag. 224. Hansizius scribit, his superiorum annorum irruptionibus Hungarorum facem prætulerint Bohemi, qui ab Ottonis fide defecerant, nec affirmare nec inficiari velim.

AN-

ANNUS 979.

Notavere dudum Episcopus simul atque Princeps tria potissimum flagitiorum capita invaluisse in Bohemia, quæ rem Christianam pessumdarent. Ad eam pernicieni convellendam tres articuli populo in comitiis (a) præconis voce promulgari jussi summo studio servandi. Primum uti dominicis diebus, quos DEus ipse sanctos esse voluit, suus honos esset, nundinationum omnium & mercium exponendarum abusus gravissime esset interdictus, neve quicquam iis diebus fieret, quod eorum sanctitatem fœdaret. Deinde ut connubia palam & legitime coram sacerdote fierent, eaque sancte ac inviolate secundum præscriptas ecclesiæ leges custodirentur. Postea ne busta, neu mortuales inferiæ cujusquam manibus gentilium more fierent, aut in triviis lucisve corpora cremarentur, sepelirenturve, essetque omnibus communis sepulturæ locus Christiano ritu expiatus. (b) Ac nobilitas quidem prompta legi paruit. (c) Longe alia multitudinis facies seditiosis idololatrarum linguis ceu flabellis ad falsam libertatis spem ventilatæ, negantisque fore unquam, ut a susceptæ semel vitæ consuetudine recederet. Ergo pulsa ex animis religione, sacro profanoque imperio conculcato, itum tam licentiose in omne nefas, ut jam Princeps tot malis opprimendis haud parem auctoritatem suam quereretur. Hic supremus flagitiorum aries rursum Episcopum priora sua fulmina in gentem vibrare, ac patria egredi coegit. (d) Romam venienti uti prius palatium summi Pontificis & Divi Alexii cœnobium

In comitiis tres articuli cavendi a Christianis servandi.

Refractaria multitudo populi.

S. Adalbertus secundo Romā transit.

bium patuere. Prioris sententia erat: recte consultum fuisse animæ suæ saluti, quod gentem apostatricem, terramque semen evangelii seu proterve suffocantem, seu respuentem deseruisset. Confirmatus in proposito Episcopus hoc oraculo, relicta Roma, Hierosolymam & ad sepulchrum Christi peregrinationem meditatus est. (c) Sed visitatis quibusque locis sacris, nescio quo fato, ab eo consilio itinereque complendo deturbatus est. Redux itaque Romam cum fratre Gaudentio in cœnobio Divi Alexii haud secus atque ante cœlestem magis quam terrestrem vitam egit. Interea exule Præsule rursum omnis felicitas Bohemia exulabat, fames enim atque pestilentia longe lateque occupabat omnia.

ANNUS JESU CHRISTI 979.

BENEDICTI VII. PAPÆ AN. 5. OTTONIS. M. AN. 7. ET 13.

BOLESLAI II. AN. 13. DITMARI EP. PRAG. 7.

Cruger. in S. Pulveribus p. 320.

(a) Crugerius plane diem horum Comitiorum consignat 25 Januarii præsentis anni. Quanto non Chronologiæ vitio! cum certum sit annis nonnisi 3 posterius primum S. Adalbertum in Cathedram Pragensem evectum?

(b) Omisit Hagecius, ut prior S. Adalberti Biographus loquitur: *detestanda conjugia Clericorum*, & quemadmodum alter queritur - *ipsi Clerici palam ducebant uxores.* Nec vero hoc vitium solius erat Bohemiæ, sed plurimorum regnorum & provinciarum. Concitabat hæc dissolutio Cleri magnas turbas in Anglia, ubi jam anno 970 habitum adversus hanc Clericorum incontinentiam Concilium. Mabillonius de eodem sæculo dicit:

Baron. in Anal. ad an. 970. N. 3. Mabill sæc. V. Bened. in Præf.

cit: *Hoc ſæculo primum audita connubia presbyterorum, quare ſæpius agitata concilia*; quæ lues ipſam infecit Germaniam, in qua repetitæ habitæ ſynodi, Canonesque adverſus hanc peſtem conſtituti, uti ex ſupra allatis Ingelheimenſis Synodi Canonibus liquet. Quin imo jam annis facile 40 prius Leo Papa in Bulla ſua hanc licentiam damnavit, & ex Conciliis Nicæno & Cæſarienſi oſtendit *presbyterum, ſi uxorem duxerit, ab ordine deponendum eſſe.* Peſſima tamen ait ab hoc vitio immunem fuiſſe Eccleſiam cathedralem Pragenſem, conſervatamque per Capitulum baſilicæ Divi Viti. *Apud Hanſiz. T. I. Germ. ſac. p. 192. Peſſima in Vhoſ. ſept. p. 170.*

(*c*) Mox memoratus Crugerius circumſtantias adfert rurſum veterioribus prorſum incognitas, ſcilicet *Wrſſovecios* Proceres abfuiſſe ab his comitiis, *Aprugnæos* vero (hac ætate adhuc minime notos) *ſolos limitationem ſententiæ vultu ſubnubilo* indicaſſe. Ita nempe, cuique, quod in mentem incidit, hiſtoriis noſtris inſerere haud piaculum viſum.

(*d*) Supra allata populi flagitia, quibus elimandis ſe imparem viderat S. Adalbertus, eidem cauſa exſtitere primi ſui diſceſſus ex Bohemia, ut utrque vitæ auctor refert. Potiſſima vero ſecundi diſceſſus cauſa fuit, quod mulierem quandam adulteram capitis damnatam, inque Eccleſia Divi Georgii aſylum quærentem violenter ab ipſo complexu aræ rapuerit nobilitas, ac capitali ſententiæ ſubjecerit, de quo ſuis locis.

(*e*) Hoc iter Hieroſolymitanum S. Adalbertus jam ſub primum ſuum Romam adventum ſuſceperat, non tamen ultra Caſſinum montem & monaſterium Valeluca progreſſus, ut ſuo anno teſtatum faciemus.

PRÆTERMISSA.

Miſeconem Ducem Poloniæ cum Boleslao ceteraque factione partes Henrici Ducis Bavariæ adverſus Ottonem II. amplexatum fuiſſe, jam ad annum 974 ex veteribus Chronographis oſtendimus. Ab eodem tempore de illo altum ſilentium, nec quid egerit, poſteaquam Henricus cum complicibus ſuis in exilium miſſus, Boleslaus autem noſter Ottoni reconciliatus, proditum eſt. Unicus Biographus S. Adalberti, qui ſecundi locum apud Mabillonium & Bollandianos obtinet,

N. 10. præter omnem Chronologiam bellum Polonicum & insignem victoriam Miseconis annunciat his verbis: *Actum est bellum cum Polonianis, Dux eorum Misico arte vicit, humiliata Teutonum magna anima terram lambit, Otto pugnax Marchio laceris vexillis terga vertit.* Quod bellum clademque Ottonis præsente aut superiore anno accidisse multa persuadent. Non enim anno superiore Miseco solemnitati Paschali in Quedlinburg celebratæ cum Boleslao nostro adhuc interfuit, quod merito conjecturæ locum dat, eum necdum Ottoni conciliatum fuisse. Et profecto bellum istud Polonicum iter Ottonis in Italiam, quod anno sequente accidit, præcessisse multis indiciis proditum est. Nam passim Chronographi scribunt, ante hoc iter pacem integre in Germania restitutam fuisse, & alioquin cognitum est: *Ottonem Marchionem* (qui non alius est ac Dux Alemanniæ ac Bavariæ) secutum fuisse Imperatorem in Italiam, unde amplius reversus non est, sed post pugnam Saracenorum Anno 982 ad Lucam in Italia mortuus; ut non commemorem a suprafato Biographo hanc ipsam Miseconis victoriam Saracenico bello præmitti, dicit enim: *Ultimum & lacrymabile bellum confecit* (Otto II.) *cum nudis Saracenis.* Tam claram Miseconis victoriam ignoravere omnes scriptores Poloni, quod oppido ostendit gentem hanc non secus atque nostram his temporibus nullum synchronum historicum chronographumve habuisse, qui adnotasset; ac proinde quidquid posteriores referunt, nisi id seu exterorum memoriis, seu diplomatibus roborent, in re critica fidem nullam facere. Nescio igitur, quid vir magna ceterum nominis & eruditionis fama sibi velit, cum summa animi concitatione in me consurgit, ringiturque, quod Polonis suis scriptoribus bellum inferam. Tyronibus, non veteranis in re historica militibus, bellum istud infero.

ANNUS 980.

Evocatus e cœnobio S. Alexii Adalbertus præsente Pontifice sacris operabatur, acciditque, ut dictis sanctissimis transubstantiationis verbis paulo longius evocata a

sen-

sensibus mente immotus ad aram steterit, & stetisset amplius, ni pertæsus immodicæ moræ Pontifex vellicari admonerique cessantem jussisset. Reddidus sibi, alteram chirothecam episcopalem sibi deesse causatus est, qua impetrata sacrificii reliquum rite explevit. Incusanti deinde Pontifici, quasi vero per somnolentiam rei divinæ indormivisset: Non hæc, sanctissime Pater, respondit, dormitatio, sed verius ecstasis imo longinqua peregrinatio fuit. Scito enim, quinque heri germanos fratres meos Christi causa impiorum gladiis occubuisse, quibus ego inhumatis justa hodie funebria in Bohemia persolvi, & quoniam me vobis vellicari jussis properato opus erat, per eam festinationem manicarum mearum altera in Libicensibus aris neglecta permansit. Superabat prodigium fidem. Itaque missi in Bohemiam, qui rem explorarent, testificationes hominum retulere: eo die, eademque prorsus hora Adalbertum fratribus Libicii parentavisse. (a) Quin rem ipsam confirmavit magis chirothecarum altera ex Bohemia relata, (b) quæ collata cum Romana ejusdem prorsus moduli materiæque fuit. (c) His Romæ vulgatis sicuti Adalberti nomen per omnium ora ferebatur, ita hæc ipsa Pontifici stimulo fuere, ut agnita viri sanctitate reditum in patriam maturandum, denuoque periculum faciendum censeret, num non prioribus feliciores jam evasuri ejus essent conatus in gente ad meliorem frugem reducenda.

S. Adalbertus coram Papa sacris operatur.

Bilocatus in Bohemia justis funebribus fratrum suorum interest.

ANNUS JESU CHRISTI 980.

BENEDICTI VII. AN. 6. OTTONIS II. ANN. 8. ET 14.

BOLESLAI II. AN. 14. DITMARI EP. PRAG. 8.

(*a*) Mirum! Hagecium isthic a Chronologia Cosmæ recessisse, qui cædem hanc anno 995 illigaverat. Et vero non modo uterque Biographus sed & Pulkava & Marignola cædem hanc non multo ante martyrium S. Adalberti (cum in aula Ottonis III. versaretur, reditumque Pragam meditaretur) factam adstruunt. Nihil vero penitus Biographi seu de Missa coram summo Pontifice dicta, seu de chirotheca desiderata, atque ex Bohemia relata mentionis ingerunt.

(*b*) Hæc chirotheca S. Adalberti recensetur in Syllabo reliquiarum Metropolitanæ ecclesiæ Prag. anno 1360 die 18 Augusti sub Wrativogio Decano concinnato his verbis: *Annulus S. Adalberti & chirotheca Pontificalis, quam reliquisse fertur Libicii in fratrum suorum ab Ethnicis odio Christi occisorum exequiis, sacris prodigiose operans.* Quæ verba Syllabi hujus veteris liquido ostendunt narrationem hanc jam sæculo XIV. prorsum roboratam fuisse in gentis nostræ historia. Pulkava, qui eodem tempore vixit ejusdem chirothecæ meminit his verbis: *Unde usque hodie in eadem Ecclesia* (Libicensi) *pro testimonio eadem chirotheca servatur.* Ut itaque, si historia veritate nititur, utramque Roma reportatam, & alteram in Libicensi, alteram in Metropolitana Ecclesia servatam fuisse oportuerit. Libicensis illa postea Vetero-Boleslaviam devenit, quo tempore, incognitum, nam Ven. Chanowskyus: *habetur,* inquit, *chirotheca illa etiamnum Vetero-Boleslaviæ in Bohemia.* Præter has tertiæ meminit Pulkava in cœnobio Brzevnoviensi asservatæ his verbis: *Qui* (S. Adalbertus) *coram suis manibus in eodem monasterio & Ecclesia secundum regularem institutionem quotidie cum fratribus laborabat. In cujus evidentiam chirotheca valde simplicis operis & texturæ facta, in qua laborabat, in eodem monasterio diligenter reservatur pro testimonio.* Magnoaldus, Ziegelbauer & Bon. Pitter hodiedum eam conservari scribunt. Mihi anno superiore, cum archivum compluraque cimelia hujus cœnobii exhiberentur, ostensa non est, exhibitus tamen calceus formæ materiæque ab omnibus hodiernis diversissimæ, quo is Sanctus

Apud Pessinam in Phosph. sept. p. 472.

Pulkava c. 24.

In Vestig. Bob. Pic p. 47.

Ziegelbauer in Hist. Brzev.

Bon. Pitter in S. Gunthero p. 86.

in

in Pontificalibus uſus dicitur. Id ſi certa fide nititur, ingentis ſtaturæ virum S. Adalbertum fuiſſe oportuit.

(c) Hanc univerſam narrationem de celebratione Miſſæ coram ſummo Pontifice, de bilocatione, atque chirotheca Libicii relicta Eruditiſſimi Viri Continuatores Bollandiani in dubium vocant his præcipue difficultatum capitibus innixi: *1mo* hærent: qui res ignota potuerit eſſe Romanis, quorum hiſtoriæ nihil prorſum ea de re referunt? *2do* An utrumque S. Adalberti Biographum contemporaneum, præſertim poſteriorem, minutiora quæque Sancti hujus miracula, resque ſecretiſſimas referentes latere potuerit tam memorabile prodigium totius poſteritatis admirationem concitaturum? *3tio* ajunt: credibile non eſſe in tanto tumultu Libicii excitato S. Adalbertum inter hoſtes ſuos fratrumque perculſores tuto potuiſſe ſacris Pontificalibus operari. Quibus ego porro hoc longe valentius argumentum appono: Narrationem hanc integram minime coram ſummo Pontifice accidere potuiſſe. Nam cum cædes fratrum facta eſt, jam pridem S. Adalbertus Roma abfuit. Poſt diſceſſum enim ſuum Roma cum diutius Moguntiæ in aula Ottonis III. fuiſſet commoratus, & abhinc movens in itinere Bohemiam verſus conſtitutus fuiſſet, eo ipſo tempore hæc cædes fratrum facta eſt, ut ſuo anno oſtendemus. Ut taceam inconcinnam prorſus & ritibus Eccleſiæ adverſam videri integram narrationem, prouti ab Hagecio aliisque paſſim refertur. Scil. quod verbis conſecrationis pronunciatis in ecſtaſin raptus, vellicatusque juſſu Pontificis, cauſatus ſit ſibi deeſſe chirothecam; quaſi tum ea parte Miſſæ, qua tractandum habuit Chriſti corpus, chirotheca opus fuiſſet? Clariſſimi itaque Viri Bollandiani, ne penitus rem omnem, & cumprimis chirothecæ traditionem tamdiu conſervatam evertant, judicant miraculum iſtud ſeu in funere patris ſeu matris accidere potuiſſe, S. Adalberto tum alibi quam Romæ pontificante. Ego vero ex chirothecis hujus Sancti (in quibus omnino olim ſacris operatus erat) venerationis cauſa Libicii & Pragæ conſervatis, omnem eam narrationem poſt duo triave ſæcula enatam merito autumo, quæ demum ſæculo medio XIV jam callum obduxit. Nam certum eſt Dalimilum locupletem alias rerum iſtiusmodi prolatorem (qui initio ſæculi XIV ſcripſit) id adhuc ignoraſſe. Memorat enim lucubrator illius in præfatione narrationem iſtam deeſſe a primis vetuſtiſſimisque Dalimili exemplaribus, atque eam ob cauſam a ſe etiam fuiſſe prætermiſſam, quanquam illam in recentiore quodam exemplari (ſtylo ipſo novitatem prodente) ca-

In Actis SS. ad 23 Aprilis.

piti

piti 31. inſertam deprehenderit. Procul dubio autem ſimul narrationi iſti occaſionem præbuerunt ſeu minus recte intellecti, ſeu nimis indulgenter accepti quique S. Adalberti Biographi, qui cum ſcribunt per cœleſtem quandam viſionem S. Adalberto hanc cædem fratrum fuiſſe oſtenſam, Sanctum cædem hanc *in ſpiritu vidiſſe, ſpiritu adfuiſſe*; poſteriores ad corporalem præſentiam & bilocationem traxerunt. At vero viſionem hanc multo ante cædem factam fuiſſe docet alter Biographus a Mabillonio & Bollandianis editus. Qui ait: *quod vidit de lecto fratrum boc anno completum eſt*, & Coſmas noſter in rhythmica ſua S. Adalberti vita: *Præſulis at ſancti mens præſcia criminis acti.* Primum tamen, qui viſionem hanc ſub miſſa coram Pontifice celebrata S. Adalberto oſtenſam fuiſſe refert (quanquam bilocationis non meminerit) eſt Anonymus ille Biographus, quem Tomo II ineditorum MSS. excuſum dedi. Verba illius ſunt: *S. Adalbertus jam exiſtens in curia omni mane miſſam peregit devote, pax vobis, more Pontificali proferendo, quod cum a cuſtode ſummo Pontifici revelatum fuiſſet, ipſo die cum prædicti quinque fratres occiſi eſſent, Papa ſecrete celebrationi ſuperveniens vidit Adalbertum largiter lacrymantem, & cum poſt miſſam quæreret, cur hoc feciſſet, reſpondit, vidi quinque fratres meos cum cantu Angelico ad gaudia cæli honorifice deportari, & præ nimio gaudio continere non potui.* Ita nempe pedetentim & temporum curſu, adjectis rebus & circumſtantiis, narratio iſta ad eam opinionem, quam hodie paſſim obtinet, veroſimillime excrevit.

Tomo II. MSS. ined. Bob. p. 41.

Eid. p. 58.

PRÆTERMISSA.

Ad eruendum tempus ſtudiorum, quod S. Adalbertus Magdeburgi exegit, eoque abſoluto Pragam rediit, non prætermittendum hoc anno Ottricum Præceptorem illius ab Ottone III in Italiam proficiſcente una aſſumtum fuiſſe, de quo prior Biographus S. Adalberti: *Scholarum magiſter Imperatoris ſervitio adſcriptus*, alter vero: *capella regis magiſtrum tulit.* Cujus tempore cumprimis Magdeburgi academiam floruiſſe idem adſtruit: *Erat magiſter ſcholarum*, inquit, *quidam Philoſophus* (Ottricus) *ſub quo turba juvenum, & liberorum copia multa nimis creſcente ſtudio floruerunt.* Eum vero mox anno ſequente Nonis Octobris Beneventi in Italia mortuum fuiſſe, nullumque *ſibi ſimilem facundia & ſapientia* reliquiſſe prodit Chronicon Magdeburgenſe. Quantum autem hoc Magiſtro profecerit S. Adalbertus, cum alioquin, quod anno

Chron. Magd.

huic

huic adſcribamus, ex legitimis patriis documentis non ſuppetat, ex primo ejus Biographo repetamus: *Toto*, inquit, *tempore ſcholaris ſtudii non æmulatus fuerat facientes iniquitatem, non ſtetit in conſilio eorum, quibus erant inutiles actus, & puerilia negotia: ſed mox ubi longius aliquo poſitus magiſter ei locum præbuit, occultis itineribus ad Sanctorum Martyrum domicilia confugit, ubi ſecundum menſuram temporis orationum vota perſolvens, rurſum ante occurſum magiſtri loco ſuo reſedit. Noctibus quoque ut opus ſuum bonum ab humanis laudibus occultaret, circuit pauperes, debiles, & cæcos, quibus ſecundum modum miſeriarum amica ſolamina præſtat. Verum ne a bonæ operationis ſtudio ceſſaret, pater ejus & optima mater omnia ſufficienter dederunt, quin & magiſtro ſuo aurum & argentum, & quæcunque oculis hominum digniſſima erant, offerentes, cari filii doctrinam magno pretio emerunt. Ille vero indefeſſo curſu ad omne virtutum exercitium ſemetipſum ſemper extendens, inter ſuos collegas pulcherrimus proceſſit. Receſſu magiſtri quando ceteri inanibus ludis & joco laborem legendi minuerunt, ille Davidici nectaris mella deguſtans, ſpirituali riſu ſe ſolatur: quando illi prandentes in angulis ſcholæ, dulcia obſonia magiſtro furantur, ille furtivas orationes dominæ ſuæ mittens, angelicam dapem ſibi mercatur.* Mabill. ſæc. V. Bened. p. 851

Neque ſanctiſſimæ illius ſimplicitatis exemplum, quod idem Biographus in his ſcholis açcidiſſe memorat, conticendum eſt: *Quadam die*, inquit, *dum iret de ſcholis, unus qui erat ſocius itineris, prætereuntem puellam humo proſtravit, de cauſa ludi eum deſuper projecit. Concurrunt ſcholares, & quidnam foret acturus, cum ingenti cachinno exſpectant. Ille autem quia veſtitam virginem tetigit . . . jam ſe nupſiſſe veriſſime credidit. Inde erigens ſe, dein viſa virgine, dedit ſe bene ſimplex puer in amariſſimas lamentationes, atque continuo imbre oculos humectans: Heu me miſerum! inquit, & criminis machinatorem digito monſtrans, hic me nubere fecit.* Ibidem

Quibus author ſubjungit ſummam admirationem, & exſpectationem, quam virtus ejus in omnibus excitabat, deniquè claudit cum laude parentum S. Adalberti: *Quibus vero cognitus erat pater & ejus mirifica mater, non eſt mirum, ajunt, ſi tantus eſt de tantis parentibus ortus: patris juſtitia floret in eo, & maternæ pietatis imago in purpureo pectore vernat.* Ibidem

AN-

ANNUS 981.

S. Adalbertus denuo Romam deserit comitibus 7 Monachis.

Adornata est ex cœnobio S. Alexii inter summam fratrum complorationem S. Adalberti remigratio ad diem XVI Kal. Aprilis anni præsentis, (a) comes viæ erat frater Gaudentius. Altero abscessus die ejusdem cœnobii mŏnachi Benedictus, Matthæus, Isaac, Joannes, Christianus, & Barnabas divino afflati spiritu Abbatem flagitant veniam, ut divinæ messis ergo Adalbertum in Bohemiam sequi liceat; (b) qua impetrata Præsulem Gaudentiumque Viterbii in templo S. Mariani assequuntur. Isthic Adalberto causas suscepti itineris, ac præsertim desiderium, ut ejus vitæ doctrinæque exemplis ad virtutem efformentur, explicant. Hos quidem Præsul optabat prius vitæ institutum in cœnobio Divi Alexii persequi, tamen, quod consilium aliud jam haud supereſſe videret, secum in Bohemiam ire jubet. Continuum orationum meditationumque studium rectius, quam profectionem susceptam ab his octo viris dixeris, in exquirendas frequentandasque per viam ecclesias, tum exercendis piis operibus quantis quantis intentis. Objacet ab Italia in Bohemiam proficiscentibus prope silvam in Tustensi seu Domazlicensi territorio pagus Milaveczium, (c) ad quem mense Junio itineris molestiis fracti appellunt. Isthic in herbido prato altum quiescentes conspicatus loci pastor agrestis scurra de hospitibus ludum facturus pedetentim accedit, repente bubulo cornu in Adalberti dormientis aurem adeo vocaliter buccinat, ut is territus exsilierit, pastorique imprecatus

Multat ad pagum Milaveczi furditate pastorem sibi molestum.

tus æterna ſurditate dignum pronunciaverit. Hac ſimiliter pœna mulctati omnes ii poſtea, quibus per hæc eadem prata libido fuit buccinandi. (d) Quare etiam hodie ejusdem loci magiſtratus pagani, priusquam gregem paſcendum committant, novitium paſtorem monent: neutiquam inflato cornu, ſed flagelli ſonitu pecus concire. Et profecto accidit jam crebrius, ut petulantior quisque ex paſtorum grege aſpernatus recte conſulentium monita, fabulæque loco rem æſtimans, auſum temerarium ſurditate ſempiterna luerit. (e)

At vero Epiſcopus cum comitatu ſuo abhinc Pragam iter proſequens non minori, quam ante, lætitia ac veneratione a Principe exceptus eſt. (f) Rurſum paſtorale ſuum munus auſpicatus Pragenſis Præſul omne ſtudium, conſilium, operamque ad id contulit, ut correctis pravis moribus ad ingenuam bonamque frugem populum revocaret. At fefellit induſtriam eventus, grege ſuo in vetita magis magisque proruente.

ANNUS JESU CHRISTI 981.

BENEDICTI VII. PAPÆ AN. 7. OTTONIS II. AN. 9. ET 15.

BOLESLAI II. AN. 15. DITMARI EPISC. PRAG. 9.

(d) Hunc diem annumque non dubitavit rurſum Lupacius Ephemeridibus & Veleslavinus Calendario ſuo inſerere. Annus ſumme erroneus eſt, annis enim facile 14 ſerius ſecundus reditus Romæ S. Adalberti accidit. Dies, quod ſcio, a nemine Hagecio vetuſtiore proditus.

Apud Bonav. Pitter in vita S. Guntheri p. 170

(b) Codex Trebonensis in vita & Passione quinque Martyrum plane duodecim fratres a S. Adalberto ex hoc cœnobio Romano assumtos memorat. At sunt quique, qui negant ex isto cœnobio tot monachos assumi potuisse, cum a Biographo universim nonnisi octo præter Abbatem & S. Adalbertum referantur Monachi hujus cœnobii, & quidem quatuor Græci sub regula S. Basilii, quatuor latini sub regula S. Benedicti militantes, quorum nomina ibidem recitantur, diversissimaque sunt ab illis, quæ Hagecius prodidit. Sed juvat verba ipsiusmet Biographi audire: *Usus vero sibi* (Adalberto) *maximus erat colloquia quærere spiritualium & seniorum, qui crebro illac pro caritate Abbatis plures confluxerant. Græci, inquam, optimi veniunt, latini similes militarunt: Superioribus quatuor pius Basilius, inferioribus magnus Benedictus Dux sive Rex* (id est Institutor aut Patriarcha) *erat. Inter quos medius incedens DEum sitiens Adalbertus.* Et mox singulorum octo numero fratrum nomina subjungit, scilicet *Gregorii, Nili, Johannis boni, & Strati*, qui ordinis S. Basilii, Græcique erant: demum *Joannis sapientis, Theodori, Joannis innocentis, & Leonis*, qui sub regula Sancti Benedicti militabant. Quo exiguo monachorum numero cognito, contendunt nonnulli nequaquam septem aut plane duodecim comites S. Adalbertum ex cœnobio S. Alexii & Bonifacii sequi potuisse. Verum plures quam recensitos octo in hoc monasterio Romano fuisse cœnobitas, ex priore Biographo luculenter testatum fit, qui de reditu S. Adalberti Romam ad monasterium loquens subjungit: *Dilexerunt eum omnes sed præ omnibus Abbas suus, qui & post se totis cohortibus fratrum præfecerat illum;* scilicet *Priorem* ut hodie dicimus, aut *Nonnum*, ut regula 62 S. Benedicti appellat. Cum autem ex latinis tantum quatuor fuerint secundum superiora dicta, quomodo quaternarius numerus *totæ cohortes* dici possent? Quare alter Biographus ex priore explicandus est, dicendumque (uti revera meditatius legenti rem cognoscere fas est) Biographum alterum nonnisi loqui de octo senioribus, & singulari pietate præditis monachis, qui spiritualis colloquii ergo ad Abbatem confluere solebant. Sed intricatior difficultas oritur, num hi sex supra ab Hagecio nomine relati ex hoc ipso monasterio S. Alexii & disciplina S. Benedicti fuerint? Priores enim quinque iidem sunt nomine, qui passim vocantur *quinque fratres Martyres*, quique in Polonia eremiticam vitam ducentes anno 1004 a latronibus isthic occisi sunt, de quorum virtutibus & morte copiose agit codex Dresdensis Cosmæ, sed nuspiam innuit eos ex societate S. Adalberti fuisse, quemadmodum contra-

Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 868.

Cit. l. p. 859.

trarium etiam refert S. Petrus Damiani ſcriptor ejusdem ſæculi in vita S. Romualdi Abbatis, qui ait duos ex his ſcilicet Joannem & Benedictum ad inſtantiam Boleslai Regis Polonorum & Ottonis III Imp. a S. Romualdo miſſos fuiſſe convertendæ gentis Polonæ cauſa, poſt ſeptennium autem alios acceſſiſſe ad iſtorum duorum requiſitionem ex eadem Sancti Romualdi diſciplina, qui dein ſimul in Polonia a latronibus interfecti fuerint. Multis ſollicitaverat piæ memoriæ Reverendiſſimum D. Bonaventuram Pitter Prælatum ordinis S. Benedicti monaſterii Rayhradenſis in Moravia crebro literarum commercio olim mihi devinctiſſimum, ut difficultatem hanc enodaret. Recepit is mihi ſe id in vita ſua S. Guntheri uberrime præſtiturum. Sed tantæ difficultati ſatisfecit minime. Affert ille omnino tam ex Pulkava noſtro, quam ex Paſſione & vita SS. quinque horum Martyrum, quæ habetur in codice Trebonenſi, luculenta teſtimonia pag. 169 & ſeq. quibus probare nititur hos quinque fratres non modo cum S. Adalberto Roma veniſſe, ſed & eos poſt martyrium in Pruſſia toleratum ex cœnobio Brevnovienſi in Poloniam tranſiiſſe, actaque ibi in eremo vita martyrio fuiſſe affectos, ſed nuſpiam locum tamque manifeſtum teſtimonium S. Petri Damiani elidit, ut merito hic quæſtio nova oriatur, num Pulkavæ & Anonymi Trebonenſis multo poſteriorum auctoritas ſatisfactura ſit critico contra luculentum S. Petri Damiani authoris pene contemporanei teſtimonium? Ego ut in omnibus veterum antilogiis conciliationem, ſi fieri poteſt, tentandam autumo, ita & hic eam fieri poſſe arbitror, ſi dicamus: Hos quinque fratres omnino cum S. Adalberto Roma veniſſe, eos Brzevnovienſis cœnobii primas plantulas fuiſſe, ſed, uti ipſe author ait, amore vitæ eremiticæ Brzevnovium poſtea deſeruiſſe, atque cum eo tempore maxime floruerit S. Romualdus Anachoretarum pater (qui plane converſionem Ruſſorum, Polonorum, & Hungarorum meditatus fuerat) ſe ſe eidem inter complures diverſorum S. Benedicti cœnobiorum fratres ſociaſſe, atque ex his duos primum, dein reliquos ad inſtantiam Boleslai & Ottonis III. a S. Romualdo miſſos fuiſſe. Ibi denique evenire demum potuit, ut etiam ad Gaudentium S. Adalberti fratrem inviſerint, uti narrat Pulkava. Quæ annorum ſequentium deductione magis magisque illuſtrabuntur.

Acta Sanct. T. II. ad diem 7a Febr.

Vita S. Guntheri p. 169.

Pulkava Chron. Boh. c. 26.

(c) Supereſt hodie vicus Milavez in Plſnenſi provincia uno lapide Tuſta disjunctus. Lupacius ad 17 Martii, quo die reditum iſtum ſecundum S. Adalberti conſignavit, ſubjungit: *Exſtat hodieque fons Milave-*

Lupacius ad 17 Martii.

cii cognomento Albertinus, vernacula lingua Wòytieſska certum ægrotantium hominum, qui aut morituri ſi turbidam, aut ſupervicturi putantur, ſi puram ex eodem fonte aquam hauſerint. Boleluzkius præterea mirum quid de pueris fortuito in fontem hunc prolapſis, qui inſtar anatum ſupernataverant, narrat. Porro ſi vera ſunt: in reditu altero S. Adalbertum Milavecium pertigiſſe, is ipſe terminus fuit itineris ſui intra limites Bohemiæ, ultra quem progreſſus amplius non eſt, ſed comperta hic fratrum ſuorum cæde deflexit ad Poloniam.

Boleluzky in Reſa Boh. c. 10 n. 2.

(*d*) Hem novam rurſum imprecationem ad poſteritatem inſontem traductam! indignam prorſum patientia, manſuetudine & ſanctitate Divi Adalberti, quam Hagecius ex vulgi rumuſculis hauſit. Boleluzkius quidem imprecationem iſtam verbis his referens: *DEus det, furdeſcas tu, & omnes qui talia agunt*, non modo provocat ad annum præſentem Hagecii, ſed & ad Æneæ Silvii librum 3 fol. 36. item vitam vernaculam S. Adalberti in poſtilla Vugecii. Sed ſimile quidpiam me unquam in Æneæ Silvio legiſſe haud memini, nec ſcio quis ille liber tertius ſit Æneæ Silvii, cum hiſtoriam ſuam libro unico, & quidem 72 capitibus complexus ſit. Procul dubio autem memoria lapſus eſt Boleluzkius, atque Pontano Æneam Silvium ſubſtituit, nam is idem l. 3. p. 36 editionis Freherianæ in ſua Bohemia Pia imprecationis iſtius meminit. Similiter vita vernacula S. Adalberti in poſtilla Vugecii ætate Hagecii poſterior eſt.

Ibid. p. 239

(*e*) Boleluzkius memorat ſe hæc exploraſſe, ac ætate ſua adhuc metum illum buccinandi non modo in paſtore loci perduraſſe, ſed & viæ ſuæ comites Tuſtenſes Senatores id pluribus narratis exemplis confirmaſſe. At ſane ſi hæc tamen ita ſe habent, nequaquam alicui Divi hujus imprecationi, ſed manui Dei vindici Sanctorum ſuorum contumeliam ulciſcentis (cui ſoli vindicta competit) adſcribenda ſunt.

Boleluzky cit. l.

(*f*) Iſtud utriusque Biographi, Coſmæ omniumque Hagecio veteriorum, qui acta S. Adalberti ſcripſere, relatis adverſum eſt. S. Adalbertus poſt alterum ſuum Roma reditum pedem amplius Pragam non intulit, ſed a limitibus Bohemiæ audita fratrum cæde deflexit ad Boleslaum Polonorum Ducem, ut ſuis annis hæc diſpeſcentur.

PRÆTERMISSA.

I. Non habemus quidem, ut jam supra innui, in veteribus expressum numeris annum, quo S. Adalbertus ex disciplina scholisque Magdeburgensibus Pragam rediit, sed uterque Biographus satis idonea Chronologica indicia posteritati reliquit, unde annum præsentem non modo conjicere, sed tanquam certum vindicare fas est. Et quidem uterque Biographus reditum istum accidisse memorat, postquam Ottricus S. Adalberti Præceptor ad aulam Imperatoris assumptus est, quod anno superiore factum fuisse ostendimus; uterque etiam reditui isti in patriam præponit obitum Adalberti Archiepiscopi Magdeburgensis, qui omnino præsente anno XII Kal. Julii accidit, ut Chronicon Magdeburgicum, Schafnaburgense, & Annalista Saxo testantur. Rediit ille denique vivente adhuc suo utroque parente, quemadmodum his verbis innuit alter Biographus: *Repatriat novo nomine jam adolescens Adalbertus, portat secum dulces sapientiæ liquores, dat caris parentibus visus filius gaudium magnum.* Adeoque ante obitum patris sui, quem hoc ipso anno accidisse infra demonstrabimus, rediit. Et fortassis gravis infirmitas patris ejus stimulo fuit ad reditum istum accelerandum. Sed jam verba ipsa primi Biographi audire libet: *Post hæc magister scholarum* (Ottricus) *Imperatoris servitio adscriptus accessit in regiam curtem. At Archimandrita Adalbertus debitum naturæ persolvens ex hoc pelago ad litora sempiternæ beatitudinis transvolarat. Alumnus autem ille* (Woytieh) *patriam carosque propinquos revisens sub sacræ civitatis Pragæ Episcopo arma Christianæ militiæ militaturus assumsit.* Discordes inter se sunt authores, num ordine aliquo ecclesiastico jam initiatus Pragam redierit S. Adalbertus? uterque Biographus contrarium innuere videtur, cum prior dicat, eum primum *sub sacræ civitatis Pragæ Episcopo* (Ditmaro) *arma Christianæ militiæ assumpsisse*, alter sub reditum ejus non modo simpliciter *adolescentem* vocet, sed & de studiorum Magdeburgi absolutorum tempore loquens dicat: *Hoc toto tempore adeo lascivus erat, ut homo incubat terrenis deliciis.* Contra Cosmas noster *subdiaconum* rediisse scribit, alii *diaconum*, alii nonnisi *minoribus ordinibus* initiatum fuisse volunt, quæ inter meras conjecturas referenda sunt. At quandoquidem uterque Biographus scribit; S. Adalbertum puerulum intercessione B. V. ex mortis faucibus ereptum jam Deo devotum fuisse a parentibus, *ut Clericus fieret*, vix credibile eum tamdiu

Apud Mabill. sec. V. Bened. p. 851.

Cosmas ad an. 969

Cle-

Clericalem ſtatum & uſque ad annum 25*tum* ſuæ ætatis diſtuliſſe. Huc accedit quod prior Biographus de eodem voce populi Bohemi adhuc ante electionem in Epiſcopatum Pragenſem dicat: *Hic* (Adalbertus) *etiam ducatum animarum prudenter adminiſtrat*, quod profecto innuit eum jam ante Epiſcopatum curam animarum ſuſcepiſſe, ac proinde ſacerdotio inſignitum fuiſſe. Ceterum cum alter Biographus dicit, eum toto tempore, quo Magdeburgi commoratus eſt, *laſcivum* fuiſſe, ea verba non ſunt Biographi, ſed ipſiusmet S. Adalberti, qui ex humilitate Abbati ſuo Romæ confeſſus erat ſe talem, laciſcivumque fuiſſe ante Ditmari Epiſcopi Pragenſis mortem, in cujus poſtea oculis *mundanæ illæ artes & ſcientiæ atque Philoſophia ſæcularis*, quas Magdeburgi didicit, nec non juvenilis ille quæſitus decor & vanitas mera laſcivia erant, hanc dein majori perfectione Chriſtiana & religioſarum virtutum expolitione, denique pœnitentiæ operibus, *ſacco cilicio, cinere eleemoſynisque* ut Biographus ait, emendavit.

Apud Mabill. a. l. p. 852

II. Perperam Hagecius, & præter veterum chronologiam Slawnici, qui fuit pater S. Adalberti, mortem duobus annis poſterius conſignat, quæ ad annum præſentem referenda eſt, quo eam Coſmas & Annaliſta Saxo his verbis refert. *Anno Dom. Incarn. DCCCCLXXXI obiit Zlaunik pater Sancti Adalberti: cujus de moribus & vita licet plurima eniteant memoriæ digna, ex quibus tamen ut referamus pauca, cæpta intermittimus noſtra. Erat enim vir lætiſſimus ad omnes facie, in conſiliis ſereniſſimus, vitæ alloquiis blandiſſimus, locuples divitiis quam ſæcularibus tam ſpiritualibus. In domo illius honeſtas fulgebat, & ſincera dilectio, judiciorum rectitudo, & procerum multitudo. In operibus ejus erat legum cognitio, pauperum refectio, mœrentium conſolatio, peregrinorum receptio, viduarum & orphanorum defenſio. Hujus tam inſignis Ducis metropolis fuit Lubic, ſita loco, ubi amnis Cidlina nomen perdit ſuum intrans liberioris aquæ in fluvium Labæ* (id eſt Albis) *Habuit autem ſui Principatus hos terminos: ad occidentalem plagam contra Boemiam rivulum Surna, & caſtrum quod eſt ſitum in monte Oſſeka juxta flumen Mſam. Similiter plagam Auſtralem contra Theutonicos orientales has urbes habuit terminales: Hinou, Dudlebi, Netholici uſque ad mediam ſilvam. Item ſolis ad ortum contra Moraviæ regnum caſtrum ſub ſilva ſitum Lutomis vel uſque ad rivulum Suttava, qui eſt in media ſilva. Item ad aquilonalem plagam contra Poloniam caſtellum Kladſco, ſitum juxta flumen nomine Nizzam. Hic Dux Zlaunik, quamdiu vixit,*

Caſmas & Annaliſta Saxo ad h. a.

fe-

felicitèr vixit. Non minori elogio Slawnicum extollit prior S. Adalberti Biographus.: *In illis finibus*, inquit, *erat vir Slawnic nomine potens in honore & divitiis, amore justitiæ, ac operibus misericordiæ perrarus civis, vir magnus inter terræ ejus habitatores, auro & argento locupletissimus, inter delicias fidus custos divinæ legis, ambulans sollicite juxta præcepta sacerdotum, carus toti populo, sed proprie amicus pauperum.* Quibus similia & majora etiam prædicat alter Biographus. Lupacius in Ephemeridibus & Weleslavinus in Calendario emortualem Slawnici diem ad 18 Martii defigunt, quo fonte ignoro, nec vero legitimo aliquo documento id haurire potuerunt, quandoquidem ex supra narratis liquet eum adhuc vixisse sub reditum S. Adalberti, qui primum post XII Kal. Julii mortemque Archiepiscopi Magdeburgensis accidit. Ex Slawnici verò Principatus geographica descriptione manifestum fit, quidquid Hagecius paulo superioribus annis aliique nostri de Ducatu Curimensi, Ducatusque hujus peculiaribus, ac sui juris Principibus commentati sunt, inter fabulas reponendum esse, hanc universam enim regionem comprehendit intra fines suos Slawnici Principatus, ut proinde jam supra non vane suspicati simus, seriem Ducum istorum non aliunde profluxisse, quam ex uno illo Curimensi Duce, cujus posterius meminit vita SS. Ludmillæ & Wenceslai Christanno auctori passim adscripta. Ceterum de nobilitate summa Slawnici, qua regum tangebat lineam, ut inquit Biographus, jam ad annum 972 egimus. *Apud Mabill. c. l. p. 849.*

ANNUS 982.

Obduraverat, callumque obduxerat in pravis suis consuetudinibus contumax omnisque sacri & profani juris exsibilatrix Bohema gens. Perniciem tantam videns, dolensque religiosissimus antistes operam oleumque perdi capto consilio Principis, commendatisque sacerdotio dominici gregis reliquiis, tertio indomabilem patriam deseruit, tertio urbem Romanam repetiit. (a) Solus assumtus viæ comes

S. Adalbertus tertio deserit Bohemiam.

mes Gaudentius, monachorum manipulus, quem ab Italia secum nuper deportaverat, in Ostrovienſe cœnobium recluſus. (b)

Otto II Româ proficiſcitur.

Eodem anno Otto Rex Germaniæ commendata filio cognomini Saxonia cum conjuge ſua comitatuque univerſæ nobilitatis per Lombardiam Italiamque profectus eſt Romam ibidem Imperiali donatus corona, (c) quod ad tranquillitatem Eccleſiæ totiusque Europæ plurimum fecit.

Accidit autem ſub idem plane tempus, ut Barbarorum multitudo permixtis Græcis Saracenisque navibus in Calabriam appelleret, regionesque finitimas ferro & igne vaſtaret. Tanta Chriſtiani populi vexatio non potuit non ad ultionem accendere Ottonis animum, qui itaque coacto Gallorum, Teutonum, Romanorumque exercitu tantis graſſationibus modum facere conſtituit. (d) Vix ſpeculatus hoſtis Cæſaris adventare copias, audacia ſua fretus proceſſit obviam, manumque conſeruit. Sub pugnæ exordium ſtatim vacillare cohortes Italicæ, ac ſe ſe in fugam conjicere, Saracenis Græcisque omnem vim impetumque in Germanos ceterumque Chriſtianum militem deflectentibus, ac omni parte cædem inferentibus. (e) Amiſſo exercitu Otto lintre ſalutem quærens feliciter in litus maris pertingit, at ſimul infortunate in Græco-Saracenos piratas incidit, quibus ſe quempiam ex Imperatoris Palatinis eſſe perſuadere conatus, ab illisque in navigium recipi flagitavit. At naſuti homunciones ex ſplendore veſtium Cæſarem ſubodorati græco inter ſe ſermone conſtituunt captivum ſuum Conſtantinopolim ſpe largi præmii de-

Ottonis exercitus a Saracenis oeditur.

Otto lintre ſalutem quærens a piratis intercipitur.

por-

portandum esse ignari, eundem hujus linguæ peritum esse. Cœpit Otto in arena consilium, atque ad fraudis aram confugiens, nescio quos thesauros a se in Sicilia relictos garrit, piratasque stimulis urget, illic appellerent, amplumque istud spolium secum raperent. Nulla re magis trahuntur rapaces avarique animi, quam divitiarum fortunarumque spebus: haud aliter piratis hæc dixisse, impetrasse fuit; propius itaque portum Siciliæ navigio suo accedunt. Vigil interea & omnes salutis vias circumspiciens Cæsar forte advertit Siculi portus præsidia excubare, eminusque Episcopum lorica tectum internoscens inclamat, jubetque sermone latio in piratas irruat. Nec mora, egressos navigio prædones nauticos uno impetu cum suis Cesus (hoc enim Episcopo nomen erat) involat, necique datis numero quadraginta piratis, Imperatorem tanto discrimini eripit. (f) Reductus tandem Otto Romam Præsulem amplissimis muneribus immunitatibusque donat. (g)

Ad portum Siciliæ advehitur

ANNUS JESU CHRISTI 982.

BENEDICTI VII. PAPÆ AN. 8. OTTONIS. II. AN. 10. ET 16.

BOLESLAI II. AN. 16. S. ADALBERTI EP. PRAG. 1.

(a) Ad hiatus annorum explendos geminavit Hagecius has Divi Adalberti Romam profectiones; eum nonnisi bis Pragam deseruisse suis annis testatum faciemus.

(*b*) Oſtrovienſe monaſterium a vernacula voce Oſtrow id eſt inſula appellatum, idem erat quod prius Inſulanum, ſeu monaſterium S. Joannis in Inſula nuncupatum. Id poſterius erectum fuiſſe, jam ſupra oſtendimus. Ceterum antequam S. Adalbertus ſecundo Pragam deſeruiſſet, jam cœnobium ejusdem Ordinis Brevnovienſe conditum & monachis impletum fuit, ut ſuo loco in Prætermiſſis oſtendemus.

(*c*) Ex his liquet: quam turbidis fontibus ſua hauſerit Hagecius. Otto II jam anno 980 tranſiit in Italiam, *nec unquam amplius has regiones* (Germaniæ) *inviſit*, inquit Annaliſta Saxo. Imperiali corona Romæ jam ante annos 16 donatus eſt, ut eo anno docuimus. Otto filius ejus, qui poſtea III dictus, primum ante biennium VII Idus Maji natus eodem anno, quo pater ad Italiam profectus eſt, qui igitur duorum triumve menſium puero Saxoniam commendare potuit?

Annal. Saxo ad an. 980
Idem ibid.

(*d*) Aliud principium belli expeditionisque Ottonianæ referunt veteres omnes: Hermannus Contractus & Annaliſta Saxo ajunt: *Otto Imp. Apuliam & Calabriam ad jus regni Græcorum pertinentes transferre ad Imperium Romanum conatur propter affinitatem, quam per uxorem ſuam Theophanu cum Imperatore Græcorum habebat.* Et vero jam anno ſuperiore Ottonem Græcis intuliſſe bellum, proſperisque progreſſibus uſum memorat tam Ditmarus, quam Leo Oſtienſis. Otto itaque ipſe Græcos laceſſere cœpit, illi poſtea in auxilium vocatis Saracenis magna eum clade affecerunt, quæ omnia ſumma brevitate complexus eſt Hepidannus.

Ditmarus l. 3. p. 346.
Leo Oſtienſis l. 2 c. 9 p. 221
Apud Goldaſt. T. I. rer. Alem. ad an. 988

(*e*) Principium pugnæ hujus feliciſſimum cecidiſſe Ottoni cum aliis fere omnibus memorat Ditmarus, cujus verba cit. loco ſunt: *Quos* (Saracenos) *primo infra urbem quandam clauſos effugavit devictos, poſtque eosdem in campo ordinatos, fortiter innumeram ex his multitudinem ſtravit, prorſusque hos ſperavit eſſe ſuperatos.*

(*f*) Longe aliter hæc facta enarrantur ab Hepidanno & Ditmaro, quos compendio referre libet: *Circumfuſus*, inquit Hepidannus, *Otto infinita multitudine, quæ ſe nocte in montibus occuluit, omnes in exercitu ſuo fugati, vel occiſi vel capti ſunt.* Imperator autem cum Ottone Duce Alemanniæ & Bavariæ fugiens eques venit ad litus maris, & in ſalandriam præternavigantem recipi oravit, ſed cum id ei negaretur,

Ditmarus l. c.

in

in alteram Græcam tandem a quodam milite Henrico admissus est, cui se se demum clam prodidit, eum obsecrans, ut se ad urbem Rossan, in qua adventum ejus Regina uxor præstolaretur, deduceret. Præmissus dein est Otto Bavariæ Dux, qui Imperatricem cum Episcopo Thiedrico comitatuque in occursum excivit, admirantibus omnibus Græcis istiusmodi apparatum. In salandriam vero solus Episcopus admissus cum paucis suasit Imperatori, ut vestem mutaret, qua mutata arteque natandi confisus e prora in mare se dejecit, quem in occursum venientes naves suæ excepere securumque præstitere, græcis ob hanc fugam dolumque multum ringentibus.

(g) Leonis Ostiensis solum verba sunt: *Otto pro recolligendo milite ac certamine Romam rediit.* Ceterum cladem hanc rite Hagecius præsenti anno innexuit, de cujus epocha vetustissimi quique discrepant. Gerardus enim in vita S. Udalrici c. 28, Leo Ostiensis l. 2. Chronog. Cassinensis c. 9, Marianus Scotus l. 3, æt. VI. aliique annum primum sequentem consignant. Sed rectius præsentem adnotavit Hermannus Contractus, Schafnaburgensis, & Annalista Saxo, quod diploma Ottonis II. anno 982 Capuæ datum convincit, in quo jam belli hujus inter Ottonem & Saracenos gesti mentio fit. Id ipsum non obscure ex Ditmaro conjicitur, qui scribit audita clade Principes Germaniæ desiderasse convenire Ottoni, eisque tandem placitum indictum Veronæ, utique sequente anno, cum id in Julio celebratum fuisse constet, anno vero præsente III. Idus ejusdem mensis Julii hæc infortunata Ottonis clades acciderit, ut Ditmarus & Schafnaburgensis produnt. Quæ ad stabiliendum annum occupatæ a S. Adalberto cathedræ Pragensis præjicere necessum erat.

Leo Ostens. l. 2 Chron. Cassin. c. 9. p. 221

Apud Mab. T. IV. Annal. Ord. S. Bened. l. 49. n. 14. p. 9

Ditmarus l. 4. p. 347.

PRÆTERMISSA.

I. Ditmari primi Episcopi Pragensis mortem omnes pene posteriores historicos cum Cosma ad annum 969 rejeciisse, eidemque annum unicum episcopatus concessisse, jam superioribus annis ostendimus. At ex infra dicendis testatum fiet, eum revera præsentis anni initio, nonoque suæ Cathedræ Pragensis fatis cessisse; quod quidem manifeste ac præter dubium ex calculo diei eruitur, quem Cosmas, & primus S. Adalberti Biographus electioni successoris Sancti Adalberti præfixe-

Cosmas ad an. 969 runt. Et quidem Cosmas dicit: *Facta est autem hæc electio* (S. Adalbti) *non longe ab urbe Praga Levigradec in oppido XI. Cal. Martii* (id est 19 Februarii) *eodem, quo obiit Diethmarus, tempore & anno.* Biographus vero S. Adalberti ait: *Eodem die Dominico, quando hæc electio facta est.* E quibus manifestum habemus indicium, diem illam 19 Februarii eo anno, quo electus est S. Adalbertus, in dominicam incidisse. Jam certum est ab anno 973, quo erectus est Episcopatus Pragensis, nunquam diem 19 *nam* Februarii (quæ annexam habet ecclesiasticam literam A) in Dominicam incidisse, præterquam anno præsente, quo omnino A litera Dominicalis erat. Certum etiam est, electionem S. Adalberti minime ad annum usque 988 differri posse, quo eadem 19 Februarii rursum in diem Dominicum incidit, cum ex anni sequentis referendis cognituri simus, S. Adalbertum re ipsa anno 983 Veronæ jam ab Imperatore Ottone II baculo & annulo investitum, denique consecratum fuisse. Cum igitur tam Cosmas, quam uterque Biographus mortem Ditmari & electionem S. Adalberti uno eodemque anno evenisse dicant, non restat nisi annum utrique tanquam indubitatum defigere. Miratus sum Clarissimos Viros Bollandianos, qui calculo isto non observato tam mortem Ditmari, quam electionem S. Adalberti anno sequenti 983 illigarunt, quo posterior Episcopus Pragensis consecratus est. Procul dubio eos magnum atque septemdecim mensium inter electionem, & Investituram consecrationemque Sancti Adalberti intervallum ad eum potius defigendum annum induxit. Sed nos legitimas causas suo loco tantæ protractæ moræ proferemus, quibus convincemus, vix possibile fuisse prius tuto Imperatorem accedere, atque ab eo investituram accipere. Atque hæc ipsa causa est, quod passim veteriores electionem S. Adalberti cum Ottonis bello Saracenico conjunxerint, quod omnino hoc ipso anno gestum fuisse, supra in Commentariis nostris in Hagecium lit. *g* ostendimus. Hoc belli Saracenici indicium cum adverteret Annalista Saxo, certoque compertum haberet, hoc anno gestum fuisse, merito Chronologicum errorem Cosmæ correxit, atque quam ob causam id faceret, Lectorem monuit; unicus proinde est inter tot historicos, qui mortem Ditmari, & electionem S. Adalberti præsenti anno rite innexuit; in eo tamen falsus, cum placitum Veronense (nonnisi anno sequente celebratum) geminavit, aliudque præsente, aliud sequente habitum credidit, ac proinde priori placito annoque præsenti consecrationem quoque S. Adalberti adscripsit. Quemadmodum autem emortualis annus Ditmari certus est, ita & diem ipsam ad IV. Nonas Januarii rite consigna-

Apud Mabill. Sæc. V. Bened. p. 852.

Annal. Saxo ad h. a.

Ibid.

ſignavit Coſmas, quam, ut omnes alios vetuſtos conticeam, confirmat Necrologium MS. Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis ſub rubrica menſis *Januarii* his verbis: *IIII. Non. ☉. Detmarus Epiſcopus Pragenſis.* Sed jam, quid Biographus prior de morte Ditmari referat, audire libet: *Nec multo poſt* (ſcil. reditum S. Adalberti) *cepit languor peſſimus eundem Epiſcopum* (Ditmarum) *& deteſtabili fine clauſura vitam venit ei ultima dies. Nam in extremo anhelitu, cum tamen adhuc magna pars animæ ſuperſtes foret, adſtantibus, quorum ille adoleſcens* (Adalbertus) *unus erat, hanc fabellam ægra voce retulit:* „ *Heu mihi! qualis eram, & quantum mutatus ab illo, qualem me nunc eſſe vellem?* „ *Heu miſerum! perdidi dies meos, jam pœnitentiæ fructus nusquam.* „ *Perii! ubi nunc honor meus, & inanes divitiæ? O caro putribilis, &* „ *eſca vermium! ubi nunc gloria & pulchritudo vanitatis tuæ? Decepiſti me, decepiſti fallax ſæculum promittens mihi annoſam ætatem, &* „ *ecce inſperatæ mortis gladio male interemiſti animam meam. Sed meum ſcelus utcunque veniabile erga pium Dominum foret, niſi quod commendatæ plebis ſcelera ad cumulum miſeriarum accedunt. Voluptates enim & deſideria eis pro lege erant: nec probibui furentem, nec prohibere potui ſponte pereuntem populum, qui adhuc hodie nil ſciunt, vel facitunt, extra quod digitus Satanæ in eorum cordibus ſcripſit. Væ mihi! quia filui! Hoc eſt, quod dolet, dolebitque in ævum. Nam ecce diræ mortis victima in infernum recta via proficiſcar, ubi vermes mei non moriuntur, & ignis meus ardebit in æternum & ultra. Sic ait, & citius obdormivit.* Hactenus primus S. Adalberti Biographus. Alter magis etiam mortem Ditmari exaſperat: *Moritur*, inquit, *Boemiæ provinciæ Epiſcopus, & ſicut coram adſtantibus deſperata voce teſtatur, ab nigris ſpiritibus ad tartareum chaos incaute portatur.* His poſterioribus cum primis Biographi verbis minus caute uſus eſt Dlugoſſus Miechovius, aliique eorum ſequaces, ut Ditmarum deſperata ſalute mortuum, *& jam tunc cruciatus gehennales* expertum ſcripſerint. Sed gravis ſcitaque hanc in rem eſt argumentatio doctiſſimi Mabillonii ex Chronico Magdeburgenſi petita, in quo dicitur S. Adalbertus orationes pro anima Ditmari fudiſſe. Verba Mabillonii ſunt: *In hac oratione obſervanda eſt Adalberti pietas in Ditmarum defunctum, quem alter ejusdem Adalberti vitæ ſcriptor* ab nigris ſpiritibus ad tartareum chaos *portatum dicit, idque Adalberto compertum fuiſſe. At certe immerito, quandoquidem Adalbertus ipſe* orationibus diurnis & nocturnis largisque eleemoſynis *ei parentavit, ab his officiis temperaturus, ſi de perpetua ejus damna-*

Apud Mabill. c. l. p. 851 & ſeq.

Ibid. p. 866

Dlugoſſus hiſt. Pol. l. 2 p. 106

Mabill. cit. l. p. 835

damnatione certus fuisset. Istius Anonymi sententia inde orta videtur, quod Ditmarus morti proximus prolixa oratione errata sua (qui mos est hominum etiam piissimorum) exaggeraverit; quod auctores illi nimis crude interpretati sunt. Certe longe aliter de eo sentit Æneas Silvius ex communi Boemorum traditione, apud quem Ditmarus opinione sanctitatis insignis *prædicatur.* Cosmas certe Silvio multo vetustior de Ditmari nostri morte scribit: *Vinculis carnis absolutus talentum sibi creditum Christo reportavit centuplicatum.* Et quis ignorat in historiis complura istiusmodi suppetere exempla, ut viri quique sanctissimi non dissimiles publicas confessiones cum exaggeratione peccatorum maximorum, quæ in illos ne quidem unquam reciderant, fecerint? pœnas etiam infernales sibi debitas professi sint? Scilicet quo altius eorum virtus ascenderat, eo animi submissio illos magis deprimebat, ut se summos peccatores infernique reos confiteri non erubescerent. Quisquis orationem seu Paraphrasim in Psalmum 50 S. Wolfgangi, plane Ditmaro nostro synchroni, legerit, prorsum similes expressiones deprehendet, e quibus tamen nemo tot criminibus S. Wolfgangum obnoxium fuisse, aut salutem desperasse argumentabitur. Jam denique quid mortem Ditmari consecutum fuerit, ex eodem primo Biographo cognoscere libet: *Factus est,* inquit, *planctus magnus super eum, timuerunt autem timore magno, sed præ omnibus adolescens Adalbertus, qui his diebus delicioſus miles erat, quem* (verba jam sunt alterius Biographi) *visionis illius, ut ipse post Abbati in monasterio dixit, magnus horror invasit, & ad primam salutem direxit. Exinde emendare mores, frena ponere animis, desideria carnis igne divini amoris excoquere cœpit.*

Cosmas ad an. 969.

Apud Bern. Pezium T. II p. 1

Apud Mabill. l. p. 852

II. Jam sub mortem ipsam Ditmari complures sententiis suis in S. Adalbertum, ut Ditmaro sufficeretur, collimasse prodit verbis his toties commemoratus Biographus: *Ipsi* (Adalberto) *Episcopatus honorem jam tunc aliqui tacitis promissionibus, nonnulli publico sermone promiserunt.* Quod re ipsa paulo post ad diem XI Kal. Martii in publico conventu compleverunt. Nam *post mortem* (persequitur Biographus) *Episcopi non longe ab urbe Praga* (in oppido Levigradec inquit Cosmas) *factus est conventus desolatæ plebis una cum Principe illius terræ, & fit diligens inquisitio, quem pro illo ponerent. Respondérunt autem omnes uno ore: Et quis alius, nisi indigena noster Adalbertus, cujus actus, nobilitat, divitiæ ac vita cum honore concordant. Hic, quo ipse gradiatur, optime novit, hic etiam ducatum animarum prudenter administrat.*

Ibid.

Quid

Quid vero circa energumenum hoc ipso die evenerit, subjicit idem author: *Eodem die Dominico, quando hæc electio facta est, quidam validissimo dæmone raptus fertur in Ecclesiam, ubi sedes est episcopalis, & cœpit palam confiteri mala sua, quorum sibi conscius erat. Tunc convenerunt ministri dominicalis mensæ orantes pro eo, & sacris verbis inimicum prosequentes. Exclamavit autem per os illius impurissimus dæmon, dicens: "Quid mihi & vobis? venistis detrudere me de hoc ba-„ bitaculo meo? Quid prodest vos jactare inania verba? Ego illum, qui „ sessurus est in ista sede, valde timeo, cumque illum video vel audio, „ non ausus sum stare.„ Et continuo spumans dæmon murmura & borrisona verba ingeminat, & diris dentibus diu infrendens ad ultimum exivit homine sano. Die postero ante ortum solis venit nuncius dicens, quia beri Dominus Adalbertus consensu publico electus est in Episcopum. Concurrunt populus cum Clero glorificantes & gratias agentes Domino, quia volens nolensque nequam spiritus confessus est electionem illius.* Alter Biographus hac ipsa energumeni confessione narrata, subjungit oculati auritique testis testimonium: *Cui rei*, inquit, *illa hora præsens erat. Willico quidam bonus & sapiens clericus testimonium afferebat, & nos legimus, cum ad nostrum Abbatem hoc scriptum filius mandaverat. Ipsum Episcopus Adalbertus suæ Ecclesiæ Præpositum habuit: post super cordis arida flante Spiritu sancto nobilem monachum mons Casinus recepit.* E quibus liquet paulo post mortem S. Adalberti undique auritæ oculataque testimonia ad vitam illius rite sinceresque conscribendam exquisita expetitaque fuisse. At vero S. Adalbertum non eodem præsente anno, sed proxime sequente, atque post septemdecim mensium intervallum primum ad consecrationem pertigisse, ibidem ostendemus. *Ibid. p. 866*

III. Ad annum hunc prætermittendum non est: passim Russicos Annales in præsentem aut præteritum annum rejicere initium Imperii Wladimiri I. Magni Ducis Russorum. Princeps hic aliqua ratione ad memorias patrias spectat, cum plerique ejus gentis historici Poloniique referant, ei tertiam uxorem fuisse Ducis Bohemiæ filiam. Lupacius noster plane duas Bohemas conjuges eidem adscribit. Lomonosovius recens author, qui se historiam suam ex Nestore primisque fontibus hausisse venditat, uxorem hanc *Gorislavam* appellatam fuisse prodit, ex eaque Wladimirum filios *Wyscheslav*, *Isaslav*, *Mstislav*, *Jaroslav*, *Wssewold*, & duas filias genuisse perhibet. Filiane hæc Boleslai Pii, an Sævi, an alterius Ducis Regulive Bohemi fuerit, nihil ex- *Lupacius in Ephemer. ad 15 Julii.* *Lomonosov. in Regim. Rurikı P. II. c. 3.*

exploratum invenio. Boleslai Sævi nonnisi duæ filiæ Milada & Daubrawca historiis nostris cognitæ sunt, Boleslai Pii filiam quandam, quod scio, nemo adhuc in lucem protraxit. Denique propter historiæ seriem non conticendum: Ottonem filium Liudolfi Ducem Bavariæ & Alemanniæ hoc anno in Italia ad Lucam hominem exuisse. Lambertus Schafnaburgensis eum inter cæsos hoc anno in prælio Saracenico numerat; sed ex supra relatis Ditmari liquet, eum cum Imperatore fuga salutem suam redemisse, qui paulo infra scribit: *e prælio Saracenorum reversum immaturæ morte obiisse*, ejus postea ossa ex Italia in Aschaffenburg translata fuisse, memorat Gerardus. Sequente anno filius ejusdem *Henricus minor* exilio liberatus Veronæ in placito ab Imperatore Ottone II. successor patri datus, & præterito Henrico Seniore Dux Bavariæ creatus est.

Lamber. Schaf. ad h. a.

Gerardus in vita S. Udalrici n. 84.

ANNUS 983.

Fugato pastore, nulla prope in furente, maleque sano grege auctoritas; nec tantum roboris Principi, nedum id animi fuit sacerdotibus, quod par esset coërcendæ licentiæ. Ergo ad cetera mala accessit quoque bonorum quotidiana cædes, furtiva illa quidem, & ex occulto, ethnicorum eo prorumpente audacia, ut solitarios modo binos, modo ternos, interdum plures noctu, atque etiam interdiu per domos atque rura jugularent. Nec remedium adferebant malo crebra reorum exilia atque vincula, quamdiu mitis Princeps grassatorum sanguine, quem profundere sibi religioni duxerat, abstinuit. Procerum itaque ac nobilitatis judicio paulo severior induendus erat ei animus, rerumque summum discrimen exposcebat malum malo, cædem cæde vindicare. (a)

Ethnicorum licentia absente S. Adalberto exacuitur.

Quæ

Quæ dum aguntur, Slawnikus Libicenſis Comes, Adalberti pater, præſentium malorum tædio vitam poſuit. (b) Vir, ſi quisquam alius, ſpectatiſſimus inter ſuos, quem innocentia morum juncta cum ſplendore vitæ e Bohemiæ Dynaſtis æquarunt pauci, ſuperavit nemo. Immenſæ illi opes, ſervorumque & nobilium comitatus ingens, & cum opibus felix natorum turba. Tantæ vero felicitati par erat animus, neque unquam fortunæ immodicus, nec ſecurus præſentium, nec futurorum improvidus. Inter ſecunda pariter & adverſa eadem illi ſemper vultus tranquillitas, ac frontis malacia. In omnes comis, & tamen juſtitiæ pertinax. Magnitudini opum non impar liberalitas, & in miſeros quosque beneficentia. Ille annona famelicis, pupillis charitate pater, viduis ope auxilioque vir. Neque illi ex Chriſtiana diſciplina omnibus prodeſſe cupienti deerat, unde largiretur, amplitudine poſſeſſionum in omnem Bohemiam longe lateque excurrente. Ad oppidum caſtrumque Libicium, quod ditionum centrum, ſedesque avita, & natalis domus erat, circumquaque regio eum venerabatur, quæ in occidentem ſolem ad amnem uſque Surzinam, & caſtrum Oſſek ſe protendebat. (c) Verſus Auſtrum ditionis ſuæ fines erant Cheynow, Daudleb & Netolitz, ejusque ſilvæ dimidium. (d) Verſus orientem Litomiſslium, amnisque Suitava, (e) denique verſus ſeptemtrionem Glacium, fluviusque Niſſa Libicenſis Comitatus jura terminavit. (f) Tam late dominanti (g) omnia ab ephebis perpetuo felicitatis tenore fluxerunt. Hoc vero anno dolor, ut nonnulli volunt, ex filiorum cæde enatus vitam

(b) *Slawnici mors, ejus opes, ac ampliſſimæ ditiones.*

ademit. (b) Sepultus Libicii in templo Divæ Virginis, cujus feliciſſimæ migrationis clarum omen fuit ſepulchralis urna, toties ſuaviſſimos odores afflans, quoties anniverſaria dies S. Adalberto ſacra recurreret. (i)

ANNUS JESU CHRISTI 983.

BENEDICTI VII. AN. 9. OTTONIS III. REG. I.

BOLESLAI II. AN. 17. ADALBERTI EP. PRAG. 2.

(a) Pro his incertis, nuſpiamque proditis habuiſſet Hagecius hoc anno veriora, quæ narraret, ſi fontes, coævosque ſcriptores exquirendi induſtria illi fuiſſet.

(b) Mortem Slawnici ad annum 981 ſpectare jam ibidem in Præmiſſis oſtendimus. Ridicule Schwarzius in Petrum Albinum commentans Slawnicum *Ducem Sleswicenſem* facit, deceptus ſcilicet erronea ſcriptione Annaliſtæ Saxonis, qui pro *Slawnik* nomine proprio *Slaswic* refert.

Apud Menken. T. III. p. 835

(c) Amnem hunc Surzina Coſmas Freherianus *rivulum Surmæ*, Codex Dresdenſis & Annaliſta Saxo *Surina* vocat, veroſimillime unus ex illis rivulis ac torrentibus, quorum complures ad plagam iſtam occidentalem ex montanis regionibus decurrunt. Oſſek mons & caſtrum vetus, a quo celebris poſtea in hiſtoria familia nomen traxit, hodierna Oſſeca eſt monaſterium ordinis Ciſtercienſis duabus horis Teplicio disjunctum, prope quod rudera iſtius caſtri hodie ſpectari dicuntur. Caſtrum hoc cum Coſmas dicat allambi a Niſa fluvio, qui hodiernus Bilina eſt, manifeſtum fit, fontes Bilinæ olim alios atque hodie æſtimatos, aut tum rivum, qui hodie caſtrum præterfluit, etiam Niſa dictum fuiſſe.

(d)

(*d*) *Cheynow*, quod Cosmas Freherianus veteri dialecto Slavica *Hinou*, Dresdensis *Chinow* appellat, an hodiernum Cheynow sit in regione Bechinensi prope Tabor, cum aliud ex hac plaga non reperiam, dubium esto. *Daudleb* seu ut vocat Cosmas *Dudlebi*, nuspiam deprehendo. *Daudlebez* Plsnæ vicinum est, nisi fortassis *Duklek* est, quod cum *Netolitz* hodie in eadem regione Prachinensi superstes est.

(*e*) *Litomisslium*, quod Cosmas *Lutomis* & *Lutomisl* vocat, civitas est ab Episcopatu sæculo XIV celebris. *Suitava* quem Codices Cosmæ *Suttavam* & Zwitanam appellant, est hodiernus fluvius Zwittava, qui duobus lapidibus super Litomisslio in confiniis Moraviæ prope civitatem cognominem Zwittau oritur.

(*f*) Cosmas noster dicit: *contra Poloniam* (id est Silesiam) *castrum Kladsko*, quod nomen Slavicum Glazio hodierno erat. E quibus Cosmæ verbis rite cognoscitur, Glazium semper ad Bohemiam, nusquam ad Principatus Silesiæ, seu Poloniæ tum dictæ, spectasse. *Nissa* vero, quem Cosmas Nizzam vocat, fluvius distinctus est a cognomine fluvio Lusatiæ. Ille in Comitatu Glazensi haud procul Mittelvalda ortus supra Brigam se in Oderam exonerat, hic Gerlizium & Pribusium praeterlapsus ad Gubenam eidem Oderæ jungitur.

(*g*) Balbinus de amplitudine Principatus Slawnici loquens subjungit: *Cosmas atque ex eo Hagek tot & tantas Slawnici ditiones enumerant, ut Chronographici Bohemicæ regionis periti asserant (si vera scripsit Cosmas) Slawnicum mediam prope Bohemiam tenuisse.* Cujusmodi admirationem etiam ciet Crugerius, quo simul loco varias conjecturas venatur tot tantarumque fortunarum. Verum si Principatus Slawnici, secundum quatuor orbis plagas a Cosma descriptus, unum continuumque terrarum tractum & nexum complexus fuisset, facile duas tertias Bohemiæ absorbuisset. In accomodo sensu igitur accipiendus Cosmas, qui dynastias secundum quatuor orbis plagas ejusdem Slawnici indicavit, sejunctas scilicet, minime uno filio procurrentes cohærentesve. *Balb. in Epit. p. 142.* *Cruger. in S. Pulv. ad 18 Martii.*

(*h*) Filios Slawnico omnes superstites fuisse, ac nonnisi post tredecim annorum decursum posterius interfectos fuisse, suo loco ostendemus.

(*i*) De Libicio hæc ſubjungit noſter P. Victorinus : Circiter annum 1370 pervenit ad manus Clauſtralium Virginum D. Georgii. Hodie pagus eſt, retinetque pervetuſtam illam Annunciatæ Virginis Eccleſiam, in qua Adalbertum ſin minus baptizatum, oblatum certe devotumque DEO a parentibus fama eſt, & alteram item D. Georgii ab ipſo jam Præſule Adalberto dedicatam. Ceterum corpus Slawnici creditur an. 1216 ab Andrea Epiſcopo Pragenſi una cum oſſibus filiorum in Eccleſiam Divi Georgii Pragam translatum fuiſſe.

PRÆTERMISSA.

I. Hoc & ſequentibus ſæculis Imperatores ſibi Epiſcoporum inveſtituras per annulum & baculum arrogaſſe, ob eamque rem famoſam controverſiam illam Sacerdotium inter & Imperium ſubortam eſſe, quæ diu Chriſtianum orbem vexavit conturbavitque, res omnium ſcriptorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ calamis uberrime expedita eſt. Originem progreſſumque hujus controverſiæ ex coævis ſcriptoribus omnium lucu-
Juretus in notis ad Juonis Carnot. Epiſt. 236. lentiſſime ſinceriſſimeque proſecutus eſt Juretus. Hæc ipſa itaque inveſtitura, cujus legibus & conſuetudini ſe ſe jam ante annos decem Boleslaus noſter cum ſuo primo Epiſcopo Ditmaro ſubmiſerat, cauſa fuit, ut propter abſentiam Ottonis Imperatoris (in extremis Italiæ oris periculoſiſſimo bello cum Græcis Saracenisque impliciti) S. Adalbertus, etſi ſuperiore anno in Februario electus, ad conſecrationem tamen nonniſi præſente anno poſt 17 menſium intervallum pertingere potuerit. Nolim controvertere, fortaſſis jam ſuperiore anno S. Adalbertum cum Bohema legatione ad Imperatorem quoquo demum loco exquirendum miſſum, cum id Pragenſis Eccleſiæ paſtore viduatæ neceſſitas expoſcere videretur; ſed procul dubio illo ex itinere pedem relegit, poſtquam tantam cladem Imperatoris (ut is unus natando vix fere ſalutem redemerit) tantumque terrorem & metum univerſæ Italiæ intellexit. *Et quanquam* ſuperiore anno jam Romam redierit Otto poſt cladem hanc: *id* tamen nonniſi ad breve tempus factum *pro recolligendo milite, ac certamine reſtaurando*, inquit Leo Oſtienſis, cum paulo poſt rurſum in ulteriorem Italiam profectus, ut Saracenorum incurſionibus modum poneret; quo tem-
Hepidannus ad an. 989. pore navalem pontem, ut Hepidannus memorat, architectatus, quo arte & exemplo Darii quondam Perſarum Regis Italiam Siciliæ jungeret; adeo ut nuſpiam Imperatori hoc tempore ſtatio certa fuerit, quem diverſa bellica negotia & expeditiones jam in hanc, jam in alteram regio-

gionem rapuerunt. Suſpirarunt jam ſuperiore quoque anno Germaniæ Principes locum occaſionemque Imperatori congrediendi: ſed & ipſum in annum præſentem dilatum eſt, quod nos Ditmarus his verbis docet: *Omnes noſtri Principes comperta tam miſerabili* (cladis) *fama, conveniunt dolentes, & ut eum ſibi liceret videre, per epiſtolæ portitorem unanimi ſupplicatione poſcebant. Quorum legationem Cæſar ut audivit, deſideranti animo conſenſit. Indicitur in Berna* (Verona) *civitate conventus, & omnis huc convocatur principatus, neceſſaria ut hic tractarentur multa.* Qui itaque conventus in annum præſentem indictus fuit, quo demum eum Veronæ celebratum fuiſſe, idem Ditmarus mox verbis ſubjunctis memorat: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXIII* (ita annum hunc reſtituunt emendatiores Ditmari lectiones in calce T. I. Leibnitii) *Imperator Veronæ placitum habuit*, quem annum etiam refert Annaliſta Saxo, aliique veteres complures Chronologi. Hujus placiti indictio jam veroſimillime anno ſuperiore Germaniæ Principibus facta, quidni Boleslao ac S. Adalberto perſuaſerit, inveſtituram eo uſque differendam eſſe, cum & Imperatoris conveniendi certior occaſio futura eſſet, & ille etiam proprior Germaniæ terris adfuturus? Id certum indubitatumque, quibus quibus demum ex cauſis moræ tantæ injectæ ſint, S. Adalbertum in hoc Veronenſi placito inveſtituram ab Ottone II accepiſſe; id non modo Coſmas noſter, quanquam anno erroneo, ſed & uterque Biographus teſtatur. Prioris verba ſunt, quæ paſſim etiam exſcripſit Coſmas noſter: *Rediens interea de Saracenico bello adiit Veronam Imperatorius apex, ſcilicet Otto ſecundus. . . . . Ad hunc ergo Sclavonica manus perrexit, ferens legationem de parte Ducis, & obtulit electum Epiſcopum* (Adalbertum) *rogans ejus manu popularem confirmari electionem. Non minus Imperator eorum dignæ petitioni adquieſcens, dat ei paſtoralem virgam, & cujus Suffraganeus erat, Moguntino Archipræſuli in Epiſcopum direxit conſecrandum.* Quod in præſentia ipſius Imperatoris factum fuiſſe, prodit alter Biographus his verbis: *Ergo Archimandrita Moguntinus gravis homo Willigiſus Adalberto, cui DEus interiori gratia benedixit, venerabile caput oleo unxit, & in præſentia Imperatoris ad ſacerdotis altitudinem evexit.* Perſequitur vero primus Biographus: *Conſecratus ille feſto amicorum Domini JEſu Petri & Pauli multo comitatu equitat in dulcem patriam. Equus autem, cujus tergo inſederat, non more frementium equorum, nec properis curſibus gradiebatur, neque auro & argento portat fulgentia frena, ſed in ruſticum morem torta cannabe ora ſtrictus inceſſit ad arbitrium ſe-*

Ditmarus l. 3 p. 347.

Ditmarus c. l.

Annal. Saxo ad h. a.

Mabillon. ſæc. V. Bened. p. 852.

Ibid. p. 866.

deu-

Cosmas ad an. 969. *Annalista Saxo ad an. 982.*

dentis. Cosmas noster & Annalista Saxo etiam diem produnt, quo S. Adalbertus ab Imperatore annulo & baculo investitus est, scilicet ad diem *III. Nonas Junii* seu tertiam Junii, quod diei indicium si verum genuinumque est, inter investituram & consecrationem 26 dies intercessere. At in altera diei consignatione, qua Cosmas dicit: *Consecratus autem III. Idus Junii cum suis sequentibus equitat in suam dulcem patriam*, manifestus error est, nam dies hæc videl. 11*ma* Junii neque ad consecrationem, quæ III Kal. Julii scil. festo SS. Apostolorum Petri & Pauli facta est, neque ad discessum suum Verona referri potest, cum primum 29 Junii consecratus fuerit, quem errorem magis magisque exulceravit Annalista Saxo, cum ad eundem diem *III. Idus Junii* seu undecimam Junii S. Adalberti reditum ac ingressum in urbem Pragam conjecit. Quare cum dubium sit, dies *III. Idus Junii* a Cosma consignatus ad consecrationemne, an ad discessum Verona pertineat, si ad consecationem pertinet per *III. Kal. Julii*, si ad discessum, verosimillime per *III. Idus Julii* emendandus erit, adeo ut post consecrationem suam 14 diebus adhuc S. Adalbertus Veronæ cum Imperatore perstiterit. Porro quanquam festum SS. Apostolorum Petri & Pauli præsente anno in Dominicam (qua Anacletus Papa consecrationes Episcoporum fieri præcepit) non inciderit, nihil tamen sinceritati diei ab utroque Biographo proditæ officiet, cum festum tam solemne Dominicæ merito æquiparari possit, aut certo dispensatio Pontificia intercurrerit ob Imperatoris præsentiam.

II. Duo adhuc expedienda sunt, quæ ad iter Italicum S. Adalberti spectant. Et *primo* quidem ex synchronis conjicitur, S. Adalbertum hoc anno ultra Veronam in interiorem Italiam progressum, procul dubio sanctorum quorumque locorum colendorum, aut certe Italiæ urbium spectandarum causa. Nam hoc anno eum Papiæ fuisse memorat Vindricus S. Apri Abbas, ubi S. Majolo Abbati Cluniacensi ac S. Gerardo Episcopo Tullensi forte congressus est, spectatorque fuit aquæ per miraculum in vinum conversæ, de quo suprafatus author hæc refert: *Huic gloriosa instans operi* (S. Gerardus) *Papiam ingreditur, ubi magnificos viros, sanctum scilicet Abbatem Majolum, nec non Adalbertum post Martyrem se reperisse est ineffabiliter collætatus. O quanta fuit inter eos spiritualis exsultatio, quæ superni regis exoptabilis collocutio &c. Alterum* est reunio Episcopatus Moravienſis cum Pragensi, quam S. Adalbertus a legatis Pontificiis & Ottone II. Imperatore denuo impetravit,

Apud Mabill. Sæc. V. Bened. p. 780. & 893.

cu-

cujusquidem reunionis certissima in historiis nostris supersunt vestigia. Et quidem S. Adalbertum non modo Bohemorum, sed etiam Moravorum fuisse Episcopum, constans & unanimis vox est omnium historicorum tam veterum quam recentium; nec uspiam aliquis detectus Episcopus Moraviæ, qui S. Adalberto cathedram Pragensem tenente sedi illi præfuisset; ex quo merito argumentatio ducitur: Moravienſem illum Episcopum, quem ex legitimo Moguntino documento anno 976 Moravis præfuisse ostendimus, interea temporis fuisse demortuum. Stredovskyus noster Episcopi istius Moraviæ (quem pro *Wracen* seu *Wratislao* a Cosma commemorato habet) mortem jam ad annum 981 consignat, cujus verba hic referre libet: *Anno* 981 *Wratislaus, patrio agnomine Wracen, seu Wracek Polessovienſis per Moraviam, & parte quadam per Hungariam Episcopus, posteaquam ex talento sibi credito, fructum Domino reportasset centuplum, fractus labore, quem laudabiliter quinquennio in sua cathedra exegerat, ad æviterna evolavit præmia.* Quibus narratis id unum deest, quod fontem, ex quo hæc hausit, non coronaverit. Quidquid autem sit, hoc annorum confinio mortuum fuisse, illud inprimis persuadet, quod violente sedem episcopalem illi ereptam fuisse vix credibile sit, nisi fortassis in aliam quamcunque a Pontifice aut Imperatore translatus. Jam vero reunionis illius documenta, quæquæ sunt, audiamus: Augustinus Olomucensis cum omnibus scriptoribus, qui historiam sacram profanamve Moraviæ tractarunt, unionis Episcopatus Moraviæ cum Pragensi calculum ducunt a Benedicto VII. & S. Adalberto. Verba Augustini sunt: *Inde vero per Benedictum septimum tempore beati Adalberti Pragensis Archiepiscopi opera Boleslai Pii Ecclesiæ Pragensi annexus* (Episcopatus Moraviæ) *quæ unio nonnaginta duobus annis duravit usque ad Severum Episcopum Pragensem, ac Vratislaum Regem Boemiæ primum, cujus opera annuente Alexandro Pontifice Maximo episcopatus rediit ad Moravos.* Hi nonaginta duo anni a præsente anno 983 numerati plane annum 1074 seu 1075 constituunt, quo tempore reipsa Moravia novum Episcopum Joannem, divisa rursum Moravia a Bohemia, accepit, quem eundem calculum servavit quoque Clar. Assemanus. Et profecto reunio ista necessario præsente aut sequentis anni initio fieri debuit: cum Benedictus VII sequente anno 10 mensis Julii diem supremum obierit. Totum id confirmat Cosmas noster ad annum 1086, quo cum narrasset Gebehardi Episcopi Pragensis querimoniam in Synodo Moguntina, quod Episcopatus Pragensis (qui cum Moraviæ Ducatu ab initio unus & integer constitutus fuisset) pau-

Stredovsky in Sac. Morav. hist. p. 569.

In Serie episc. Olom. p. 279.

Cosmas ad ann. 1086.

paulo ante divisus fuerit, subjungit eundem Gebehardum provocasse ad Privilegium S. Adalberto a Papa Benedicto & Ottone primo (secundo scribere voluit, nam Otto I S. Adalberto & Benedicto VII præmortuus fuit) confirmatum, quod rem in summa luce ponit, reunionem istam anno præsente factam fuisse, cum supra ostenderimus, Moraviam non multo ante suum peculiarem Episcopum Moguntinique Suffraganeum habuisse. Non inconcinna hanc in rem sunt Stredovskii verba: *Morte hujus vita longiore dignissimi Præsulis* (Wracen, seu Wratislai) *Pragensem ad Boleslaum Bohemiæ Moraviæque Ducem delata, confestim novæ cogitationes subintrarunt Principis animum, si quo modo Moraviam, quoad sæcularia suo dominatui jam unitam, posset etiam quoad Diœcesin Pragensi conjungere Episcopatui. . . . . Idcirco ordinata Romam legatione ad Benedictum VII Papam, tum quoque ad Cæsarem Ottonem II. in Italiis commorantem instantissime supplicat, ut de supremæ eorum potestatis plenitudine Moraviensem Ecclesiam cum suis terminis Pragensi subjicerent Pontificio.* Quam legationem quam aliam fuisse dicamus, atque hujus anni, de qua uterque Biographus & Cosmas: *Ad hunc ergo* (Ottonem II.) *Bocmica manus perrexit ferens legationem de parte Ducis*, quæque non modo investituram pro S. Adalberto, sed & ea, quæ ad utilitatem sui Episcopatus erant, petierat, ac impetravit. Nec vero alia causa fuisse videtur, quod sequente aut altero abhinc anno Piligrinus Episcopus Patavienſis, quemadmodum ante synodis ecclesiasticis ad *Tullnam & Mautern* in inferiore hodierna Austria habitis Episcopatus sui fines dimensus est adversus Hungaros, omnesque *sacramentales homines* seu Sacramento ad præstandas decimationes obnoxios consignari fecit, ita id respectu finium Moraviæ, & Episcopatus Pragensis Moraviæ reuniti fecerit. Nam anno 985 reperitur in Conciliis Germaniæ simile plane ecclesiasticum placitum ab eodem Piligrino ad *Mistilpach* (hodie Mistelbach) in ipsis confiniis Moraviæ Episcopatusque Pragensis celebratum, quo constitutis Ecclesiarum terminis promulgatum est *populo Sacramento obligato, ex quibus locis decimatio ad baptismales Ecclesias jure pertinere deberet.* Ex locis vero isthic commemoratis termini Episcopatus Patavienſis, qui hac plaga Pragensem contingebant, recte dignoscuntur, quorum complura adhuc hodie suum vetus nomen paululum mutatum retinent, sunt autem: *Sirnich, Garstin, Sabanich, Strepurch, Rutte, Suamar, Rauvefeswanck, Tunzendorf, Schonbering, Nardin, Agest, Buchnowe, Chengelbach, Piritaschiricha, Newarn &c.* Quod cum ea parte a Patavienſi Episcopo factum sit, vix dubitare licet consilium & consensum

Adal-

Supra ad an. 976.

Stredovsky c. l.

Apud Hansiz. T. I. Germ. sac. p. 226. & seq.

Concilia Ger. T. II. p. 668

Adalberti ad tollendam omnem controverſiam de finibus acceſſiſſe, idemque ex parte Moraviæ ſuſceptum expletumque fuiſſe vel eodem tempore vel paulo poſtea.

III. Hoc ipſo anno Citicenſem Epiſcopatum a Bohemo exercitu vaſtatum fuiſſe, docet nos Annaliſta Saxo, qui anno huic recte, quæ Ditmarus l. 3. conſignaverat, innexuit. Verba autem Ditmari ſunt: *His temporibus* (quibus ſcilicet ingens perſecutio Slavicorum populorum ſeptentrionalium in Chriſti Eccleſias ante menſem Julium cœpit) *Cicenſis Eccleſia a Bohemorum exercitu Dedi* (ſeu Dedone) *duce capta eſt & deprædata, Hugone primo tunc Epiſcopo hinc effugato. Poſteaque monaſterium S. Laurentii Martyris in urbe, quæ Calve dicitur, ſitum deſolantes, noſtros ſicut fugatos cervos inſequebantur. Noſtra enim facinora nobis formidinem, & his ſuggerebant validam mentem.* Leibnitius cumque eo nonnulli recentiores hunc *Dedi* ſeu *Dedonem* faciunt Boleslai Pii, & Bohemici exercitus Ducem; ſed contrarium ex ipſis Ditmari verbis eruitur, qui iſthic vocem *Ducis* non pro archiſtratego, ſed communi ſignificatione accepit, quod ſcilicet facem præluxerit ſeu ducatum Bohemis præſtiterit in invadendo Epiſcopatu Citicenſi, & monaſterio Calve vaſtando; ſic enim ille ipſe ſe poſtea l. 6. p. 388 explicat: *Si te lectorem*, inquit, *audire delectat, unde Dedi fuerit, de tribu quæ Buzici dicitur, & de patre Thiedrico originem duxiſſe accipies. Hic Rigdago Marchioni agnato ſuimet ab infantia ſerviebat, & gemina & cordis & corporis virtute pollebat, & ut prædixi* (ſcil. l. 3.) *Bojemos adverſum nos inſurgentes ad Cicenſem perduxit civitatem. Ubi cum bis vaſtando circumquaque perluſtrans ad ultimum captivam matrem ſuam hoſtis non filius, cum cætera abduxerat præda.* Idem vero Dedi eſt, qui poſtea Comitatum, qui inter Wipperam & Salam & Saltam & Willerlike fluvios jacet, obtinuit, quique Thietburgam Theodorici Ducis & Marchionis filiam uxorem habuit, ut inquit Annaliſta Saxo; quæ ad elucidandam incurſionem hanc in Citicenſem Epiſcopatum præjicienda erant. At neque Ditmarus, neque alius veterior recentiorve uſpiam cauſam detexit, quam ob rem hoc anno Dedi, exercitusque Bohemus Citicenſem & Halberſtadienſem Epiſcopatum invaſerit. Langius æque in ſuo Chronico Citicenſi, præter ſummum errorem Chronologicum, vix aliud de ea irruptione refert, quam quod ex Ditmari commemorato loco hauſit. Ego autem principium & cauſam hujus invaſionis in Ditmari l. 4. p. 359 me in-

Annal. Saxo ad h. a.

Ditmar. l. 3. p. 345.

Annaliſta Saxo ad h. a.

Apud Piſtorii T. I. p. 766.

veniſſe arbitror, præſentemque annum merito defigo, quo Meſico Polonorum Dux mortua Daubrawka Boleslai ſorore *unam ſanctimonialem* (verba ſunt Ditmari) *de monaſterio, quod Calva dicitur, Thiedrici Marchionis filiam*, (Odam nomine) *atque canonica autoritate duxit, . . . quod cunctis*, inquit Ditmarus, *Eccleſiæ rectoribus, & maxime Antiſtiti ſuimet* (Halberſtadienſi) *venerabili Hillibrardo diſplicuit.* Quo loco cum Ditmarus dicat, Odam hanc ſanctimonialem a Miſecone *canonica*, ſeu Pontificia & Eccleſiæ *auctoritate* ductam fuiſſe: procul dubio Thiedricus Marchio & Dedi affinis Odæ (nam ſororem Thietburgam matrimonio junctam habuerat) prius licentiam a Summo Pontifice, quibus quibus demum de cauſis religioſam profeſſionem invalidantibus, quæſivit, ac impetravit; quod cum veroſimillime præter ſcitum Halberſtadienſis Epiſcopi & Conſiſtorii Archiepiſcopalis Magdeburgenſis, cujus membrum etiam Citicenſis Præſul erat, & ad quos cauſæ cognitio pertinebat, factum fuerit, illis res ſumme, ut Ditmarus innuit, *diſplicuit.* Fortaſſis (quod ſuſpicari merito licet) illi nuptiis iſtis moras quasque injecerunt, & nonniſi cauſa prius a ſe cognita & pronunciata ad Odam extradendam e monaſterio conſentire voluerunt, quod Miſeconem ad impatientiam provocavit, ut Boleslaum noſtrum locis his propiorem requiſierit, armata manu ſponſam ſibi a ſede Pontificia conceſſam vindicet. Id cum fecit Boleslaus, exercitumque in has partes miſit, Dedi Odæ affinis militibus ducatum præſtitit. Si quid vero ſiniſterius tam Citicenſi Epiſcopatui, quam Calve monaſterio accidit, id militum impuni licentiæ adſcribendum, a quibus raro inter adverſantes, & hoſtes diſcrimen fieri ſolet. Quæ ſi ita ſe habuere, rationem etiam aliquam reddere fas eſt, cur Dedi matrem ſuam, procul dubio his nuptiis quoque adverſantem, captivam abduxerit. Poſtremo Halberſtadienſem Epiſcopum, Collegasque ſuos matrimonium iſtud ſi non rati habuiſſe, certe non contradixiſſe amplius, haud obſcure innuit Ditmarus cum ſubjungit: *Sed propter ſalutem patriæ, & corroborationem pacis neceſſariæ non venit hoc ad diſſidium* (alius codex emendatius habet *divortium*) *ſed reconciliationis continuæ remedium ſalubre*, ſubnectitque ingentem Odæ laudem ex pietatis ſuæ operibus in hoc matrimonio exercitis, quanquam ipſe ſententia ſua adhuc has nuptias damnaſſe videatur; epiphonematis enim inſtar poſtremo claudit: *Legimus autem, quod fruſtra Dominum placare ſtudeat, qui inceptæ propoſitum nequitiæ omnino non abjiciat.* Sed procul dubio ſufficientes juſtæque Eccleſiæ viſæ cauſæ, cur matrimonium iſtud probaverit. Ceterum cum Ditmarus

Ditmarus l. 4 p. 359.

rus irruptionem istam Bohemorum in Saxoniam Calendis Julii, quo die Brandeburgensis Episcopatus misere a Slavis aquilonaribus hoc anno vastatus fuit, subjungat, manifeste eruitur, totum id ante reditum S. Adalberti ex Italia factum fuisse, qui procul dubio præsens saniora mitioraque tam Boleslao, quam Miseconi consilia dedisset. Hanc itaque ego Citicensis Episcopatus & monasterii Calve hoc anno a Bohemo exercitu invasi causam fuisse autumo, qua in re me maxime id confirmat, quod monasterium hoc Calve expeditionis totius, motuumque bellicorum quasi scopus, finisque fuerit, quo desolato, Ditmari expressio est (Oda scil. abhinc prius educta) omnis hostilis Bohemorum animus cessavit. Non possum proinde assentiri Chronico Mansfeldensi, & Weleslavino nostro, qui immanis illius persecutionis hoc anno a Slavis, præsertim Liuticiis, in Christianas Ecclesias excitatæ Bohemos complices faciunt, atque sociis armis usque Merseburgum in Saxonia, omnia ferro & igne vastasse perhibent. Profecto ab ea impietate longe abfuit & Boleslai Ducis, & Bohemorum omnium probitas, qui hoc ipso tempore secundum suum Episcopum Adalbertum summis lætitiæ, pietatis, venerationisque signis ex Italia reducem acceperunt. Ditmarus vero, & Annalista Saxo, qui persecutionis istius ab initio longissimam historiam texuerunt, ne verbo quidem Bohemorum meminerunt. Utriusque verba sunt: *Gentes, quæ susceptа Christianitate regibus & imperatoribus tributariæ serviebant, superbia Thiedrici Ducis aggravatæ præsumtione unanimi arma commoverant. Illo tempore Principes Winnulorum erant Mistvi* (Abodritorum Dux, quem perperam cum Chronographo Mansfeldensi complures Meficonem Polonorum Ducem fecerunt) *& Wizzidrog, quorum ductu seditio inflammata est. His Ducibus Slavi rebellantes totam primo Nordalbiam ferro & igne depopulati sunt, deinde reliquam peragrantes Slavoniam omnes Ecclesias incenderunt, & ad solum usque diruerunt, sacerdotes autem & reliquos Ecclesiarum ministros variis suppliciis enecantes nullum Christianitatis vestigium trans Albiam reliquerunt.* Dein narrant: seditionem exortam in Havelburch, ubi præsidium ceciderunt, & cathedram Episcopalem destruxerunt. Post tres dies conversum impetum in Brandeburg, ubi extractum Dodilonem II. Episcopum e tumulo indumentis spoliarunt, omnem thesaurum Ecclesiæ eripuerunt, plurimorumque Christianorum sanguinem fuderunt. Ad Albis ostia Mistvi Ducem Hammaburch incendisse, ac vastasse, innumeros per Hammaburgensem diœcesim pecudum more obtruncasse. Postremum vastatis omnibus urbibus

Chron. Mansfeldense c. 149. Weleslavinus in Calend. ad 29 Julii.

Ditmarus l. 8 p. 345 Annalista Saxo ad h. a.

& villis, Slavicorum peditum & equitum plusquam 30 legiones venisse usque ad fluvium Tongeram (Tangera hodiernus est, ad Tangermunde in Albim influens) ubi a Thiedrico ope Episcoporum, Ducum, Comitumque Saxoniæ ad internecionem pene deleti sunt. E quibus omnibus liquet: Sclavos hos ne quidem ultra Albim progressos, ac proinde Bohemos se se minime illis sociasse. Hæc autem omnia facta sunt vivente adhuc Ottone II., utpote qui tragœdiis his auditis Theodoricum Marchionem etsi victorem exauctoravit, atque Lothario de Waldbike marcam concessit, procul dubio ut Slavorum animos mitigaret, qui turbas has ob tyrannidem Theodorici occeperant. Non multo vero post Romæ mortuus est, nam ut Ditmarus refert: *cum Romam veniret, graviter infirmatus VII. Idus Decembris ex hac luce subtractus est. Filius vero ejus* (Otto III agens quartum ætatis annum) *in die proximo Natalis Domini a Joanne Archiepiscopo Ravennate, & a Willigiso Magociacense in Regem consecratur Aquisgrani, & completo hoc officio mox legatus tristi nuntio* (scil. morte patris) *tanta perturbans gaudia advenit.* Inquit Ditmarus.

ANNUS 984.

S. Adalbertus ab Imperatore Aquisgranum adducitur.

Otto Imperator sub tempus carnisprivii Roma movens secum Adalbertum Aquisgranum adduxit. Præter ceteros ea in urbe honores etiam hoc famæ exploratæque Viri virtuti datum, ut præsentibus compluribus Germaniæ, Italiæque Episcopis, & ipso adstante loci Archiepiscopo (cujus id muneris erat) publicum Paschale officium obire, denique ejusdem conscientiæ arbitrum agere sit rogatus. Utrumque ea integritate, tantoque pietatis ardore ab Adalberto præstitum, ut festinantem ad suos in Bohemiam orarit Otto, ne Imperii, neve familiæ suæ obliviscere-

retur, velletque pro se apud DEum deprecator esse; (a) neque vero dimissus prius, quam promisisset, sumturum omnem illum Pontificalem ornatum, quo in Cæsaris sacris usus esset. Hæc Pontificia indumenta ad hodiernum diem custodit Pragensis Ecclesia, quique ea statis temporibus populo ostendere curam habent, vulgo paramenta S. Adalberti appellant. (b) Abeuntem Adalbertum paulo post consecutus Imperatorius reditus Romam, ubi VII. Iduum Septembris, relicto cognomine filio, Deo naturæque cessit. (c) Adalbertus vero religionis causa pervagatis pluribus regionibus, locisque sacris, plenus præceptorum divinorum de vita sancte exigenda, exornando virtutibus spiritui impense vacabat. (d)

Donatur paramentis Pontificalibus, in quibus coram Imp. sacris operatus est.

Otto II Romæ moritur.

ANNUS JESU CHRISTI 984.

JOANNIS XIV. PAPÆ AN. 1. OTTONIS III. REG. 2.

BOLESLAI II. AN. 18. S. ADALBERTI EP. PRAG. 3.

(a) Hanc omnem anni præsentis historiam Hagecius ex Cosma hausit, errantemque secutus. Nam neque Otto II. (quemadmodum eum Cosmas nomine refert) amplius vixit, nec is ad Germaniam ultra rediit. Imo nec istud quidem admitti potest, quod vult Cosmas: S. Adalbertum Ottoni II. *familiarem & obsequiis carum fuisse*, cui fortassis primum in investitura sua innotuit. Id totum multo serius Cosmas Ottoni III adscribere debuit, cui omnino familiarissimus erat, quem Roma in Germaniam secutus, & in cujus aula multo tempore versatus. Sed id primum post annos duodecim contigit, ut ad annum 996 dicemus. Hic Cosmæ locus in majorem errorem induxit Fabricium, qui plane ridicule Ottonem anno ætatis suæ XI. Aquisgrani a S. Adal-

Cosmas ad h. a.

Fabric. l. 2. ver. memor. Sax.

S. Adalberto Regem unctum ſcribit, cum Coſmæ ſolum verba ſint: *in palatio coram omnibus Epiſcopis hac eum officii celſitudine ſublimavit, quo ſibi coronam imponeret, & majorem miſſam cantaret, quod ſolum fas erat, ut Archiepiſcopus faceret.*

(*b*) Similia habet quoque Coſmas; ſed recte Catalogus reliquiarum Metropolitanæ Eccleſiæ perhibet, hæc paramenta ab Ottone III. Sancto Adalberto fuiſſe donata: *Habentur* (verba ſunt Catalogi) *etiam Infula ipſius* (S. Adalberti) *Pontificalis, caſula punicei coloris auro intertexta, quam perhibent ab Ottone III. Imperatore ei fuiſſe dono datam.*

Apud Peſſinam in Phoſph. ſept. p. 507. ad 23. April.

(*c*) Ottonem II jam anno ſuperiore non quidem in Septembri ſed Decembri fuiſſe mortuum, jam ſupra docuimus, qui emortualis annus extra omnem controverſiam eſt.

(*d*) S. Adalbertum hoc anno Moraviam, Ungariæque eam plagam, quæ ſuæ diœceſis erat, adiiſſe, epiſcopalibusque iſthic functum muneribus in Prætermiſſis oſtendemus.

PRÆTERMISSA.

I. Demortuo ſub exitum anni prioris Ottone II rurſum in ſcenam prodiit Henricus (filius Henrici fratris Ottonis M.) Dux Bavariæ pridem Ducatu ſuo exutus, quosque antea partium ſuarum ſtudioſos habuit, ſcil. Boleslaum Bohemiæ, & Miſeconem Poloniæ Duces, hos rurſum præſente anno cauſæ ſuæ patronos invenit; quæ omnia fideliter a Ditmaro enarrata accepimus, quæque rite Annaliſta Saxo huic anno illigavit. Et quidem ſolutus e cuſtodia ſua Trajectenſi Henricus (quo loco Popponi urbis hujus Epiſcopo ſervandus traditus fuerat) recta Agrippinam cum eodem Epiſcopo & Ecberto Comite profectus tenellum Regem Ottonem III, qui a patre Warino Archiepiſcopo Colonienſi nutriendus commiſſus fuerat, vi extorſit, cauſatus ſibi tanquam agnato proximo tutelam, educationisque curam Regii pueri competere, quemadmodum & ejusmodi prætextu Adelheidem ſororem Ottonis III. Hallis abduxit. Interea hoc unum meditatus, ut exauctorato Rege puero, regiam dignitatem in ſe, domumque ſuam transferret, aut ſaltem quod Gerbertus coævus in epiſtola ad Imizam innuit, *more Græcorum*

Ditmarus l. 4. p. 348 Annaliſta Saxo ad h. a.

Gerbertus in epiſt. n. 26.

rum Ottonis III ſocius in Imperio renunciaretur. Indicto itaque Magdeburgi die Palmarum conventu, omnes regionis Principes adeſſe monuit, multis hic ſpebus eos lactans, præmiisque ſollicitans, ut ſibi regnum deferrent; rem denique eo perduxit, ut Paſchatis die Guedlinburgi Rex proclamaretur; regem tamen ſe ungi paſſus non eſt, quod jam multo ante Reginoburgi ab Abrahamo Epiſcopo Friſingenſi unctus & coronatus fuiſſet. Minus recte igitur Annaliſta Saxo aliam minus veram cauſam prætexuit, quod metu factionis adverſæ hac unctione & coronatione abſtinuerit. Adfuit vero conventui iſti ac proclamationi tam Boleslaus noſter, quam Miſeco, nec non Miſtvi Obodritorum Dux ut his verbis teſtatur Ditmarus: *Huic Miſeco & Miſtui, & Boleslaus Duces cum ceteris ineffabilibus confluebant, auxilium ſibi deinceps ut Regi & Domino cum juramentis affirmantes.* At ut ut partium ſuarum fautores plurimos habuit, tamen complures ex Germaniæ Principibus & Epiſcopis adverſarios expertus, quorum præcipuis ſummum viſum piaculum datam ſemel Ottoni fidem juramentumque frangere. Quare iidem denuo Sacramento electionem Ottonis confirmarunt, ſe ſeque palam hoſtes Henrici, complicumque ejus declararunt. Multum quidem conatus eſt Henricus quosque partibus ſuis adjungere, ſed operam perdidit. Nam & conventus ad Wiſſenſtadium cum Williſo Archiepiſcopo Moguntino, & Conrado Suevorum Duce hunc in finem ſuſceptus minus ei ex ſententia cecidit, in quo ad III. Cal. Julii Henrico præfixus terminus, quo ad Raram puerum Regem extraderet, quod ipſum polliceri, ac juramento firmare compulſus eſt. Effugiturus tamen ille ea, quæ hic pollicitus, ad Boleslaum noſtrum ſe convertit, qui eum cum exercitu in Saxoniam comitatus armata manu Miſniam obſedit cepitque. Rem denuo his verbis narrat Ditmarus: *Poſthæc Henricus Bezlavum* (Bolislaum) *Ducem Bojemorum in cunctis ſuimet neceſſitatibus ſemper paratum cum ſuis adiit, honorificeque ab eo ſuſceptus cum exercitu ejusdem a finibus ſuis per Niſeni & Deleminci* (ſcil. Budiſſin & Miſniam) *pagos uſque ad Mogelini ducitur. Deindeque cum noſtris obviam ſibi pergentibus ad Medeburum proficiſcitur. Wagio vero miles Boleslai Ducis Bojemorum, qui Henricum cum exercitu comitabatur, cum ad Miſni redeundo perveniret, cum habitatoribus ejusdem pauca locutus, Fridericum Rigdagi Marchionis, tunc in Merſeburg commorantis, amicum & ſatellitem ad Eccleſiam extra urbem poſitam venire, ac cum eo loqui per internuntium poſtulat. Hic ut egreditur, porta poſt eum clauditur, & Rigdagus ejusdem civitatis cuſtos & inclytus miles juxta fluvium,*

Annaliſta Saxo ad eundem an.

Ditmarus c. l.

Ditmarus c. l. p. 348.

vium, qui Tribuſa dicitur, ab his doloſe occiditur. Urbe autem prædicta Bolizlai mox præſidio munita, eundem cito dominum, & habitatorem ſuſcepit. A quo Volcoldus Antiſtes vulgi inſtinctu varii expellitur, & ad Willigiſum Archiantiſtitem veniens benigne ab eodem ſuſcipitur. Sed quid porro factum ſit, perſequamur: Interea temporis fautores omnes Ottonis numeroſo milite coacto Wilhelmum Comitem Henrici familiarem aggreſſi ſunt, & in Wimari obſederunt; ſed cum comperiſſent, Henricum Magdeburgum adveniſſe, omnem vim in eum transferunt, factaque obſidione eo perpellunt, ut denuo per Giſilerum Magdeburgenſem Archiepiſcopum jurejurando eis promitteret, ſe ſe ad Raram Regium puerum extraditurum, nec in Saxonia alias civitates, præter Merſeburg, Walbizi, & Fraſu retenturum. Qua conventione utrinque rati habita, permiſſum ei eſt libere Merſeburgum, ubi uxor ejus *Giſela longo triſtis ſedebat abſceſſu*, concedere. Denique ad Raram matri ſuæ & aviæ Imperatricibus extraditus Regius puer, *Heiconis Comitis magiſterio commiſſus eſt. Inter Regem* (Ottonem III.) *& Ducem* (Henricum) *pax firmatur uſque ad ſupranemorata Weſenſtat prata utrisque ſua petentibus.* Id ante diem 16 Octobris factum non fuiſſe, oſtendit Pagius ex Anonymo Adalberonis Epiſcopi Metenſis Biographo. Quod ad Boleslaum noſtrum attinet, certum eſt, non obſtante hac conciliatione Ottonem inter & Henricum facta, illum hoc anno militem ſuum præſidiarum ex urbe Miſnia non retraxiſſe. Sed neſcio, quid rurſum ad hunc annum ſomniet Goldaſtus ad Fabricium & Calviſium provocans, cujus verba ſunt: *Poſt patris obitum Otto III. Imperator* (imo puer Rex) *in Bohemos rebelles exercitum movet, Meſiconemque Ducem ad obedientiam redigit.* De quo ſilent veteres omnes.

Pagius in crit. Bar. ad h. a.

Goldaſtus de Reg. Bob. l. 2 c. 3.

II. Magna hucuſque inter hiſtoricos fuit controverſia, quo anno, & a quo S. Stephanus Rex Hungariæ baptizatus ſit. Alii enim hoc præſens annorum confinium, alii ſæculi hujus finem Baptiſmo iſti deſixerunt. Alii cum veterioribus nonnullis eum Brunoni cuidam Epiſcopo, alii S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo attribuerunt. Annum infra definiemus, veroſimillimumque præſentem eſſe defigemus; nunc prius, quisnam baptiſmum S. Stephano contulerit, enodare licet. Nolumus concertationem illam de Brunone (quis, qui, & cujus loci Epiſcopus fuerit, omnia incerta ſunt) refricare, quandoquidem Clariſſimus Hanſizius argu-

Hanſiz. Germ. ſac. pag. 208. & 227.

argumentum istud penitus exhausit, cuique doctissimi Viri Bollandiani, Assemanus, Georgius Pray, aliique complures utroque pollice subscripserunt. Horum unanimis sententia est, nemini ex tribus Brunonibus, qui circa hanc ætatem floruerunt, baptismum istum posse concedi, ac proinde merito Chartuitio Episcopo Hungaro, qui sæculo XI exeunte jussu Colomanni Hungariæ Regis vitam S. Stephani scripsit, integram fidem præstandam esse, cum eum a S. Adalberto Pragensi Episcopo aquis baptismalibus ablutum fuisse posteritati notum fecit. Et vero hanc non unius Chartuitii, sed omnium Hungarorum communem fuisse sententiam traditionemque, docet nos Albericus Monachus Trium Fontium, qui *Albericus ad* postquam Sigeberti Gemblacensis locum exscripsisset, quo is dicit: in- *an.* 1010. stantia Gislæ sororis Imperatoris Stephanum cum gente Hungarorum conversum & baptizatum fuisse, subjungit: *Tamen dicunt Hungari, quod S. Adalbertus Pragensis Episcopus Regem Stephanum ad fidem convertit, & baptizavit, & ipse Rex sua prædicatione Hungaros convertit, & majorem Ecclesiam Strigonii in honorem S. Adalberti instituit*, quod idem Pulkava noster hucusque ineditus asserit. Scilicet quemadmodum cum Geiza S. Stephani patre factum, quod ejus baptismum a Slavico Episcopo collatum Germani vicini scriptores præterierint: ita plane cum baptismo S. Stephani accidit, quem si quis Germanorum Episcoporum impertiisset, procul dubio buccinis annunciatum haberemus. Hanc gloriam tamen ut Slavis posteriores eriperent, meritum hoc Geislæ suæ, uxorique S. Stephani tribuerunt, cum multo ante has nuptias & patrem Geizam & ipsum S. Stephanum baptizatum fuisse, coævis monumentis testatum sit. Non negamus quidem, neutrum S. Adalberti Biographum expressam mentionem hujus baptismi fecisse: attamen alter id sat claris verbis innuit, cum scribit: *Non tacendum, quod juxta po-* *Apud Mabill. sitis Ungaris nunc nuntios suos misit, nunc seipsum obtulit: quibus etiam* *sæc. V. Bened.* *ab errore suo parum mutatis umbram Christianitatis impressit*, cum post- *p.* 867. ea etiam memorat, S. Adalberto cum Geiza & uxore illius familiare prorsus literarum commercium intercessisse. Jam ut ad annum tem- *Ibid. p.* 869 pusque baptismi transeamus: sententiæ scriptorum Hungariæ quatuordecim inter se annis discrepant. Clarissimus Hanszius rursum memoriis Chartuitii critice usus ita commentatur: *Baptizatus est* (Stephanus) *ab* *Hanszius cit. l.* *Adalberto Pragensi Antistite. Rem gestam narrat Chartuitius, annum non exprimit. Certum est id non factum ante annum* 983. *Nam eo primum anno Adalbertus in Episcopum consecratus est apud Urbem Veronam Festo Apostolorum Petri & Pauli Imperatore Ottone secundo præ-*

ſente. Ex narratione tamen Chartuitii conſtabit id ultra annum 984 *differri vix poſſe. Nam Adalbertus ſub ipſum tempus nativitatis Stephani advenit. Porro Stephanus vivente adhuc patre in ſolium impoſitus eſt, poſtquam, ut ille ſcribit,* jam pueritiæ exceſſiſſet metas. *Obiit inde Geiſa anno* 997, *quo Stephanus jam erat* adoleſcens, *ut ibidem dicitur. Hæc obſervatio nos coegit baptiſmum Stephani annis aliquot ante Baronium collocare, nempe ad annum circiter nongenteſimum octogeſimum tertium, quo Adalbertus ſedere cæpit, aut certe ſequentem. Secus enim haud intelligi poteſt, quemadmodum vivente patre pueritiæ metas exceſſerit, aut adoleſcentiam Stephanus attigerit. Ab anno itaque* 983 *vel ſequenti ducendo calculum uſque ad annum obitus Geiſæ* 997 *modus tandem aliquis apparet conficiendi annos quatuordecim ætatis ſaltem incompletos.* Hactenus Hanſizius, cujus calculum etiam Aſſemanus & Georgius Pray ſecuti. Eruditiſſimus Stiltingus in Commentario prævio ad vitam Sancti Stephani Regis non dubitat aſſerere, hoc ipſo præſente anno 984 S. Stephanum baptizatum fuiſſe, qui annus indubie pene ex ipſiusmet diplomate anno 1001 dato eruatur. Quem proinde annum & nos merito amplectimur, maxime, quod vix credibile ſit, S. Adalbertum anno ſuperiore (quo vix ante menſem Septembrem ex Italia Pragam rediit, negotiisque Epiſcopatus ſui in ordinem redigendis ſat ſuperque diſtentus fuit) ſpontaneum iter, quemadmodum Chartuitius innuit, in Hungariam ſuſcepiſſe. Quibus jam præmiſſis Chartuitium audire libet baptiſmi iſtius circumſtantias referentem, quas demum ex aliis veteribus æque, ac noſtris illuſtrabimus. Et quidem poſtquam præmiſiſſet viſionem cœlitus Geizæ factam, qua ipſi naſcituri filii prærogativæ felicitatesque prædictæ, ac præceptum, ut *hominem ſpirituali legatione apud ſe functurum honorifice exciperet, exceptum reverenter haberet, ejus adhortationibus ſincerum pii pectoris aſſenſum adhiberet*, ſunjungit: *Experrectus Princeps ſtupens adviſionem, prius ſecum, deinde cum Chriſtianis & ſuis hominibus pertractans humi totus proſtratus, expanſis manibus humiliter gratias agit Deo, ſeque Principatumque ſuum cum filio naſcituro curæ illius, qui non dormit, neque dormitat, lacrymabundus commendat. Admirante autem eo de viro divinitus ipſi prædicto; nuntiatur illi beatum Adalbertum Bohemenſis Eccleſiæ Antiſtitem ad ipſum venire, ad Chriſtianam religionem, fidemque non ficiam eum traducere, & ob fidei profectum domino laudis hoſtiam immolare cupientem. Is nuncius* (Papatem Radlam fuiſſe infra oſtendemus) *novis Chriſti tironibus ineffabilem attulit lætitiam. Dux procedit obviam ſervo Chriſti,*

Acta SS. ad 2 Septemb.

Schwandtner ſcript. rer. Hung. T. I. p. 414.

Ibid. p. 415.

cum

cum fidelibus quibusque honorifice eum excipit, & ut in visione erat admonitus, modis omnibus se obedientiæ filium fore demonstrat. Deinde jubente ipso fit ubique congregatio indomitæ gentis, per sanctum Episcopum fiunt conciones, ejus adhortationibus mox illi convertuntur & baptisantur, multis locis Ecclesiæ conduntur. . . . Subdit tandem alteram divinam visionem Geisæ uxori per S. Stephanum Levitam de eodem nascituro filio factam, clauditque: *Nascitur itaque ut prædictum erat, filius Principi, notus Domino secundum Prophetam priusquam in utero conciperetur, & per Stephanum Proto-Martyrem a Domino appellatus ante, quam natus. Eum vero beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptisavit, & nomen Stephani ei impositum est. . . . . Oppido quidem Strigoniensi natus est, & illic quoque puer præceptis Grammatices ad plenum imbutus est.* Thuroczius unus e primis Hungariæ scriptoribus postquam præjecisset *Geychan* (ita Geisam appellat) divino præmonitum oraculo desiderium suum Regibus & Principibus Christianis annunciasse, quod Hungarorum gentem Christo initiari optaret, subjungit: *Intravit ergo primo Deodatus de comitibus sancti Severini de Apulia, qui fundator exstitit monasterii de Tata & parator. Iste etiam cum S. Adalberto Pragensi Episcopo sanctum Regem Stephanum baptizavit. Deodatum* istum seu *Tata* haud alium fuisse a *Papate Radla* educatore S. Adalberti, ejus spirituali patre, consiliario, individuoque domi forisque comite, qui idem postea suscepto Divi Benedicti ordine *Anastasius & Astricus* dictus est, ad annum 990 in Commentariis nostris in Hagecium lit. *e* ex compluribus veterum indiciis ostendemus. Hic cum hoc ipso tempore *Clericus* seu ecclesiastici ordinis fuisse a Biographo S. Adalberti tradatur, procul dubio idem nuncius fuit, quem S. Adalbertus in Hungariam ad Geisam præmisit adventum suum annunciatum, & catechumenos ad baptismum præparatum. Is cum S. Adalberto in baptizando Stephano pro muneris sui ratione adstiterit, partesque patrini tuitus simul sit, hinc verosimillime iis traditionum reliquiis ad Thuroczium usque conservatis occasionem præbuit, ut *cum S. Adalberto Stephanum baptizasse* creditus fuerit. Quæ omnia posteriorum annorum memoriis magis elucidabuntur, confirmabunturque. Sed ut jam Schotto aliisque admirationem illam tollamus, qui S. Adalbertus necdum conversionem gentium meditatus sub initium plane Episcopatus sui ad Hungariam, baptizandum S. Stephanum, convertendosque Hungaros pervenerit; in memoriam revocanda sunt superiorum annorum narrata, cum ad annum 973 ostendimus Episcopatus Pragensis terminos ad magnam

Thuroczius P. 2. c. 10. lb. p. 86.

Schottus in Prussia Christiana.

Hungariæ partem fuiſſe protenſos, cum ad annum 976 Moraviæ Epiſcopum protulimus, qui veroſimillime Geiſam patrem S. Stephani baptizavit, juraque priorum Moraviæ Epiſcoporum in Hungariæ, ſeu veteris Moravici Regni terras pro viribus reſuſcitare conatus eſt. Quid mirum ſi adjuncta rurſum Epiſcopatui Pragenſi Moraviæ diœceſi S. Adalbertus ad prima epiſcopalis ſui muneris officia ſpectare putavit, obire diœceſim ſuam, provinciarumque ſaluti & neceſſitatibus proſpicere? Quid mirum ſi veſtigiis anteceſſoris ſui Epiſcopi Moraviæ inſtitit, ut quos quos demum his plagis Chriſtianos detexit, eos ovibus ſuis accenſere non dubitaverit, cum longe lateque Epiſcopi auctoritas nomenque his locis ignotum fuerit? Quid mirum, inquam, ſi ad viſitandum tantarum provinciarum Principem Chriſti nomen jam profeſſum animum appulit, atque quodam divino inſtinctu concitatus, quemadmodum id Geiſæ per cœleſtem viſionem oſtenſum, plane tempore ſumme opportuno ad nativitatem S. Stephani advenit? Qua via & ratione facile conciliantur ea omnia, quæ Biographi S. Adalberti, Chartuitius & Thuroczius verbis nonnihil diſcrepantibus de converſione Hungarorum Stephanique baptiſmo retulerunt.

III. Pridem advertere rei criticæ periti, ad ſinceram hiſtoriæ patriæ cognitionem, ejusque chronologiam ſtabiliendam nihil magis conducere, quam Regum, Ducum, Principumque vicinorum, regionumque juxta poſitarum notitiam, e quorum geſtis nexuque paſſim Annales patrii ſummam lucem indipiſci ſolent. At vero quod hiſtoriæ Bohemæ vinculum pene arctius atque Auſtria, quæ hoc ſæculo nomen *Marchiæ orientalis* & *Oſterrichiæ* ferre ſolita, quæque hoc ipſo tempore a Marchionibus ſuis multum exſplendeſcere cœpit. Libet rem exſcribere doctiſſimi Hanſizii, quem Aſſemanus Calles allique ſecuti. *Subinde autem*, inquit, *quod irruptionibus Hungarorum modus non eſſet, evigilatum tandem ad diligentiorem cuſtodiam limitis orientalis. Emiſſus adverſum Hungaros Luitpoldus, quem vulgo illuſtrem ſeu ex genere, ſeu ex geſtis cognominant, is genti Babenbergicæ felix auſpicium in Auſtria dedit. Sane nobis ratio nulla ſubvenit Leopoldi hujus adventum ante hoc tempus ſtatuendi, id eſt ante annum* 984, *quo anno conſtat Hungaros irruptiones ſuas in Auſtriam continuaſſe, & quod alibi diximus, etiam Mellicium caſtrum tenuiſſe.* Et demum ex antiquo Mellicenſi Chronico ſubjungit teſtimonium, quo dicitur, Leopoldum caſtrum munitiſſimum in monte Mellicenſi ſitum, quod Geiza Hungariæ Dux hucuſque te-

Hanſiz. Ger. ſac. T. I. p. 224.

tenebat, cepiſſe & deſtruxiſſe, Canonicis ibidem XII locatis & fundatis. Id Notæ ex Aloldo jam ad annum 980 his verbis referunt: *Liupoldus caſtrum Medilik deſtructis munimentis mutavit in Collegium & templum, ubi larga manu ſua plures Canonicos inſtituit. Hoc conſilio religionem & pacem firmanit: ſibi vero & poſteris ſuis hujus marchiæ dominatum ſtabilivit.* Denique ſubnectit Rotulum decimarum, quem hoc annorum confinio in triplici Synodo Piligrinus Epiſcopus Patavienſis confecit, ex quo clarum fit, Hungaros jam ultra Comagenum montem fuiſſe remotos ſeu vi armorum Leopoldi, ſeu certe Geizæ ſpontanea ceſſione, Principum vicinorum pacem & amicitiam anhelantis. Ex quo ipſo tam diœceſis Patavienſis, quam Marchiæ orientalis fines ex altera Danubii ripa verſus Moraviam eruuntur, de quibus jam ſupra egimus. Et quanquam ex Ottonis III diplomate dato anno 985 teſtatum fiat, Oſterrichiam hoc tempore ferro & igne in eam ſolitudinem redactam fuiſſe, *ut abſque habitatore terra ſolitudine ſilveſcat*, tamen Liupoldi Marchionis induſtria jam quæquæ iſthic oppida condita, colonos inductos, pagosque inſtitutos, ex diplomatibus temporum iſtorum manifeſtum fit.

Hier. Pezius T. I. p. 94

ANNUS 985.

Parta ſuperiore anno Adalberti in aula Cæſaris exiſtimatio tantum apud Bohemos valuit, ut revertentem ſummi infimique maximis lætitiæ cultusque ſignis acceperint, hoc unum orantes: duraret deinceps, neque tam crebris ex patria migrationibus execrationem Bohemico nomini inter gentes exteras cieret, habiturum poſthac obſequentem gregem atque vel nutui parentem. Præſul & conſtantem præſentiam, & clementiam ſimul benedictionemque cœli libenter ea lege precatus, pollicitusque, modo pure ſancteque Chriſtum colerent. Quodſi vero, inquit, ab avitis erro-

roribus, & sacrilegis ritibus desciscere collibitum vobis non fuerit, noveritis, neque mihi ullo pacto inter vos versari fas futurum, nam operam isthic perdendam cum majore fructu ad alienam quamcunque gentem convertam. Apparebat nonnihil motam hoc responso multitudinem sanioraque persequentem: quare ne moram tam salubris cœpti consilii Adalbertus perderet, per vicos, urbesque discursans verbo divino surdas pulsat aures, majori subinde etiam eloquentia in templo Divi Viti usus. (a)

S. Adalberti pastoralis cura.

Is annus Ottonem Ottonis filium in Imperiale culmen nuper evectum Romæ corona redimivit, sedem Pontificiam tenente Gregorio hujus nominis V. (b) Peracta solemnitate, aliisque in urbe rite compositis novus Imperator voti causa in Apuliam ad S. Angelum peregrinationem suscepit. Inde per Beneventum redux corpus Divi Paulini secum Romam detulit. (c)

Otto III. Romæ coronatur.

ANNUS JESU CHRISTI 985.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 1. OTTONIS III. REG. 3.

BOLESLAI II. AN. 19. S. ADALBERTI EP. PRAG. 4.

(a) Hunc reditum Pragam Hagecium præter veterum fidem geminasse, jam superiore anno insinuavimus. De cura autem illius pastorali hæc Biographus prior compendio: *Erat autem cunctis diebus pontificatus episcopii sui pie ac fideliter serviens Domino, sed multo ac in proficuo labore Christianitatis normam exercens in populo.*

Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 853

(b)

(*b*) Saltem Hagecius Imperatorum Pontificumque accuratiorem Chronologiam transcribere potuisset, si delectu authorum sua ætate sat superque cognitorum usus fuisset. Hæc undecim annis serius, atque ad annum 996 reponenda sunt, quo Gregorius V. Cathedram Petri conscendit, Ottonemque III. Imperiali corona donavit.

(*c*) Anno 996 Ottonem III omnino *Roma pœnitentiæ causa nudis pedibus in montem Garganum ad S. Michaelis Ecclesiam* peregrinationem suscepisse, tam ex S. Petro Damiano, quam Leone Ostiensi testatum habemus, at de translatione corporis S. Paulini Romam nec Baronius nec Pagius, summe industrii rerum istiusmodi exquisitores, mentionem faciunt. *S. Petrus Dam. in vita S. Romuldi. Leo Ostiensis l. 2. c. 24.*

PRÆTERMISSA.

Omnia hoc anno rursum ad pacem spectabant; restituto Henrico in Ducatum suum Bavariæ, tam Boleslaus noster, quam Miseco Polonorum Dux Ottoni III. reconciliatus est. Rem omnem, ut antiquitati suum perstet pretium, verbis Chronographi & Annal. Saxonis, qui eam rite anno præsenti innexuerunt, perscribere juvat: *Dux Henricus divino instinctu ad se reversus & vana exaltatione se deceptum conspiciens veniente in Franconoford Rege infante tertio Ottone illuc ipse adveniens in conspectu totius populi complicatis manibus humilis actu & habitu vera compunctus pœnitentia Regiæ se tradidit potestati. Quem digno honore susceptum, & ductoria* (Ducali Bavariæ) *itidem dignitate sublimatum inter fideliſſimos, ut jus propinguitatis exigebat, eum deinceps habebat.* Hæc Henrici in avitum suum Ducatum restitutio placavit tam Boleslaum nostrum, quam Miseconem, ut luculenta etiam amicitiæ testimonia adhuc anno præsente Ottoni III. dederint. Nam primum Boleslaus noster præsidium suum militare ex urbe Misnensi retraxit, dein uterque solemnitatem Paschalem Quedlinburgi ab Ottone celebratam præsentia sua condecoravit, denique Miseco adversus Slavos Aquilonares suppetias tulit, quæ omnia rite a veteribus adnotata percepimus. Quod ad primum attinet, verba sunt Annalistæ Saxonis: *Rigdago* (Marchioni Misniæ) *successit Ekkibardus Guntharii filius vir magnæ industriæ, qui cum patre suo, diu ab honore proprio suspenso, multa pericula sustinuerat. Factus autem Marchio Misnam civitatem a Boleslao Duce recepit. Tunc Folcoldus Misnensis Episcopus a Willigiso Archiepiscopo reversus est.* Ab *Chronographus Saxo ad h. a. Annal. Saxo ad h. a. Annalista Saxo ad h. a.*

hoc

hoc vero tempore Folcoldum Boleslao innotuisse, magnamque illius demeritum amicitiam, scribit Ditmarus. Porro ex ipso cognoscitur, quantum tam in Chronologia, quam ipso nomine Imperatoris aberraverit Balbinus, dum de Boleslao nostro scribit: *Misnam urbem duodecim annis tenuit Ottone II. Cæsare multum invito & indignante.* Non enim multo amplius ultra unum annum hanc urbem tenuit post Ottonis II. mortem Boleslaus. Alterum his verbis narrat Ditmarus: *Celebrata proxima Paschalis solemnitas in Quidilingeburg a Rege, ubi quatuor ministrabant Duces, Henricus* (Dux Bavariæ) *ad mensam, Conradus* (Dux Alemanniæ seu Suevorum) *ad Cameram, Hecil* (Dux Carantanorum) *ad Cellarium, Bernhardus* (Dux Saxoniæ) *equis præfuit.* Hic etiam *Bolizlaus & Miseco cum suis conveniunt. Omnibus rite peractis, muneribus locupletati discesserunt.* E quorum quatuor Archiofficialium commemoratione jam liquet, quantum veritatis deferendum sit historicorum posteriorum relatis, qui Archidapiferatus, seu Archipincernatus munus jam Boleslao Sævo hereditarium cum Hagecio concessum fuisse somniant, cum in præsentia Boleslai nostri Henricus Dux Bavariæ *Archidapiferi*, Hezilo seu Henricus minor Dux Carentanorum *Archipincernæ* munus sustinuerit. Quare falsissima sunt quæ Goldastus cum Fabricio de his Comitiis memorat: scilicet Boleslaum ad ea vocatum peregisse quod muneris sui erat. Denique quantum Miseco amicitiam suam Ottoni probaverit, docet nos Cosmas noster ad annum præsentem. Jam in tertium annum Slavorum Aquilonarium persecutio in Christianos eorumque Ecclesias desævierat, collecto igitur exercitu *Saxones Slavoniam invaserunt, quibus ad supplementum Miseco cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus vastaverunt.*

Ditmarus l. 4. p. 348.

Balbin. Dec. 1 l. 2. c. 21

Ditmarus l. 4. p. 349.

Goldastus de Regno Bob. l. 4. c. 3.

Apud Menken. T. III. p. 1777

ANNUS 986.

Nova simultates Christianos inter & Ethnicos.

Recruduere rursum ethnicos inter & Christianos veteres simultates hoc anno, nec temperatum clandestinis cædibus, quas versipellis ethnicorum fæx specie ac simulatione Christiani nominis nefarie inferebat. (a) Tam perni-

nicioſæ fraudi injecturus frenum Boleslaus, conſulto antiſtite, ſtatuit: veſtimentis Chriſtianorum ſingulas cruces inſerendas eſſe, ne perdita gens Chriſtiani nominis obtentu tam licentioſa ſæviat. Alterum erat: ſingulis civitatum Chriſtianarum portis pictam ſculptamque crucem, vicis ſaxeam, ligneamve columnam ejusmodi ſigno conſpicuam præfigendam eſſe. Is ritus hoc anno cœptus ad tempora uſque noſtra tranſiit. (*b*)

Moritur Strzezislava S. Adalberti mater.

Abſtulit idem annus piiſſimam matronam Strzezislavam Præſulis Pragenſis matrem, cui Adalbertus ipſe ſacerdotum numeroſo choro ſtipatus religioſiſſime pro dignitate matris parentavit. Tumulum in eadem, qua maritus Slavnicus, Eccleſia Libicii invenit, juxta quem exuviæ illius mortuales poſitæ. (*c*)

ANNUS JESU CHRISTI 986.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 2. OTTONIS III. REG. 4.

BOLESLAI II. AN. 20. S. ADALBERTI EP. PRAG. 5.

(*a*) Niſi Hagecius pluries jam ſuſpicioni locum dediſſet, ſe ſe ea diſſidia bellaque ethnicorum in Bohemia ad explendos annorum hiatus inveniſſe, merito conjectura aliqua capi poſſet, a vicinis Liuticiis malum iſtud derivatum in Bohemos, nam de his ipſis temporibus ſcribit alter Biographus S. Adalberti: *Ea tempeſtate effrena gens, Luticii pagani, jugum Chriſtianitatis deponunt, & cum quo errore adhuc laborant, poſt Deos alienos erecto collo currunt, & qui fugientes fugere nequeunt, Chriſtiani multi gladio ceciderunt.* Sed de Bohemorum ethni-

Mabillon. ſæc. V. Bened. p. 866.

ethnicorum turbis aut persecutione silent tam uterque Biographus, quam Cosmas, omnesque veteres.

Cruger. in fac. Pul. ad 30 Jan. p. 151

(*b*) Crugerius huic crucum cœpto ritui plane certum anni hujus diem ad 30 Januarii defigit, cujus diei, cum Hagecius, primus narrationis istius faber, non meminerit, ignotusque etiam fuerit Lupacio ac Weleslavino, quis divinet, unde eum hauserit Crugerius? Sane crebrò Crugerius eadem suspicione qua Hagecius vapulat, ad explendos dierum suorum mensiumque hiatus plura, quaqua demum fide, sacris suis Pulveribus inseruisse. Non immerito in præfatione sua Januario præmissa liberum Lectori reliquit, cum inquit: *Credat ultimo qui volet.* Nemo profecto credet, ritum hunc initium hoc anno sumpsisse aut die, cum multo ante ex Biographis S. Wenceslai ostenderimus, eundem trabales cruces per vicos, vias, compitaque locandas instituisse, apud Germanos vero pridem id Carolus M. exorsus sit.

(*c*) Quid rursum Hagecium compulerit a Chronologia Cosmæ recedere, mortemque Strzezislavæ uno anno præoccupare, tectum est. Cum Cosma profecto omnia vetustiora Chronica faciunt, quæ ejus emortualem annum sequentem statuunt.

PRÆTERMISSA.

Schafnaburg. & Chron. Herveld. ad h. a.

I. Tam Schafnaburgensis, quam Chronicon Herveldense hoc anno vastationem Bohemiæ per Ottonis exercitum his verbis annunciant: *Otto Rex puer Boemiam vastavit, sed Mischonem cum muneribus obvium suscepit.* At utrique sua deneganda fides; nihil enim simultatis præsente anno Boleslao cum Ottone fuit, qui paulo ante eidem cessit Misniam, ab eoque muneribus locupletatus rediit. Perperam uterque Chronographus bellum in *Slaviam* & adversus Slavos Aquilonares Obodritos confinesque susceptum Bohemis imputavit, verosimillime ea persuasione, quod crebro vetusti quique historici *Slaviæ* nomine *Bohemiam* intellexerint. Expeditionem autem secundam hoc anno fuisse Ottoni puero in Slaviam Aquilonarem, non modo ex Cosma nostro, sed & Annalista & Chronographo Saxone, Annalibus Hildesheimensibus & Chronico Quedlinburgensi discimus, quorum omnium simillima pene verba sunt: *Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu perrexit in Sclavoniam, ibique ad eum venit Miseco Dux Polanorum cum mul-*

Apud Menken. T. III. p. 1777

multitudine nimia, obtulitque ei camelum & alia xenia multa, se ipsum etiam subdidit poteſtati illius, & tunc ſimul pergentes devaſtaverunt totam terram incendiis & deprædationibus. Hanc expeditionem diverſam fuiſſe ab illa ſuperioris anni, Miſeconemque bis ſuppetias tuliſſe Ottoni, ex Ditmaro ipſo edocemur, cujus verba ſunt: *In diebus illis* (ſcilicet poſt celebratam Quedlinburgi Paſchalem ſolemnitatem) *Miſeco ſemetipſum regi dedit, & cum muneribus aliis camelum ei præſentavit, & duas expeditiones cum eo fecit.* Goldaſtus meras perpetuo rebelliones ingeminans, ut Bohemorum nomen Ferdinando II., cui librum ſuum nuncupaverat, magis magisque exoſum redderet, præter omnem criſim hunc ipſum Schafnaburgenſis locum incaute arripuit, atque ſolita bile ſua exaſperavit, cum ad h. a. ſcribit: *Otto III. Imperator cum Bohemis iterum rebellantibus bellum gerit, & eos tandem imperata facere cogit: recepto etiam in gratiam Meſicone ſeu Meiſcone Boleslai Ducis fratre, qui tum Imperatori camelum obtulerat in Germania antehac non viſum.* Hem talem tantumque Hiſtoricum, qualis videri voluit, atque a ſuis celebratur, ignoraſſe Ottonem nonniſi undecim annis poſterius Imperatoria dignitate donatum, & *Miſeconem* Polonorum Ducem, non fratrem Boleslai noſtri fuiſſe! Niſi ad exaſperandam cauſam Bohemorum dicere malimus, eum ex malevolentia *Ottonis pueri* in Schafnaburgenſi deprehenſum indicium ſubticuiſſe, & ad geminandos rebelles ſuos etiam Boleslao fratrem Cæſari rebellem affinxiſſe.

Ditmarus l. 4 p. 349.

Goldaſtus de Reg. Bob. l. 2. c. 3.

II. Ad hunc annum, ſeu certe annorum iſtorum confinium pertinet, quod Coſmas noſter poſterius (demortuo jam Boleslao Pio) de illius filio Odalrico narrat. *Fuerunt autem Duci Boleslao ex conjuge nobili* (Hemma) *duo fœcundæ matris gloria nati, ſcilicet Oalricus & Jaromir. Sed Jaromir juvenis patris eſt nutritus in aula, Oalricus autem a pueritia traditus erat Imperatoris Henrici in curiam, quo addiſceret morem, & eorum aſtutiam, ac theotonicam linguam.* Odalricum a pueritia ſua ad Henrici (ſcil. ſecundi) Imperatoris curiam a pueritia ſua traditum fuiſſe, cum ætate Odalrici ejusque geſtis & Ducatus annis maxime pugnat. Henricus enim nonniſi anno 1014 Imperator coronatus eſt, ante quod tempus Odalricus variis peractis ſcenis jam Jaromiro fratri ſuo Ducatum præripuit, nec vero pueritia Odalrici cum annis etiam primis ejusdem Henrici Germaniæ Regis conciliari poteſt, qui primum anno 1002 Rex Germaniæ electus eſt, quo tempore Odalri-

Coſmas ad an. 999.

cus jam militiæ adſcriptus exercitus integros in hoſtes duxit, ut taceam ſub initia Imperii Henrici patrociſſimas inter eum & Bohemos fuiſſe ſimultates. Eo igitur explicanda ſunt verba Coſmæ, quod Odalricus Henrico Bavariæ Duci patri Henrici Imperatoris traditus fuerit a pueritia, apud quem non modo ad mortem illius perſtitit, ſed etiam perduravit, dum filius Henricus eidem in Ducatu Bavariæ ſucceſſiſſet, quo pacto omnino aliqua ratione in aula Henrici (non quidem Imperatoris, ſed tum adhuc Bavariæ Ducis) Odalricus educatus fuiſſe dici poteſt. Quod hoc annorum confinio accidere debuit, cum ex priore calculo nativitatis Odalrici eruatur, eum jam hoc anno annum undecimum ſeu duodecimum egiſſe, quæ ætas omnino conveniens erat, ut ad diſcendos mores & linguam Teutonicorum e patriis laribus dimitteretur; neque enim prius Henrico educandus tradi potuit, cum non multo ante e cuſtodia ſua Trajectenſi liberatus, paulo vero ſuperioribus annis rerum omnium adhuc incertus bellis implicitus fuerit. Id vero novum argumentum eſt ſuo tempore ſerviturum, quo Hemmam matrem Odalrici, ſororem fuiſſe uxoris Henrici Bavari, probare conabimur.

ANNUS 987.

Compeſcuere nonnihil ſaluberrima Principis edicta, mandataque ſuperioris annis effrenem ethnicorum petulantiam, ſed jam minus rurſum proficere viſa Epiſcopi monita in Chriſtiano populo, qui tanquam canis ad vomitum rediens pravas cupiditates ſuas denuo proterve appetebat. Flagitia palmaria fuere: Promiſcua inter ſanguine junctos connubia, extra uxorem juſtam concubinæ haud modicæ. Contaminatio diei feſti nundinationibus laboribusque gravibus. Sepultura gentilis per agros, lucosque. Sacri lavacri contemtus. Fraudum rapinarumque pudenda

li-

licentia. (a) Et frustra quidem fuit omnis Boleslai severitas gravissime nonnunquam in transgressores animadvertentis, ut animi etiam exasperarentur magis, inque principis & legum sacrarum odium incenderentur. Tam parum etiam abfuit, quin sacræ civilesque pœnæ contumacibus inflictæ exitium Boleslao attulerint, tumultuantibus multis, & in caput ejus conjurantibus. (b) Unum in his malis, illudque jam vetus supererat Antistiti consilium: relinquere contagioni suæ pecus morbidum, & procul hinc postremo fugere. (c) Sed nihil tam impediebat fugam, quam severa hiems, & alta nix per eos dies regiones omnes occupans. (d)

ANNUS JESU CHRISTI 987.

JOANNIS XV. AN. 3. OTTONIS III. REG. 5.

BOLESLAI II. AN. 21. S. ADALBERTI EP. PRAG. 6.

(a) Horum pleraque uterque Biographus primam causam & irritamentum fuisse S. Adalberto desertarum ovium suarum adstruit, quæ suis annis ex iisdem referemus.

(b) Cosmas noster ait: *Tunc temporis Dux non erat suæ potestatis sed Comitum.*

(c) Imo ne hoc anno quidem primam fugam suam meditatum fuisse Sanctum Adalbertum, ex posteriorum annorum historia testatum fiet.

(d) De severa hieme aut magnis nivibus hoc anno silentium. *Ingentem ventum ædificia multa straviſſe* prodit Cosmas noster. *Apud Menken. T. III. p. 1777*

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Annus præsens Strzezislavam matrem S. Adalberti summis virtutibus conspicuam ad beatam immortalitatem transtulit. Emortualem ejus annum conservarunt Cosmas & Annalista Saxo his verbis: *Obiit Zrezislava Sancti Adalberti mater venerabilis, & Deo acceptabilis matrona, tantæ etiam sanctæ sobolis dici mater & esse digna.* Strzezislavæ elogium pangit multa verborum ambage prior S. Adalberti Biographus, quod ex eo jam ad annum 956 p. 111 retulimus; alter cum eam *ex genere Boemorum nobilissimam* prædicavit, subjungit: *Fœmina casta moribus, plena eleemosynis, fidem loquens operibus, nobilitati suæ pulchrum responsum dedit. Sed discipula virtutis, pene fit rea castitatis. Nam dum zelat zelo castitatis, dum fit familiaris famula orationis, dat viro occasionem peccandi non tam una sed cum fœminarum turba* &c. quæ profecto existimationi pietatique Slawnici plurimum derogant, præsertim cum idem *neglectæ castitatis* eum redarguit. At Clarissimi Viri operis Bollandiani Continuatores hæc temere a Biographo secundo, seu alio quocunque posteriore injecta non immerito statuunt, quandoquidem penitus contraria non modo in priore Biographo, sed etiam Cosma Pragensi, aliisque Bohemis Historicis leguntur. Balbinus noster in Notis in Christiannum Strzezislavam facit filiam Boleslai Sævi, eo inprimis innixus argumento, quod idem Christannus in Passione SS. Ludmillæ & Wenceslai Divum Adalbertum *nepotem suum charissimum*, item Sanctum Wenceslaum *communem patruum* vocet, denique expressis verbis dicat illum *ex eodem tramite* (scil. S. Ludmillæ) *lineam propaginis trahere.* Sane nihil validius magisque convincens esset argumentis istis, modo etiam certum indubitatumque esset Christannum Boleslai Sævi filium istius Passionis esse authorem, sed jam crebrius supra non minimas difficultates attulimus, & paulopost multo plures prolaturi sumus, quæ illi palmam plane dubiam faciunt. Strzezislavam *nobilissimo Bohemorum genere* ortam fuisse uterque Biographus prodit, sed adduci haud possum, ut credam utrumque, imo & Cosmam nostrum præteriturum fuisse indicare, quod filia Boleslai Sævi, aut soror Boleslai Pii fuerit, præsertim cum posterior de Milada & Daubrava id minime conticuerit, quod ipsum omnes nostros historicos usque ad Balbinum, ac prolatam ab eo passionem SS. Ludmillæ & Wenceslai penitus latuit. Nec etiam impugnare velim illam ex S. Ludmilla *lineam propaginis traxisse*, ex quo tamen ne-

Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 865.

Balb. in Epit. l. 1, c. 10.

necessario non sequitur illam *filiam* fuisse *Boleslai Sævi*, potuit enim iste gradus *nepotis*, de quo author, longe altius a Slavibori (patris S. Ludmillæ) uxore aut filiis fratribus repeti, præsertim cum ex alibi dictis certum sit vocem *nepos* hoc sæculo laxissime non modo pro Pronepote & Abnepote, sed etiam fratruele consanguineo, imo consobrino & affine fuisse acceptam. Indicium illud *communis patrui*, quo nomine Sanctus Wenceslaus appellatur, penitus evanescit. Nam certum est omnia emendatiora Vitæ hujus exemplaria, quæ Trebonensi (ex quo descripsit Balbinus) multo vetustiora sunt, *communem Patronum* appellare S. Wenceslaum, quod profecto sensui, & præmisso adjectivo conformius est. Huc præterea spectat: Hagecius, ut superiore anno retulimus, narrat S. Adalbertum ipsum funus matris duxisse, quod quidem ex summe probabili conjectura scripsit, cum pietas id a filio exegisse videatur. At Balbinus litem illi movet, aitque: *Interfuisse funeri Adalbertum Hagecius significat, sed id fieri non potuit, si Baronius audiatur, qui ex vita vetere S. Præsulis ostendit S. Adalbertum id temporis Romæ in cœnobio SS. Bonifacii & Alexii ad montem Aventinum latuisse.* Verum Baronium, præsidiis quibusque historicis posterius editis destitutum, ac in Chronologia circa Episcopatum gestaque S. Adalberti pluribus annis aberrantem jam correxerunt Clarissimi Viri Bollandiani, Pagius, Hansizius, Assemanus aliique. Balbino tamen non erat incognitus Cosmas noster, qui cum ad annum 990 dicat: *S. Adalbertus Romæ ad S. Alexium factus est Monachus*, certum habuit Balbinus anni indicium, quo S. Adalbertus Romæ fuit, ac proinde ea matri præstita parentatio haud illi incredibilis videri debuit. *Balb. in Epit. p. 139.*

II. Tam Schafnaburgensis, quam Chronicon Herveldense denuo præsente anno Bohemiam ab Ottonis exercitu lacessitam, imo ad deditionem compulsam his verbis tradunt: *Iterum Rex Boemiam intravit, & eam ad deditionem coegit.* Id in majorem etiam errorem induxit Spangenbergium, Fabricium, Calvisium & Goldastum, ut scriberent: *Meficonem Ducem Bohemiæ armis Imperialium militum adactum, ut ad Ottonem III supplex veniret, & gratiam efflagitaret.* Præterquam enim Mesico non Dux Bohemiæ sed Polonorum fuerit, certum est Schafnaburgensem & Chronographum Herveldensem eodem superioris anni errore abreptum Slaviæ seu Sclavoniæ substituisse Bohemiam. Nam illa tertia hoc anno Ottonis expeditio, consecutaque deditio rursum *Schafnaburg. Chronicon Herveld. ad h. a. Spangenberg in Chron. Saxon. c. 147 Fabric. Orig. Saxon. l. 2. Calvisius ad h. a. Goldastus de Reg. Boh. l. 2. c. 3.*

Sla-

Cosmas & apud Menken. T. III. p. 1777 Slavos Aquilonares concernebat, quam non modo Cosmas noster, sed & Annales Hildesheimenses, tum Chronographus & Annalista Saxo, denique Chronicon Quedlinburgense unanimi pene voce annunciant: *Eodem anno* (inquit Cosmas noster) *Saxones tertium Sclaviam invaserunt, & ad ultimum ipsi Sclavi Regis ditioni subduntur, & castella juxta Albim fluvium denuo restaurata sunt.* Bellum vero istud non fuit adversus Miseconem Polonorum Ducem amicum jam & fœderatum Ottonis, sed Winnulorum & Obodritorum Principes Mistovi, & Wizidrog, quorum ductu seditio Slavorum his regionibus inflammata fuit, ut ad annum 983 in Prætermissis ostendimus. Ceterum ex Calculo Clar. Pagii prætermittendum non est, Wladimirum Magnum Ducem Russorum (quem ad annum 981 Bohemiæ Ducis Filiam in matrimonio habuisse ex Russiæ Annalibus commemoravimus) præsente anno, ducta Anna Basilii & Constantini Imperatorum Græcorum sorore, aquis baptismalibus fuisse ablutum, atque ab hoc anno passim epocham Russiæ conversæ ad Christum statui. Is idem nempe Wladimirus est, qui sede avita ad Bosphorum Cimmerium deserta Græcis cessit Corsun, omnesque terras & insulas, quas in Græcia possederat, civitatemque a suo nomine Wolodimeriam Russiæ postea Metropolim intra Wolgam & Occam fluvios condidit.

Herberstein in rer. Moscov. p. 5, & 33

ANNUS 988.

Strachiquas redit Ratisbona

Appulit Pragam cum Abbatis sui consensu (a) Ratisbona, ubi in cœnobio S. Emmerami monachum ordinis Divi Benedicti induerat, Strachiquas Boleslai Sævi filius, jam olim pro paterno scelere Deo devotus, fratres Boleslaum Ducem, Christannumque salutaturus. (b) Ejus adventus cum primum Adalberto innotuit, ad se vocatum tali oratione adgreditur: Scio te Ducum genere satum, fratrem Principis, & super hæc virum bonum prudentemque. Hæ me causæ impellunt, ut deplorandam ovium mearum conditio-

tionem, perditamque in illarum ſalute quærenda operam tibi querar, fatear inquam ultro, nec ingenium, nec vires mihi ultra ſuppetere, ut morbidum gregem ad ſanitatem revocem. Audiſti, & fortaſſis jam ipſe oculis tuis ſpectaſti, quam male reſpondeat fructus operis meis, quam omne vincat medicamentum morbus. Obſervaſti, inquam, procul dubio non ſine doloris ſenſu in populo perfidiam injuſtitiamque, in nobilitate ſævitiem & faſtum, inter ſacerdotes torporem, inobedientiam inſcitiamque. (c) Nunquam quidem in animum admiſi cedere in perpetuum malis, quoad in maleſano grege ſpes ulla fuit: at tandem ſpe omni deturbatus redire Romam, æternumque patriæ valedicere cum animo conſtitui. Non ſine divino conſilio adventus tuus in hoc tempus accidit. Tibi uni vindicatæ cœlo Bohemiæ gloria & præmium ſervata ſunt, poſteaquam non alium atque te aptiorem judico, qui his malis præſentius mederi poſſit. Tua virtus & nobilitas, Boleslai Ducis fratris tui poteſtas, utriusque auctoritas id ſine dubio præſtabunt celeriter, quod tanto muneri impar animus meus tot annorum curſu effectum dare haud potuit. Tibi enim omnium obedientia litabit, tuum ſupercilium fratris auctoritate erectum refractarios in viam coget. Hæc cum dixit, epiſcopalem virgam & infulas in ſinum Strachiquatis tradidit, enixe, quod ipſi patriæque bene verteret, precatus, capeſſeret Pragenſis Eccleſiæ gubernacula, ſuasque non redituri in patriam amplius vices obiret; pollicitus daturum ſe operam in urbe, ut ea Epiſcopatus abdicatio Pontifici Romano probetur. (d)

S. Adalbertus ei offert Epiſcopatum Pragenſem.

Adverſus ea Strachiquas adducto ſupercilio epiſcopalem ferulam humi abjecit cum dicto: Dudum mundanos honores pompasque deſerui, & impar ſum oneribus, & indignus Præſulis prærogativis. Monachus ſum mundo pridem mortuus, mortuo mortuos ſepelire haud convenit. (e) Et vero protinus ex male ſimulato vultu auguratus eſt inflatum animum Adalbertus, hæcque in eum retorſit verba: Noveris frater: quod modo non ſolum ſine macula & crimine, ſed etiam cum laude ac merito obtinere tibi fas eſt, ambies, quæresque propediem maximo tuo malo. Adalbertus vero ſe neque apud Strachiquatem neque populum quidquam profeciſſe intuitus, uti conſtituerat, Romam rurſum profectus, propoſiti ſui juſte ſuſcepti aſſenſum laudemque a ſummo Pontifice meruit. Vix autem patrios lares deſeruerat, Boleslaus communicato cum ſacerdotibus primoribusque conſilio Romanum Pontificem, Archipræſulemque Moguntinum literis interpellat, ſeu Adalbertum ad gregem ſuum redire compellant, ſeu Pragenſi Eccleſiæ de alio rectore proviſum maturent. (f)

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 988.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 4. OTTONIS III. REG. 6.

BOLESLAI II. AN. 22. S. ADALBERTI EP. PRAG. 7.

(*a*) Ad S. Emmeramum erat hoc tempore Abbas Ramvoldus, qui circa annum 975 e Trevirensi monasterio Sancti Maximini evocatus fuerat a S. Wolfgango ad reformandum hoc monasterium, primusque rursum Abbas constitutus, cum antecessores Episcopi Ratisbonenses simul munus Abbatis sustinuerint, quorum incuria disciplina monastica isthic pessum ierat. Mortuus est Ramvoldus centenarius anno 1001, titulumque *Beati* meruit, cujus vitam ex Arnolfo primo loco dedit sæculi VI. Benedictini Mabillonius. *Apud Mabill. sæc. V. Ben. in vita S. Wolfgangi §. 15.*

(*b*) Strachiquatem non alium fuisse a Christanno jam multo prius ostendimus. Ceterum num hoc ipso anno adventus Strachiquatis Pragam statuendus sit, dubium Hagecio movet Cosmas, qui ait: *Sed cum S. Adalbertus jam Romam iter arripere vellet, forte fortuna tempore in ipso Ztrabquas sui Abbatis cum licentia venerat de Ratisbona post multos annos visere patriam dulcem, & cognatos, atque fratrem suum Boemiæ Ducem.* Quod Annalista Saxo anno 990 illigavit. Sed id ad anni sequentis finem spectare, quo primum Adalbertus Episcopatum suum deseruit ibidem ostensuri sumus, nam tum jam Strachiquatem adfuisse id probat, quod demum Romam pro eo reducendo legatus missus fuerit.

(*c*) Verba Cosmæ, quæ Hagecius amplificavit, sunt: *Cum quo* (Strachiquate) *Vir Dei Præsul Adalbertus secretum petiit, & colloquium tenuit, multa conqueſtus de infidelitate & nequitia populi, de incesta copula, & super illicita dissidia incoustantis conjugii, de inobedientia & negligentia cleri, de arrogantia & intolerabili potentia Comitum.* *Cosmas ad ann. 994.*

(*d*) Laconica magis rursum verba sunt Cosmæ: *Ad ultimum omnem intentionem sui cordis sibi aperuit, quod vellet Romam Apostolicum consultum ire, & ad gentem apostaticam nunquam redire. Inter hæc,* *Ibidem*

& ad hæc hæc addidit: Est bene, inquit, quod tu frater noſceris eſſe Ducis, & hujus terræ ex Dominis originem Ducis. Te plebs iſta mavult dominari, & tibi magis obedire quam mihi. In conſilio & auxilio tui fratris ſuperbos comprimere, negligentes arguere, inebedientes corrigere, infideles increpare poteris. Tua dignitas, & ſcientia, tui habitus ſanctimonia multum concordant ad pontificalia regimina. Quod ut fiat, ego tibi Dei voluntate & mea poteſtate concedo, & ut liceat, me vivente iſtbic Epiſcopus ut ſis, apud Apoſtolicum omnibus votis intendam.

(*e*) Similia pene refert mox laudatus Cosmas.

(*f*) Hæc omnia poſterius accidiſſe aliisque rerum circumſtantiis ex Biographis ſuo loco referemus.

PRÆTERMISSA.

Coſmas apud Menken. T. III. p. 1777.

I. Coſmas noſter de anno præſente ſcribit: *Æſtatis fervor immanis pene cunctos fructus conſumpſit, & mox grandis mortalitas hominum ſubſecuta eſt.* Nec aliud quidpiam ad hiſtoriam patriam pertinens uſpiam reperimus. Quandoquidem vero geſta S. Adalberti ab anno 982, quo epiſcopale munus ſuſcepit, notulis chronologicis diſtincta non ſunt a Biographis, juvat hic ex iisdem compendio referre eas præcipuas virtutes & cumprimis miſericordiæ opera zelumque in paſcendo grege, quæ ab Hagecio prætermiſſa comperimus, quæ quidem in quinque capita diſpeſcemus: Opera miſericordiæ his verbis complectitur prior Biographus: *Omni die feſto plurimos pauperes ad miſericordiæ opera, quæ eis neceſſaria erant affluente copia miniſtrat, item quotidianis diebus ter quaternos habere ſolitus erat, quos in Apoſtolici nominis honorem dape & potu ſatiat . . . luſtraverat carcerem, & in carcere poſitos, quorum longa ſeries, & infinitum agmen erat. Nulli plus nota propria domus, quam ſibi erat, quis, quo nomine & in qua parte cubaret infirmus, aut quot capita rediviva ſalus vitæ, quot fatalis hora mitteret leto, quorum omnium poſt pia obſequia, ſi feminis tempus erat, ad campos decurrit, & ſatione peracta, unde viverent propriis manibus ſe laboraſſe gaudebat.* Singulare miſericordiæ exemplum eſt, quod pagina ſequente idem Biographus ſubjungit: *Poſt Completorium cum ſolitis orationibus incubaret, quidam pauper, cui nihil præter vitam & membra impius latro reliquit, miſeris ululatibus tem-*

Apud Mabill. ſec. V. Bened. p. 853.

Ibid. p. 854.

pli

pli ostia pulsat, quo audito cum de erogatis opibus nullæ superfuissent, cœpit curiosius excogitare, quid illi dare posset: & cum nihil aliud occurreret, ingressus cubile, quod solum habuit, tulit inde sericum pulvinar, cui abstrahens sericum, plumas circumquaque per domum respersit. Deinde ad jacentis mendici clamorem recurrens, inanem purpuram in rugam complicuit, & per coeuntium januarum foramina emittens hoc fertili dono manum pauperis accumulavit. Cujus furti auctor cum lateret, & Villico domus suæ præpositus hoc inter pueros asperius inquirere vellet, prohibuit eum, dicens: Nequaquam inimicus homo hoc fecit, sed qui indigens erat, forsan pro explenda necessitate assumsit. Mortificationis studium his verbis persequitur: *Raro extra festum aliquod vidit eum meridianus sol manducantem, & nunquam media nox somno indulgentem. Stat lectus altis plumis & ostro rigidus die oculos hominum pascens, nocte vero aut habuit fratrem Gaudentium, aut cœcum natum (extra quos suo cubili amicissima familiaritate junctos a se tertium, nemo quartus recubuit in una domo) ipsi vero nuda humus, vel leve cilicium, & lapis pro capitis sustintaculo somnum dabant. Nunquam saturo ventre ivit dormitum, & nondum expleto sopore surgit ad solitæ orationis convivia. Corpus vero, & corporis incentiva acerrimis attriverat jejuniis, nec ulli unquam voluptati animum dare volebat. Parva quies & nulla venia est defectis pedibus.* Orationum & meditationum frequentiam his exprimit: *Nunc longis genuum flexionibus orationem* Ibid. *pertrahit, nunc ægra suspiria cordis multo flumine rigat. De Completorio usque ad Primam non exiit sermo de ore ejus, & ad instar monasticæ professionis nocturna silentia servat. Post primam pastoralibus causis studia sua impendit, audiens diligenter, quid cum prædato paupere peregrinus, & vidua ejularent. Quando autem exteriore cura vacabat; usque ad missæ celebrationem Davidicis utitur colloquiis, homini non locutus est verbum, quamdiu Dominicæ mensæ infulatus adstitit, & supra Sancta Sanctorum immolat angelicum panem. Post aut opera manuum laborat, aut cum caris capellanis sacræ lectionis cibaria degustat. His otiis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem: Hi sibi mores, hoc studium, hæc erat meta vivendi.* Proventuum suorum piissimam partitionem hanc fecisse memorat; *Res ecclesiasticas sub æqua divisione di-* Ibid. p. 853. *stribuit in quatuor partes: Primam partem pro necessariis vel ornatibus Ecclesiæ, secundam Canonicorum commoditatibus adscripsit, tertiam vero in agmina pauperum profusa miseratione expendens. Ultimæ partis summulam pro suis usibus servat.* Denique prædicationis zelo virtutum-

Ibid. p. 854. tumque ceterarum elogio ſtrictim claudit: *Inter hæc ſancta opera non deſierant pluere prædicationis pulcræ verba: nec ſibi ſolum bonus, ſed cum pluribus cæleſtium gaudiorum particeps eſſe voluit; ſingulis compaſſione proximus, & præ cunctis in contemplatione ſuſpenſus: ſic alta petens, ut proximorum infirma non deſpiceret; ſic infirmis proximorum congruens, ut alta petere non deſiſteret, ſic diſcretionis artem ſervare novit, ut eſſet in eo & juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina.* Ad hanc ipſam quoque annorum periodum ſpectat, quod Codex Surianus ex altero Biographo recitat: „S. Adalbertum aliquando Sanc„timonialis fæmina, quæ tempore adoleſcentiæ ſat cognoverat ſanc„tum Epiſcopum (credo Parthenopoli vidit, cujus ſchola ad gloriam „Dei talem nutrivit alumnum) & admirans cur, quæ dat licentior æ„tas, a joco, & riſum moventibus verbis adeo Epiſcopus juvenis „abſtineret, ait ſancto viro diverſæ mentis fæmina: Alium Adalber„tum video, cur qui quondam eras homo pulcherrime lætus, *nunc* „ſeverus es, & inſtar Catonis cujusdam rigidus? Nonne cum magi„ſter ſcholarum ſapientiam docturus venit ad noſtrum cœnobium, no„biscum ludendo duxeras totum diem lætum. At ille graviter ſuſpi„rans projecit verbum cordis: Vere ſcias domina, quia quidquid ejus„modi feci vobiscum jocando, alto & acerbo vulnere nunc afficit ani„mum meum.“ Atque illud ipſum eſt, quod prior Biographus Adalbertum Magdeburgo *delicioſum militem* rediiſſe, alterque *adeo laſcivum fuiſſe, ut homo incubat terrenis deliciis*, nimia exaggeratione ſcripſerit. Porro ſi conjecturam capere licet, mox commemoratam ſanctimonialem haud aliam fuiſſe arbitror, quam Eliſabetham de Querfurt S. Brunonis Pruſſorum Apoſtoli & Martyris (quique ſecundus Biogra-

Vide poſtea ad annum 994 in Præmiſſis. phus Sancto Adalberto obtigerat) ſororem, Abbatiſſam ſcilicet ſecundam Monaſterii S. Georgii. Nam cum S. Adalbertus in ſuo Epiſcopatu nullum alium Parthenonem, aut moniales habuerit, indubie conjicitur illam ex cœnobio iſto fuiſſe. Fuit autem hæc Eliſabeth ſumma prognata nobilitate Comitum Querfurtenſium, a quibus Comites Mansfeldenſes ſuam deduxere originem, quam proinde Sanctus Adalbertus *dominam* appellavit, titulo ſanctimonialibus, præſertim hoc tempore, minime tribui ſolito. Illa ipſa autem ex Magdeburgenſi cœnobio Pragam translata fuit, ut eam procul dubio jam Magdeburgi noverit Sanctus Adalbertus. Ab eadem Eliſabetha ſorore ſua plura dein peculiaria & ſecretiora edoctus eſt Sanctus Bruno, quibus primum Sanc-

ti

ti Adalberti Biographum multum auxit illustravitque, ut ad annum 994 dicemus.

ANNUS 989.

Strachiquas insularum illicio titillatus male tectam cupiditatem prodit, ambitique dudum Episcopatus tandem non obscura dat indicia, foris quidem alieniſſimus ab ejusmodi adfectatione, reipsa id omni conatu quærens. Atque ut nihil facilius, quam volentem cogere: ita is haud multum tergiversatus populi voluntati cessit. Ea est quandoque divini Numinis patientia, ut malevolorum ausibus indulgenter conniveat, quo se in profundius præcipitium proruisse agnoscant. Ita plane tulit, ut vivente legitimo antistite perduellis populi suffragiis Strachiquas ad Episcopatum Pragensem extolleretur, qui ut inflatum & pridem ea spe turgidum animum celaret, cunctatus primum, verbisque nonnihil obluctari visus, ac se invitum huc trahi simulans, ad Archiepiscopum Moguntinum consecrandus festinat. (a) Ferunt Archipræsulem muneribus corruptum negotium acceleraſſe, (b) id uti anceps & dubium in medio relinquimus. Illud certius est: Strachiquatem sub ipsis cerimoniarum initiis inter duos Episcopos stantem oculos non præter stuporem omnium torve gyraſſe, mox humi stratum a maligno spiritu infestum, varieque tortum, nec ante dimissum, quam infernus hospes infelici corporis domicilio animam ejeciſſet, (c) quo nuſ-

Strachiquas eligitur in Episcopum Pragensem.

Suffocatur a dæmone inter consecrationis cerimonias.

nuſquam audito interitu DEus manifeſtum fecit, quam execrabile ſit ſacras & vicarias Dei ſedes malis artibus venari, quantumque non raro etiam abſentium cauſas tueatur, dum vivente Adalberto ejus Epiſcopatum involari paſſus non eſt, ſed integrum illi ad martyrium uſque ſervari voluit. (d)

ANNUS JESU CHRISTI 989.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 5. OTTONIS III. REG. 7.
BOLESLAI II. AN. 23. S. ADALBERTI EP. PRAG. 8.

(a) Prorſum atro carbone Chriſtiannum Strachiquatem depingit Coſmas, cujus verba ſunt: „ Tunc Ztrahquas frater Ducis videns Epi„ ſcopum quaſi jure & regulariter a ſua plebe repudiatum tumido fa„ ſtu exarſit in Epiſcopatum. Et quia facile eſt volentem cogere, pro„ tinus hunc idiotam & ſycophantam populus nequam in epiſcopalem „ locat cathedram. Sic enim DEus, ſic ſæpe permittit per ſui provi„ dentiam pravorum hominum invaleſcere potentiam, ſicut in hac ir„ regulari electione judicia prævaluere Cereris generi. Nam fuit hic „ Ztrahquas veſte compoſitus, mente tumidus, actibus diſſipatus, ocu„ lis vagus, verbis vanus, moribus hypocrita, & totius erroris man„ drita, atque in omnibus operibus malis iniquorum archigeronta. „ Plura referre pudet Ztrahquas de Præſule pſeudo, ſufficiant pro mul„ tis pauca. „ E quibus Coſmæ verbis, præſertim cum *idiotam*, & *in omnibus operibus malis iniquorum archigerontam* Strachiquatem appellet, oppido liquet, Coſmæ illiusque ſæculo ſcil. XII adhuc incognitum fuiſſe Ztrachiquatem ſeu Chriſtiannum hunc Boleslai Pii filium vitam aliquam SS. Ludmillæ ac Wenceslai ſcripſiſſe, eam, inquam, Paſſionem, quam primus omnium Balbinus ei tribuit, & ſub nomine illius publicavit. Quis enim ſibi perſuadeat Coſmam auſurum fuiſſe *idiotam & iniquorum archigerontam* hunc filium Boleslai appellare, ſi authorem ſciviſſet eſſe illius vitæ, quæ (præter morem quidem iſtius ſæculi) non mediocri eloquentia ac eruditione, non minori etiam pietate ac cum-

pri-

primis humilitate ſcripta eſt? An non ſe omnium contemporaneorum ſuorum reprehenſioni temere expoſuiſſet Coſmas, cum unusquisque facile ex hac vita ſummarum calumniarum reum arguere potuiſſet? Qui factum dein? ut tot continuatores ac excerptores Coſmæ nunquam illum ea in re correxerint, aut ſaltem falſum fuiſſe inſinuaverint, aut certe denique eadem hypocriſi Paſſionem hanc a Chriſtanno ſcriptam fuiſſe monuerint? Quale quantumque ſilentium merito declarat: authorem hujus vitæ Chriſtannum non modo Coſmæ, ſed & continuatoribus illius excerptoribusque penitus fuiſſe incognitum. Quare non ſatis mirari poſſum R. P. Athanaſium, cum in eadem vita a ſe edita pag. 11 & ſeq. contendit vitam hanc non modo fuiſſe Coſmæ cognitam, ſed & Coſmam verbis illis expreſſis: *In Paſſionis ejusdem Sancti Viri* (Wenceslai) *tripudio*, ad eam ſe revocaſſe; *tripudium* enim illud haud diverſum fuiſſe ab hac Paſſione a Chriſtanno conſcripta. Sed utique ſi Coſmas hanc ipſam paſſionem intellexiſſet, non ſolius Sancti Wenceslai, ſed *SS. Ludmillæ & Wenceslai tripudium* appellaſſet. Ego jam annos abhinc ſeptemdecim hortatu Excellentiſſimi D. Antonii Wokaun Epiſcopi Suffraganei Pragenſis concinnavi opuſculum ſub titulo: *Examen Hiſtorico-Chronologico-criticum: An Chriſtanni de Skala Vita ſeu Paſſio SS. Ludmillæ & Wenceslai a Balbino e codice Trebonenſi primum vulgata verus ſincerusque partus ſit Chriſtanni, qui erat Boleslai Sævi filius?* quod idem Excellentiſſimus jam tum ſuis ſumtibus prelo commiſſurus erat, niſi inopina mors eum, cum paucis ante diebus ſupremam opellæ manum impoſuiſſem, orbi literato eccleſiæque eripuiſſet. Cujus opuſculi ut Lectori epitomen quandam ob oculos ponam, diſpeſcui illud in XVII capita. *Imo* expendo indicia, e quibus conjicere fas eſt, hanc vitam Chriſtanni de Skala ſeu cujuscunque Chriſtanni aut Chriſtiani eſſe. II. Inquiro quis Chriſtannus ille fuerit, & unde nomen ſortitus? III. Probo Chriſtannum prorſus eundem fuiſſe quem Strachiquatem Boleslai Sævi filium. IV. Inveſtigo an Chriſtannus iſte agnomen de Skala ſeu Scala geſſerit, illudque ea ætate uſitatum fuerit? V. Complector geſta & mortem Chriſtanni Strachiquatis, quem nequaquam a dæmone ſuffocatum, ſed peralyſi lethifera exſtinctum fuiſſe probo. VI. Ago de veterum omnium hiſtoricorum ſummo ſilentio, quorum nemo uſpiam uſque ad Balbinum Chriſtanno Boleslai Sævi filio aliquod opus aut vitam Paſſionemve tribuit. VII. Oſtendo hanc ipſam vitam minime Coſmæ, ejus Continuatoribus Excerptoribusque fuiſſe cognitam. VIII. Inquiro an ſtylus

ætati Christanni, & Cœnobitis S. Emmerami, e quorum monasterio erat, respondeat? IX. Expendo an scriptura, orthographia, dialectusque istius ævi sint? X. Excutio specioſos titulos S. Adalberto aliisque præter morem illius sæculi tributos. XI. Examino an summa humilitas, pietas & facundia, quam Passio SS. Ludmillæ & Wenceslai præsefert, respondeant moribus, doctrinæ, illisque quæ veteres nobis de Christanno transcripserunt? XII. Ostendo enormes illas diras, scomata & exaggerationes in patrem Boleslaum Sævum prosusas pugnare cum filiali obsservantia & pietate Christanni, neque citra summum vitæ periculum ab eo scribi potuisse. XIII. Demonstro in hac Passione complura ætate Christanni posteriora. XIV. Exhibeo quosque historicos & chronologicos errores, quos vix quidem scriptor coævus admittere potuit. XV. Summatim comprehendo diversa alia dubia & difficultates. XVI. Detego indicia vitiatæ Dedicationis huic Passioni præmissæ, uti & nominum *Adalberti* atque *Christiani* minus recte explicatorum. XVII. Tandem concludo, & manifestis quibusque indiciis probo: Vitam hanc & Passionem non S. Adalberto Episcopo Pragensi, sed Adalberto Wladislai Regis filio Antistiti Juvavienſi seu Salisburgensi, qui revera *secundi* nomen ferebat, sub exitum sæculi XII fuisse inscriptam & nuncupatam. Ostendo eundem Adalbertum de eodem S. Ludmillæ fuisse tramite, singularem S. Wenceslai cultorem, qui illius festum in Ecclesiam & diœcesim Salisburgensem induxit. Ostendo illius ætate vixisse *Christannum de Skala* (quem titulum ipsa vita præsefert) cognatum Adalberti Archiepiscopi Juvavienſis, Virum doctissimum & in historiis nostris crebro cum summa laude commemoratum, qui ex Monacho ad Cancellarii dignitatem a Przemislao Ottocaro I. Rege nostro evectus fuit, quemadmodum complura per manus ejus data diplomata hodie testantur. Ostendo ex historicis nostris Christannum hunc Theobaldorum sanguine, qui agnomen *de Skala* ferebant, prognatum, ut igitur merito suspicer indoctum quempiam scribam vocibus *Ecclesiæ Dei Juvavienſis* substituisse *Pragenſis*, qua una voce cardo omnis vertitur, ut hæc Dedicatio Vitæ præmissa seu S. Adalbertum Pragensem Episcopum, seu Adalbertum Salisburgensem respicere possit. Postremum denique ostendo: Vitam istam & Passionem (si quasque Apostrophes, exaggerationes, expolitiones amplificationesque excipias) meram compilationem esse ex vetusta illa Anonymi vita S. Ludmillæ, ex vita S. Wenceslai tempore Ottonis scripta, alteraque succincta, de qua jam P. III. egimus, inserta quæque esse etiam ad verbum ex Lectionibus Breviariorum Olomucensis

&

& Pragenſis, eam denique a poſterioribus quibusque auctam fuiſſe, quod toties repetita clauſula *per ſæcula Amen* manifeſtum reddit. Hanc meam tam de vita ipſa quam ejus authore ſententiam cum ante complures annos pro veteri conſuetudine R. P. Athanaſio aperuiſſem, ſimulque eidem ex mox commemorato opuſculo quædam coram prælegiſſem, ad edendam hanc SS. Ludmillæ & Wenceslai vitam ſubito animum appulit; atque ut mihi præverteret, in eadem paulo poſt typis excuſa vindicias Chriſtanno Boleslai Sævi filio primis tribus paragraphis ſcripſit, quibus ea pauca evertere conatus, quæ a me controverti audiit. Tantum abeſt, ut cum eo hoc inofficioſum cum amico agendi genus expoſtulem, ut eum etiam perquam ſecurum velim a me illi litem nuſquam movendam, poſteaquam pridem cum animo meo ſerio conſtitui hunc ingenii mei partum, dum vivam, in lucem emiſſurum nunquam, ut ne novis altercationibus fomitem ſubtrudam, iisdemque paucillum tempus, quod a curis negotiisque muneris mei ſupereſt hiſtoricis ſtudiis, extorqueatur. Hoc ſolum contra aſſerta illius pag. 9 amice monitum cupio: operam perdidiſſe, nec mihi, nec cuiquam alteri, niſi cerebrum nobis in calcaribus ſit, perſuaſurum unquam, ut tam atroces exaggerationes, ſcommata, & calumnias, quales quantasque author in Boleslaum Sævum effutit, a Chriſtanno filio profectas credamus. At *Chriſtianus monachus non agit hic perſonam filii, ſed hiſtorici*, mihi opponitur. Igitur veritas hiſtorici hiſtoriæque peſſumit, niſi præſertim filius tam atrociter in patrem invehatur, tot tantisque ſcommatibus eum oneret? Non potuit is omnem veritatem in recenſendo martyrio S. Wenceslai accurate perſequi, quin patrem ſuum *perverſum parricidam, Tyrannum, infelicem carnificem, alterum Cain, crudeliſſimum fratrum, boſtium ſeveriſſimum, membrum diaboli* &c. criminatus fuiſſet? Quem filium effingemus tam effrontem, tam omnis pietatis filialis immemorem, ut hæc non modo patri improperare, ſed etiam ad omnem poſteritatem tranſcribere auſus fuiſſet? quo animo etiam hæc laturus fuiſſet vivens Boleslaus pius, patrem ſuum tam contumelioſa oratione non præter ſummam ſuam agnatorumque omnium verecundiam laceſſi audiens, cui ſeria patris pœnitentia, tot non modo in rem politicam ſed ipſam Chriſtianam, Eccleſiamque promerita non erant incognita? Ubi, ubi in hac univerſa vita vel indicium laudis alicujus, ubi vel minima exculpatio incogitantiæ, impetus, fragilitatisque humanæ, qua errorem patris extenuare non intermiſiſſet filius? ubi author ipſe vel veſtigium reliquit alicujus verecundiæ, metus, aut excuſatio-

nis filialis, quod eum seu veritas seu pietas in patruum suum S. Wenceslaum ad hæc scribenda impulerit? Inter anthropophagos R. P. Athanasio quærendus erat istiusmodi filius sine omni sensu sanguinis reverentiæ ac pietatis, non inter principes Christianos, ac præsertim Monachos. Quod alterum adversus nos telum est: pagina 6. vocem illam *de Scala* metaphorice explicandam ait de progenie, ut idem quasi sit: *Christianus de progenie S. Ludmillæ.* Quis obsecro veterum *Scalam* in hac metaphorica significatione adhibuit? quod utique exemplis roborandum erat. Septemplicem nobis Du Fresnius significationem vocis *Scala* luculentis medii ævi monumentis exponit, pro progenie adhibitam nusquam invenit, ac proinde etiam ignoravit; ignoravit, inquam, cum illo vetustas. Ceterum maneat huic vitæ ac Passioni vetus suum pretium, etsi primum sæculi XII. exitu concinnata, pauca verba, & illa passim extra historiam, sunt authoris, ex vetustissimis & quibusque etiam coævis fontibus hausta, ac congesta est, cujus testimoniis ipse ubique utor. Quin per me licet, ac cuique liberum esto, ut sentiat & tueatur partum esse Christiani, qui fuit Boleslai Sævi filius, ego nec quemquam ab hac opinione deturbabo, nec cuiquam posthac adversabor, quandoquidem difficultates meas, quæ mihi fidem omnem eripiunt, sat superque manifestas reddidi.

(*b*) Calumnia ea est, unde unde demum Hagecius, tacente Cosma, eam hausit. Willigisi virtutem omnes coævi, posterioresque celebrant, & profecto ex utroque Biographo, quos suo tempore referemus, testatum est: Willigisum nullum non moviisse lapidem, tum ut postremum rediret S. Adalbertus, tum ut Bohemi eundem reciperent.

(*c*) Hæc tragica illa Christanni Strachiquatis historia est utraque tibia tam a nostris quam exteris decantata, de qua ut critice judicium ferre liceat, eam verbis Cosmæ enarrare necessum est: *Ventum erat,* inquit, *Moguntinæ sedis ad Episcopum: ubi peractis omnibus, quæ agenda erant, per ordinem, sicut fieri solet post examinationem episcopalem, choro lætamina modulante, dum procumbit super tapetia Archipræsul infulatus ante altare, & post eum inter duos Suffraganeos, qui ordinandus erat Ztrabquas, dum prosternitur in medio (heu dira conditio) arripitur atroci dæmonio: & quod servus Dei olim sibi prædixerat clanculo, palam fit coram clero & omni populo.* Iisdem verbis eam refert Annalista Saxo, & haud paulo aliter Latomus, non tamen alio fonte quam Cosma. Balbinus noster * universam hanc historiam in dubium vocat argumento pene uno soloque a silentio historicorum Annalium.

Annalista Saxo ad an. 995. Latomus in Carol. Archiep. Moguntin.

* *Balb. in Epit.* p. 116.

liumque Moguntinorum petito, qui *rem tantam tam tragicam in publica Ecclesiæ imperiique luce gestam* ignorarunt. R. P. Athanasius in vita a se publicata SS. Ludmillæ & Wenceslai cum male depictos Christianni Strachiquatis mores ipsamque hanc funestissimam mortem cum authore vitæ SS. Ludmillæ & Wenceslai (qui Balbino unus idemque erat) conciliare haud posset, eo plane delapsus est, ut unquam Strachiquatem aliquem Boleslai Sævi filium exstitisse negaverit (ut jam alias indicavimus) ac proinde omnia gesta illius, huncque ipsum tragicum interitum fabulæ condemnaverit, cujus fabellæ ut tamen principium aliquod causamque adferret, conatur pag. 16 & seq. lectori persuadere eam ortam esse ex Volcholdi Episcopi Misnensis paralysi, de qua Ditmarus l. 4 hæc refert: *Cum* (Volcholdus) *in Praga cœnam Domini celebraret, posteroque die, quæ est Paraseves cum memoriam Dominicæ Passionis rite perageret, paralysi percussus asportatur.* Quod R. P. Athanasius factum fuisse ait anno 995, subjungitque hanc suam crisim: *Hunc casum primitus senes Bohemi narrarunt junioribus, & hi deinde iterum posteris. Sed quemadmodum limpidissimi fontis aquæ, quo longius decurrunt, eo plus limositatis contrahunt, ut denum dissimiles sibi reddantur, ita pariter hujus casus narratio dum per longa tempora, & plurima ora transiret, adeo vitiata, & imaginariis additionibus aucta fuit, ut vix obscurum vestigium primævæ veritatis remanserit.* Et paulo infra: *Nempe in locum Volchuldi suppositus fuit Strachkwas, pro paralytico energumenus, pro consecrato Episcopo Monachus in Episcopum inaugurandus.* Hem! quanta confidentia præter omnem hæsitationem hæc commemorentur, ut si omnium istorum oculatus auritusque testis fuisset, majoris veritatis certitudinisque securum vix quidem lectorem reddere potuisset. Sed laborat pluribus vitiis basis, cui ædificium istud superstruere conatus. *Primo* enim Volcholdi paralysis non accidit Pragæ anno 995, aut eodem, quo Strachiquas mortuus, quemadmodum R. P. Athanasius statuit; nam certum est Egidium Misnensem Episcopum Volcholdi successorem jam anno 993 cathedræ Misnensis Ecclesiæ præsedisse, ut docet Langius. Quod *alterum* est: Volcholdus non fuit subita morte sublatus, quemadmodum de Strachiquate Cosmas omnesque historici patrii referunt, sed ut Ditmarus l. c. narrat: *In hac infirmitate usque ad finem hujus vitæ, quamvis ad tempus convalesceret, permansit.* Unde recentiores quique ei duos, alii plane tres annos infirmitatis tribuunt. Quod denique *tertium* est: casus Strachiquatis non accidit Pragæ, sed Moguntiæ, ut itaque animo haud assequar, quomodo

P. Athanasius in vita Sanct. Ludm. & Wen. p. 17.

Langius in Chron. Citizen. p. 768

do tam diversa temporum, ciucumstantiarum, locorumque momenta, & cumprimis diuturna Volcholdi infirmitas in subitaneam mortem Strachiquatis eamque tam tragicam, uti a nostris describitur, transire potuerint. Sed quid his tricis aut perpurgationibus opus est. Aliud ego, & quidem certissimum hujus fabellæ, *quod Christannus Strachiquas a dæmone suffocatus* creditus hactenus fuerit, principium ostendam, ostendam inquam seu profectam ex scribarum oscitantia aut imperitia, qui Cosmam exscripserunt, seu certe ex posteriorum ignorantia, qui significationem vocis *dæmonium*, quam Cosmæ ætate habuit, non intellexerunt. Ac proinde ajo: Cosmam de Christanni Strachiquatis morte veram & sinceram historiam transmisisse, scilicet eum lethifera paralysi, quam vulgo hodie siderationem & apoplexiam dicimus, subito extinctum. Cosmas nuspiam dicit Strachiquatem a dæmonio humi eousque tortum, dum animam efflasset, quemadmodum posteriores id cum Hagecio exaggerarunt, sed verba illius sunt: *prosternitur in medio, arripitur atroci dæmonio*, quæ voces ipsæ, ac præsertim adjectivum *atroci*, quendam morbum atrocem & suffocantem, quo arreptus fuit Strachiquas innuunt, secus enim præpositione *a* vix abstinere potuisset Cosmas, *arripimur enim atroci morbo*, contra *arripimur* seu melius *corripimur* a dæmone seu dæmonio. Quare hoc loco Cosmæ emendatior restituenda lectio: *prosternitur in medio, arripitur atroci demotino*, quam peregrinam, medicamque vocem cum ignoraret insciius transumtor Cosmæ, aut certe fugientes minusque sibi cognitas literas deprehenderet, substituit simillimam & sibi notissimam vocem *demonio*. Per *Demotinum* autem nil aliud intellexit Cosmas, quam atrocem lethiferamque paralysim, quam Medici syncopen lethalem, vulgus siderationem & apoplexiam vocant, id enim vox *Demotinus* medio ævo signi-

Du Fresne in Glossario voce Demotinus.

ficabat, ut Du Fresne in Glossario suo ait: *Demotinus*, inquit, *est lapsus*, quando quis morte repentina obruitur. Idem habet Rochus le Baillif in Dictionariolo Spagyrico, Rol. Johnson aliique Medici Lexicographi. Nisi dicere malimus Cosmam vocem *dæmonio* pro demotino & ejusmodi syniope lethali adhibuisse, nam certum est illius & sequente sæculo vocem *Dæmoniacus* item phrasim *a Dæmonibus teneri*, pro paralytico, & paralysi perculso homine epilepticove acceptam fuisse. Sic enim Gariopontus l. 1. c. 6. *Epilepsiæ duo genera sunt: unum est, in quo subito cadunt, nescientes, & contractionem manuum pedumque patiuntur, & cervicis tremorem. Aliud in quo spumant, & stertunt, nec contrahuntur membra, cum ceciderint, quos vulgus Dæmoniacos*

di-

dicit. Et c. 7 de iisdem loquens ait: *Qui cum tremore totius corporis tenentur, a Dæmonibus teneri dicuntur.* Hem vera origo fabulæ ex siniſtra vocis *Dæmonii* interpretatione orta! Ceſſet proinde jam tragicus ille Strachiquatis interitus in Annalibus noſtris repeti, ceſſet Balbini admiratio, ceſſent etiam R. P. Athanaſii hariolationes de Volcholdi paralyſi ad Strachiquatem perperam traducta.

(*d*) Id totum poſt martyrium primum Sancti Adalberti accidiſſe ad annum 997 oſtendemus, quo Strachiquatis mors ceteraque ſupradicta ſpectant.

PRÆTERMISSA.

I. Hucuſque Boleslaus noſter cum Miſecone Polonorum Duce inviolatæ amicitiæ vinculo junctus erat, quod demum præſente aut ſuperiore anno penitus diſſolutum eſt, quo ſemel rupto non modo inter utrumque Principem atque utriusque ſucceſſorem, ſed & gentem ipſam atrociſſimum exarſit odium, adeo ut quanquam ſubinde fluctus ſedari viderentur, tamen ad ſæculum uſque ſequens pene medium mutuis bellis vaſtationibusque terrarum decertatum ſit, quæ utrique genti multo ſanguine ſteterunt. Et quidem hoc ipſo anno cruentiſſimi iſtius belli initia jacta fuiſſe brevibus verbis prodit Annaliſta Saxo: „ Miſeco, *Annaliſta Saxo* „ *inquit*, & Bolizlaus Duces Slavorum magnis inimicitiis inter ſe con- *ad h. a.* „ flixerunt. „ Ditmaro pene ſimilia referente: „ Eo tempore Miſeco *Ditmar. l. 4.* „ & Bolizlaus inter ſe diſſonantes multum ſibi invicem nocuerunt. „ *p. 349.* Diſſidiorum iſtorum, bellorumque ne verbo quidem ſeu noſtri ſeu Poloni ſcriptores meminerunt, ut proinde obſcurum ſit quam ob rem, cauſamque exorta ſint. Reliquit tamen Ditmarus poſteritati luculenta quæque indicia, quibus ſi inſiſtamus, ſimulque priorum annorum memorias in ſubſidium vocemus, haud difficulter principium & cauſam veroſimillima conjectura adſequi fas erit. Et quidem retulimus duobus abhinc annis ex eodem Ditmaro, Annaliſta Saxone, & Coſma noſtro Miſeconem cum Ottone III. Rege puero duas expeditiones ſuſcepiſſe adverſus Slavos Aquilonares, ac præſertim Obodritos & Luiticios, quorum terræ ab illis expugnatæ, ferro & igne miſerum in modum vaſtatæ fuerunt. Jam refricanda memoria, quod pridem Parte III noſtrorum *Annal. Hagec.* Annalium oſtendimus: Boleslaum Sævum matre Luiticia, ex hodierna *P. III. p. 406* Marchia Brandeburgica, fuiſſe progenitum; revocandum item in me- *& ſeq. Item p. 541 & P. IV. p. 57 &c*

mo-

moriam, quod de Drahomiræ fratre Tugumiro Heveldorum seu Ztodoranorum Principe, ac proinde Boleslai Pii avunculo tum eadem Parte tum etiam supra ad an. 945 diximus. Hujus Tugomiri a compluribus jam annis in historiis non amplius fit mentio, ut seu illum mortuum interea, seu superiorum annorum bellis interfectum fuisse summe sit credibile, ac proinde caduca provincia ad proximum agnatum, pronepotemque ex sorore Boleslaum Pium jure hereditario reciderit, nisi dicere malimus: Drahomiram Boleslai Pii aviam quasquas demum terras aut possessiones his regionum confiniis a patre aut matre hæreditate accepisse, quas illa eodem jure ad filium, nepotemque Boleslaum Pium transcripsit. Has quasquas demum possessiones aut terras (quod incolæ communem causam cum Slavis ceteris Aquilonaribus egerint) nupero bello domuit, expugnavit occupavitque Otto cum Misecone, easque verosimillime Otto Miseconi in proprietatem concessit, seu certe Miseco consentiente Ottone ditionibus suis imperioque subjecit. Quod omnino Boleslai nostri justam ultionem non potuit non exasperare, ut ille non modo anno præsente Miseconem bello lacessiverit, sed etiam anno sequente adversus Ottonem arma prehenderit. Id totum, quod præjeci, sat manifestum redditur ex iis, quæ anno sequente contigere, atque a Ditmaro fideliter copioseque enarrantur. Nam Boleslai Pii expeditio sequente anno cum auxiliaribus amicorum suorum Luiticiorum copiis in hæc regionum confinia adornata fuit, primum quidem adversus Ottonis exercitum, cum quo jam jam decretoria pugna dimicaturus Boleslaus consilium pacis amore mutavit, ac mitiora amplexus id solum a Principibus bellicis Ottonis petiit: *ut secum ad Miseconem pergerent, & in restituendis suimet rebus se apud Miseconem adjuvarent*, inquit Ditmarus. Idipsum dein cum iisdem Ottonis Principibus ad Oderam fluvium veniens per legatum suum Miseconi nunciavit: *ut regnum sibi ablatum redderet*. Quod *regnum* seu *provinciam hereditariam* (quemadmodum vocem hanc Du Fresnius ex Legibus Alemannicis & Bajwaricis rite explicat) a Misecone Boleslao nostro ereptam ubi quæram, quam isthic in hodiernæ Brandeburgiæ regionibus apud Helveldos & Luiticos, non invenio. Nam quidquid terrarum vi Boleslao ereptum est, id vix quidem contiguum Bohemiæ aut Moraviæ, multo minus pars aliqua istarum regionum esse potuit, secus sequente anno procul dubio isthic Boleslai exercitus fuisset conservatus ad ulteriora sua tuendum, seu certe amissa vindicandum, sed cum lon-

Lex Aleman. c. 35. §. 1. Baiwar Tit. 2. c. 10. §. 1.

longinque in extrema hodiernæ superioris Lusatiæ traductus fuerit, & directe quidem adversus Ottonis exercitum: id rem manifestam reddit, isthic alicubi fuisse situm regnum seu provinciam hæreditariam Boleslai Pii a Misecone ereptam, ad quam vindicandam Boleslaus festinavit, Luiticiosque fœderatos suos & amicos veteres in armorum societatem excivit. Sed hæc sequentis anni enarratione magis magisque elucidabuntur, ut profecto quisque facile assensurus sit, non aliam, atque hanc, dissensionum bellorumque causam fuisse, nec alio fonte profluxisse, quod postea Boleslaus confines Bohemiæ ac Moraviæ Miseconis terras invaserit, ac consequentium annorum cursu victricia sua arma in regiones ultra Oderam & Cracoviam intulerit, quam quod obstinatione quadam Miseco provinciam illam ablatam reddere nollet. Cæterum cum de anno præsente Ditmarus scribit, quod *Miseco & Bolizlaus multum sibi invicem nocuerint*, quæ ista mutua nocumenta fuerint, haud proditum est; minus tamen prospera Miseconem fuisse fortuna usum eruitur ex auxiliaribus copiis, quas anno sequente a Theophania matre & Tutrice Ottonis III. adversus Boleslaum Ducem Bohemiæ petiit.

II. Jam superiore anno innuimus, S. Adalbertum Bohemiam nonnisi anno præsente primum deseruisse, quod quidem certum indubitatumque videri debet, cum sequente anno in Cœna Domini, quæ in 17 Aprilis inciderat, Romæ Monachum jam induerit, quemadmodum tam Clarissimi Viri Bollandiani quam Mabillonius hanc ipsam Chronotaxin rite amplexi sunt. Nec enim credibile est illum anno primum sequente, ut quidam volunt, hoc iter auspicatum, cum tam prolixum ex Bohemia iter Romam, aditus ad summum Pontificem, facultas ab eodem impetrata Hierosolymam peregrinandi, iter ad Cassinum montem, inde Vallilucam, reditus Romam, impetratioque transeundi ad ordinem monasticum, vix quidem in trium mensium spatium concludi possint, præsertim cum omnia ista itinera, ut uterque Biographus testatur, pedes confecerit, & nonnisi *unum asinum pro portandis oneribus*, ut prior dicit, mercatus sit. Ad hunc igitur annum pertinet adventus Strachiquatis Pragam, oblatio eidem facta Episcopatus, Pragensis cæteraque, quæ anno superiore ex Cosma de ejusdem simulata tergiversatione retulimus. Causas vero deserti Episcopatus a S. Adalberto his verbis exprimit prior Biographus: *Vidit ergo Episcopus quia divinis legibus adversum ire omnibus modis festinaverunt, vidit quod obdurato corde in*

Acta SS. ad 23 Aprilis Mabil. sæc. V. Bened. in notis in vitâ S. Adalberti.

Mabillon. sæc. V. Bened. p.

Deum grandia quæque & nova scelera adimplere meditantur. Vidit optimæ gubernationis frustrari lacertos, plus etiam obesse sibi, quam populo prodesse. Deflet ergo peccatum, & amarissimo luctu prosequitur damna perditæ gentis. Ad ultimum cogitat melius esse relinquere, quam in coeco & sponte pereunte populo operam perdere, quod maxime de tribus causis actum esse dicunt, qui hujus rei ordinem ipso narrante compererunt. Prima & velut principalis causa propter plures uxores unius viri, secunda propter detestanda conjugia Clericorum, tertia propter captivos & mancipia Christianorum, quos mercator Judæus infelici auro emerat, emptosque tot Episcopus redimere non potuit. Subjungit deinde author S. Adalberti somnium, quod expergefacto Willico ejus præpositus de hoc ipso Christianorum inter Judæos iniquo mercatu explicavit. Alter Biographus præter has tres causas etiam quartam subjungit: *Contradicentem Episcopum iniquo odio oderant, & sub tutela*
Ibid. p. 867. *quique suorum contra ipsum majores terræ excitabant.* Persequitur vero prior Biographus: *Hæc sanctus Episcopus æqua lance perpendens & ab imo cordis longa suspiria trahens, amplius stare timuit, sicque consilio doloris accepto venit Romam, & Apostolicæ Sedis Pontificem, quid in tanto suo populique discrimine agendum foret, gemebundis quæstionibus inquirit: . . . . . Ad quæ Apostolicus: Fili, inquit, quia te sequi nolunt, fuge, quod nocet. Operæ pretium est enim, si cum aliis fructum facere non potes, vel te ipsum non perdas,* Quare in eo consilio arripe tibi *otia contemplationis, & sede inter eos, qui vitam quietam in studiis dulcibus & salubribus agunt. Hac itaque velut divina responsione animatus cum ad futura Sanctorum gaudia ardenti desiderio anhelaret, statuit secum natale suum solum notioresque populos derelinquere. Vult pro Domino peregre proficisci, atque velut sub alio sole inopem ducere senectam. . . . Post hanc suæ mentis deliberationem argentum pauperibus large distribuens episcopalem cameram evacuavit.* Nec dubitare velim idipsum præsente adhuc anno accidisse, quod uterque Biographus de S. Adalberto ad Theophaniam Romæ evocato factum narrat. Nam certum est Theophaniam jam hoc anno transiisse ad Italiam, quod Annales Hildesheimenses, Chronographus & Annalista Saxo iisdem pene verbis referunt: *Theophanu Imperatrix mater Regis Romam perrexit, ibique Natalem Domini celebravit, & omnem regionem Regi subdidit.* Non tamen illa continuo triennio Romæ perstitit, uti minus recte sen-
Annales Baronii ad h. a. sit Eminentissimus Baronius, nam sequente anno veris tempore ad Germaniam rediit, certumque est illam in Majo jam fuisse Magdeburgi,

ibi-

ibidemque ad medium pene Julii perſtitiſſe, quo menſe Miſeco ab ea auxiliares copias adverſus Boleslaum Pium petiit & impetravit, ut eo anno oſtenſuri ſumus. Jam vero rurſum ex priore Biographo audire libet, quæ Imperatricis in S. Adalbertum liberalitas fuerit, quantusque Viri Sancti divitiarum comptentus: *Erat*, inquit, *ipſis diebus Romæ Imperatrix auguſta Theophania mater ejus, qui modo regnat, tertius & Deo juvante maximus Otto, cui pia cura circa pauperes cum ſummatibus viris & bene quærentibus Chriſtum ſinceriſſima dilectio fuit. Hæc comperto, quod gratia orationis exſulans ille* (Adalbertus) *uſque Jeroſolymam pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti tantum, quantum juvenis Gaudentius* (frater S. Adalberti) *vix levare poſſet, pro viatico accipere fecit. Quod eadem conſequenti nocte pauperibus fideliter diviſit, atque ab uno denario* (id eſt ad unum denarium) *totum expendens nil ſibi retinuit.* Quod omnino vel fine anni hujus, vel ſequentis primis diebus factum fuiſſe rerum ante cucullum aſſumtum geſtarum combinatio perſuadet. *Mabill. cit. l. p. 855*

III. Huic anno præterea Coſmas hæc apponit: *Eodem anno cometæ apparuerunt, quos peſtilentia ſubſecuta grandis hominum & jumentorum, maxime boum.* Sequente anno rurſum ait: *Eclypſis ſolis facta eſt XII Kal. Novembris quinta hora diei.* Jam anno ſuperiore 988 retulimus eundem annum ab immani æſtatis fervore, ſterilitate, peſtilentiaque infamem notatum fuiſſe. Alia vero Chronica vetuſta non modo præſentem ſed & duos ſubſequentes annos a calamitate, quæ fruges agreſtes cumprimis perculit, inauſpicatos lamentantur; quæ annorum ſibi ſuccedentium calamitates procul dubio illi perpetuæ traditioni apud gentem noſtram principium dedere, quod poſt deſertam a S. Adalberto Bohemiam, totoque ſuæ abſentiæ tempore, regio præter ſterilitatem diverſis ærumnis quaſſata fuerit. Tam Hagecius, quam ceteri poſteriores paſſim calamitatum iſtarum cauſam in anathema eccleſiaſticum rejiciunt, quo S. Adalbertum ſub diſceſſum ſuum Bohemiam omnesque Ducatus incolas perculiſſe affirmant. Quas demum reduce eodem, benedictionemque e viridi monte Bohemiæ impertiente quaſi oculi nictu evanuiſſe ajunt. Cum anno ſuperiore Reverendiſſimi, Perilluſtris, ac Ampliſſimi DD. Friderici Abbatis ſumma gratia Archivum Brzevnovienſe exſcribendi facultas mihi data eſt, incidi in pervetus membranaceum documentum Bullæ Innocentii IV Papæ anno ſui Pontificatus ſecundo, III Nonas Decembris datæ, qua ille Abbati Brevnovienſi po- *Apud Menken. T. III. p. 1777*

teſtatem dat vinculum excommunicationis, quod S. Adalbertus in cives Pragenſes ſterilitatis tempore venalem cereviſiam conficientes vibraſſe perhibebatur, relaxandi. Quæ Bulla cum nuſquam typis vulgata, imo paucis, quod ſcio, hactenus cognita ſit, eam hic integram aponere dignum cenſui, ut demum de re ipſa judicium aliquod ferri poſſit. Eſt autem tenoris ſequentis:

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei: Dilecto filio . . . . Clementi *Abbati de Breuno Ordinis S. Benedicti Pragenſis Diœceſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri. . .* Wenceslai *Illuſtris Regis Boemiæ nobis exſtitit ſupplicatum, ut cum dudum a recolende memorie Beato Adalberto Pragenſi Epiſcopo propter ſterilitatem afficientem tunc nimium partes illas excommunicationis ſententia in omnes cives Pragenſes venalem conficientes cereviſiam prolata fuiſſe dicatur, & nunc per Dei gratiam magna ſit in partibus eisdem annone fertilitas, providere ſuper hoc miſericorditer curaremus. Quo circa diſcretioni tue per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, auctoritate noſtra hujusmodi ſententia relaxata civibus ipſis venalem conficiendi cereviſiam, præſertim cum multam, ſicut dicitur, vini penuriam patiantur, licentiam largiaris. Datum Lugduni III. Nonas Decembris Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

S. Ar.

Admodum perplexa res videri poteſt: cur S. Adalbertus braxatores Pragenſes ob id, quod venalem confecerint cereviſiam, excommunicationis ſententia ferierit, & cur primum poſt ducentos ſexaginta facile annos Wenceslaus Rex hoc vinculo eos abſolvi petierit? Profecto cum ex Bullæ hujus contextu manifeſtum ſit jam Wenceslaum in petitione ſua (per verbum *dicatur*) nonniſi ad rumorem & communem famam provocaſſe, ac proinde etiam Pontificem ſimili conditione (*quatenus, ſi eſt ita*) eidem petitioni ſubſcripſiſſe, haud vana argumentatio deducitur, eandem excommunicationis memoriam quaqua demum traditione ad Pragenſes & Wenceslaum Regem fuiſſe traductam. Quod fulmen eccleſiaſticum ſi revera a S. Adalberto latum fuit, id nonniſi ſuperiore aut præſente anno accidere potuit, quo ſterilitatem tantam indicavit non modo Coſmas, ſed & alii veteres Chronographi. Nec id prorſus incredibile videri debet, ſi fortaſſis Boleslaus ſuperiore aut hoc anno ad prævertendum univerſali fami per Ducatum ſuum gene-

ra-

ratim omnem coctúram cereviſiæ inhibuit, ut ita hordeum triticumque, hoc potu diſperdi ſolitum, magis neceſſario uſui panique ſervaretur. Quod Principis mandatum ſi Pragenſes prætergreſſi ſunt, aut Boleslaus transgreſſores ſeu non ſatis cohibere potuit, ſeu extremis pœnis ſuppliciisque non voluit, haud incredibile eſt eum ad frequentatiſſimum his ſæculis remedium, fulmen ſcilicet eccleſiaſticum recurriſſe, Sanctoque Adalberto perſuaſiſſe, ut in transgreſſores cenſuram eccleſiaſticam ferret. Quo fortaſſis ſcrupulo adhuc Wenceslai I. Regis tempore moti quidam Pragenſes braxatores ad relaxationem a ſummo Pontifice petendam eidem ſupplices facti ſunt. Nam fidem omnem excedit: a tempore S. Adalberti uſque ad Wenceslaum I. per ſemitertium ſæculum Pragenſes cives nullam venalem cereviſiam confeciſſe. Cur autem ea Bulla Abbati Brzevnovienſi, non Epiſcopo Pragenſi inſcripta fuerit, cauſa, ad eum annum cum pertigerimus, manifeſta reddetur.

ANNUS 990.

In urbe tum erat Adalbertus, cum pro illo in Bohemia cœlum pugnabat, cui quantæ curæ eſſet, etiam illic precibus nocturno tempore vacanti oſtendit. Nam monitus a Chriſto, Hungaros, Slavosque Pannonios adiret, inde ad epiſcopalem ſuam ſedem reverteret; (a) quod cum Joanni hujus nominis XVI aperuiſſet, (b) voluntati Dei obſequi juſſus eſt. Nec mora, ſalutato Romano Pontifice, Abbatem ſuum, fratresque oſculo poſtremo amplexus, alpes verſus iter direxit. Conſcenſa Anconæ navi Scardoniam primum vela fecit, inde pedeſtri itinere Modruſſiam Croatiæ cum veniſſet, in ejus gentis populos avitæ religionis pietatem qua verbis, qua exemplo vitæ, tum maxime (ut Chronica

S. Adalbertus denuo Romam deſerit.

Opa-

Opatovicenſia memorant) miraculis etiam, nuſquamque auditis prodigiis revexit. Bayenus Bulgarorum Rex (c) audita fama Viri, videndi ejus deſiderio exarſerat, ſed prætulit Adalbertus Hungarorum Regem, quem in re Chriſtiana nonnihil vacillare compererat. Relicta itaque Modruſſia tertio die Hungariam attigit, moxque Strigonium verſus iter dirigens iſthic Regem, ut anhelarat, reperit, quem ad veram pietatem & Chriſtianæ virtutis ſtudium latino potiſſimum ſermone inſtituit. (d)

Per Croatiam ad Hungarorum Regem ſe convertit.

Hic loci præterea rogatu cujusdam nobilis & prædivitiis Apuli cognomento Deodati, nuperrime ex Comitatu *ſuo* Sancti Severini in Hungariam transgreſſi cœnobium magnis ſumtibus ab eo erectum conſecravit. Inter quæ accidit, ut duo juvenes in Hungariam ſtudiorum cauſa profecti ea loca præterirent, agnitumque Adalbertum magna cum veneratione ſalutarent. Rogati a Deodato, qui eſſent, & unde hoſpitem noſſent, patria lingua Bohemos ſe eſſe dixerunt, ſubdideruntque eadem lingua: To geſt náſs Táta, quod erat dicere: Noſter pater eſt. Deodatus ab eo tempore non aliter hoſpitem Epiſcopum, quam *Tata* appellare ſolitus, idemque nomen honoris cauſa cœnobio ſuo indidit.

S. Adalbertus conſecrat cœnobium Tata.

(e) Adalbertus vero cum paganis locorum iſtorum populis Chriſtum annunciaſſet, plurimosque ſacro lavacro expiaſſet, in Bohemiam ſe tranſtulit, ac Boleslao literas, quas ſibi una Pontifex maximus dederat, tradidit, quibus ei plena poteſtas conceſſa, monaſteria eccleſiasque per Ducatum ſuum erigendi. (f)

Redit denuo ad Bohemiam.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 990.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 6. OTTONIS. III. REG. 8.

BOLESLAI II. AN. 24. S. ADALBERTI EP. PRAG. 9.

(*a*) De hac visione silent Biographi. Visionem illi factam de mercatu Christianorum, quem Judæi exercebant, jam anno superiore retulimus.

(*b*) Sedit hoc anno adhuc Joannes XV, & cathedram Petri usque ad annum 996 obtinuit.

(*c*) Hæc annorum periodo minime Bayonum aliquem, sed Samuelem Bulgaris Regem fuisse ex Cedreno aliisque cognoscimus. Cæterum quæ Chronica illa Opatovicensia sint, ad quæ Hagecius provocat, nullus scio. Ea, quæ ab Hieronymo Pezio edita sunt, de his altum silent. Nec vero ullus ex tot S. Adalberti Biographis hucusque a me repertus est, qui itineris istius reditusque per Croatiam meminisset. Quæque ea demum sint Chronica, minime synchrona vetustaque esse, tot errores Chronologici ostendunt, nec enim illa per tres annus S. Adalberti Romæ commoratio, nec Joannis XVI aut Bayeni Bulgariæ Regis subiestum nomen cum Biographorum aliorumque cœvorum Historicorum relatis conciliari possunt.

(*d*) Nolim dubitare S. Adalbertum præter illam primam ad Hungariam profectionem, de qua ad annum 984 in Prætermissis egimus, crebrius ad S. Stephanum Hungarosque invisisse, quod ex altero Biographio non obscure conjicitur; sed ejusmodi in Hungariam profectio præsente anno minime accidere potuit, cujus initio iter suum Hierosolymam auspicatus, paulo post dimisso consilio Romam redux monachum induit, ac inter monasterii septa perstitit. Noster Pater Victorinus huic Hagecii narrationi sequentia non inconcinne subjicit: "Non legimus quidem Episcopatus Pragensis terminos Strigonium usque ultra Wag & Danubium fluvium fuisse protensos. Sed cum termini isti a Papa Benedicto, Ottone I, & Boleslao constituti fuerint ante S. Stephani, imo & Geizæ baptismum, postea vero S. Adalbertus suis Apostolicis laboribus hunc ipsum terrarum ambitum Christo lucrifecerit, ce-

„ cerit, ſuæque diœceſi adjecerit, hinc non præter fudamentum a Ca-
„ talogis Strigonienſium Præſulum pro primo ſedis Epiſcopo, imo Ar-
„ chiepiſcopo habetur. „ Hactenus noſter P. Victorinus. Nos vero paulo poſterius examinabimus, qua veritate S. Adalberto etiam Archiepiſcopi titulus tribuatur.

(*e*) Horum narratorum quædam veſtigia ſunt in Thuroczii ſcriptoris Hungari capite 10. Hagecius quidem in Catalogo Authorum Annalibus ſuis præmiſſo Thuroczium non nominat, refert tamen quendam *Theobaldum Fegber Ungarum*, quem hiſtoricum Hungariæ fuiſſe credidit, ſed lapſus graviſſime: Theobaldus Feger enim civis Budenſis anno 1488 III Nonas Junii ſumtibus ſuis Chronicon Hungaricum Anonymi, quod illud ipſum Thuroczii eſt, Auguſtæ Vindelicorum excudi fecit, quæ Thuroczii editio, uti & altera, quæ eodem anno ſub Anonymi quoque titulo 20 *Martii in inclyta terræ Moraviæ civitate Brunenſi* prodiit, inter primas rariſſimasque artis typographicæ lucubrationes hodie magno in pretio habetur. Sed ad Thuroczii narrata redeamus, quæ præ Hagecio audire libet: *Intravit ergo primo* (Hungariam) *Deodatus, de Comitibus S. Severini de Apulia, qui fundator exſtitit monaſterii de Tata & parator. Iſte etiam cum S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo Sanctum regem Stephanum baptizavit. Cujus quidem monaſterii nomen pro eo Tata appellatur, quia cum beatus Rex Stephanus ipſius nomen ob reverentiam non exprimeret, ſed eum* Tata *appellaret, abolitum eſt nomen Deodati,* & Tata *exſtitit vocatus, unde etiam ipſius monaſterium taliter eſt vocatum.* In hac narratione Thuroczii (qui a ſæculo temporibusque iſtis aliquanto remotior fuit) quasdam ego traditionis reliquias ſuperſtites remanſiſſe merito ſuſpicor, quæ fincera veritate hiſtorica profluxere, eas jam ex veterioribus coævis in lucem aliquam vindicare operæ pretium cenſeo. Vix quidem dubium mihi videtur Thuroczium per *Deodatum* ſuum, quem aliter *Tatam* appellatum fuiſſe ait, S. Adalberti *Papatem Radlam* intellexiſſe, qui poſtea monachus factus *Anaſtaſius*, slavice vero *Aſtricus* dictus fuit, ita ut *Papas, Radla, Deodatus, Tata, Anaſtaſius, Aſtricus*, unus idemque prorſus, & unum idemque nomen mihi videatur viri tantopere in vita S. Adalberti celebrati, quemque alter Biographus *ſervum martyris* appellat. *Radla* verum & primigenium nomen illius fuiſſe (quod paſſim in Clericali adhuc ordine ferebat) ex utroque Biographo diſcimus. *Papatis* nomen a S. Adalberto impetravit, qui eum a prima ſua pueritia habuit educatorem, ſeu ut Biographus ait *pædagogum morum, & magiſtrum* len-

apud Schwandtner Script. Hung. T. I. p. 86

ſenſuum, qui eidem ſancto per omnem poſtea vitam non modo domi familiaris, ſed & itinerum extra Pruſſiam comes, & pater ſpiritualis erat. Eam enim ſignificationem vox *Papas* eo ſæculo habuit, ut *pædagogum, magiſtrum, & patrem* connotaret, quæ slavice per *Tata* exprimebatur. Factus ille deinde monachus pro ſolemni Ordinis S. Benedicti more, nomen *Anaſtaſii* indeptus eſt, quod majores noſtri slavice *Aſtrik* reddebant, unde factum, ut idem jam *Anaſtaſius*, jam *Aſtricus* vocaretur. Aſtricum & Anaſtaſium unum eundemque fuiſſe, extra omne dubium eſt, nam id omnes hiſtorici noſtri tam veteres quam recentiores affirmant, idem paſſim ſentiunt ſcriptores Hungarici, ut taceam id manifeſtum reddi non modo ex Chartuitio primo vetuſtiſſimo S. Stephani Biographo Hungaro, ſed & e diplomatibus, quæ ſuis locis proferemus. Jam ut etiam probemus Papatem Radlam eundem fuiſſe cum Aſtrico, luculenter id demonſtratur ex ſecundo S. Adalberti Biographo, qui habetur in Codice Suriano, ibi enim ſub annum 993, quo S. Adalbertus ſecundo deſeruit Bohemiam, jam vocatur *Aſtricus*, cum ſuperioribus annis haud aliter atque *Papas Radla* vocatus fuerit. Scilicet eo anno jam Anaſtaſius ſeu Aſtricus monaſterii Brzevnovienſis ad Pragam Prior ſeu Abbas erat, ut ad eum annum oſtendemus. Habemus jam itaque quatuor expedita nomina *Radla*, *Papas*, *Anaſtaſius*, *Aſtricus* unius ejusdemque viri educatoris, magiſtri patrisque ſpiritualis S. Adalberti. Reſtat ut *Tatæ* & *Deodati* nomen, quo eum Thurczius indigitat, ad eum ipſum ſpectare probemus: Thuroczius mox laudato loco dicit: quod Deodatus ſeu Tata *cum S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo S. Stephanum Regem baptizavit*. Idemque ſubjungit: quod S. Stephanus eundem *ob reverentiam Tata* appellaverit. Quo Tatæ nomine quem alium indigitari dicemus, atque Papatem Radlam ? qui cum ordinis Clericalis fuerit, individuusque ſocius & itinerum S. Adalberti comes, procul dubio S. Adalberto in ceremoniis baptiſmi Stephani adſtitit, ut jam ad annum 984 præoccupavimus, inde in rudi adhuc rituum Chriſtianorum Hungarico populo opinio invaluit, demum in traditionem transgreſſa, ut Tata cum Sancto Adalberto Stephanum Regem baptizaſſe creditus fuerit, cum nemo Chriſtianorum ignoret baptiſmum nonniſi ab uno conferri poſſe. Idem Radla cum S. Adalberto Papas, ſeu pater, communi autem & familiari Bohemorum Slavorumque ſignificatione *Tata* appellatus fuerit: inde veroſimillime etiam profectum, quod S. Stephanus eandem appellationem aſſumpſerit, & venerationis ejusmodi cauſa illi tribuerit, quia reipſa eidem quoque ſpiritualis Pater fuit,

Du Freſne in Gloſſario.

Tatam Patrium S. Stephani fuiſſe paſſim Hungari ſcriptores memorant.

fuit, aut plane Patrini vices, in defectu Christianorum, in baptismo egit. Profecto eundem Papatem Radla non modo frequentem fuisse in Hungaria, sed etiam magna auctoritate & gratia plurimum valuisse apud Geizam S. Stephani patrem, ex altero Biographo S. Adalberti manifestum fit; nam S. Adalbertus ad Prussos transiturus adhuc ex Polonia maxime urgentes ad Geizam dedit literas, quibus petiit ut suum Papatem Radla a se dimitteret, sibique Missionis suæ Apostolicæ socium fieri pateretur. Idem Radla postea Monachus factus, Episcopusque Colocensis a S. Stephano constitutus, Romam pro impetranda regia corona missus est. Ut plane testatum fiat, hunc *Tata* vix quidem alium fuisse a Papate Radla seu Anastasio. Nec obstat quod Bonfinius vocem *Tata* Italicam, Ritius Hungaricam dicat, qua utraque gens *patrem* indicet, quam eandem vocem etiam Du Fresnius apud Græcos pro *nutritio & pædagogo* acceptam fuisse ostendit. At certe per antonomasiam hoc ævo nemini tributa legitur, quam Radlæ toties commemorato, ut taceam nec ab ipsis peritioribus rei Grammaticæ Hungaris pro primigenia voce patria agnosci, quam potius a Slavis adoptatam credunt. Apud nos autem Slavosque omnes vox hæc olim hodieque significationem istam semper retinuit. Sic Lucius ex Diplomatibus ostendit, veteribus Croatis Dalmatisque *Dad* Seniorem, avumque significasse, sic apud nos hodie non modo pater venerationis causa a filiis appellatur *Tata*, sed & rudis populus passim venerabiles Senes, Patres suos Spirituales ac Confessarios eadem appellatione, aut plane diminutivo *Taticzek* impertit. Jam ut ad postremum *Deodati* nomen a Thuroczio proditum veniamus, etiam istud Papati Radlæ non repugnat. Communis est Geographorum omnium persuasio, quod ipsum passim Lexica Geographica docent, eodem loco, quo suprafatum monasterium Tata conditum fuit, antiquitus & Romanorum temporibus stetisse urbem quandam nomine *Theodatam*, quam Isthuamsius aliique magnam & celebrem urbem fuisse prædicant. Quid mirum si historiarum veterum rudis Thuroczii ætas nomen vetus urbis ad ipsum Tatam monasterii isthic posterius excitati conditorem deflexit, atque ex Theodata Deodatum seu Theodatum effinxit. Istiusmodi etymologicæ argutiunculæ haud infrequentes sunt in historiis sequiorum sæculorum, quemadmodum vel id jam crebro tot exemplis Hagecii nostri testatum fecimus. Ex quibus jam non levis argumentatio deducitur, Tatam illum seu Deodatum Thuroczii vix quidem alium fuisse a Papate Radla seu Anastasio postea Colocensi Episcopo. Nec vero Hagecii Chronologiæ repugnat, ut præsente anno initia monasterii di-

Du Fresnius in Glossar. voce Tata.

Lucius de regno Dalmatiæ & Croatiæ l. 2 c. 15.

cti

ĉti *Tata* defigantur. Nam uti in Prætermiſſis paulo infra oſtendemus, hoc ipſo anno Papas Radla Romæ S. Adalbertum monaſticæ vitæ inſtitutum amplexum deſeruit, rediitque ex Italia. Quidſi ille ipſe eſt, qui conſcenſa Anconæ navi per Croatiam ad Hungarorum Regem tranſiit? quid ſi Papati Radlæ *ſervo Martyris* ipſe Martyr Sanctusque Adalbertus perperam ſubſtitutus? Certe Radla, non S. Adalbertus, *Tatæ* ſeu *Papatis* nomen ferebat. Ipſe enim S. Adalbertus ad Geizam Hungarorum Ducem de eodem Radla ſcribens ait: *Papatem* (id eſt Tata) *propter Deum ad me mitte eum.* Idem Radla cum præſente anno Adalbertum ad montem Caſſinum & Valelucam in *Apuliam* uſque comitatus fuerit, ac inde per Romam in Hungariam advenerit, an non fortaſſis hinc quoque illæ traditionis Thuroczianæ reliquiæ exortæ, quod eum ex Apulia adveniſſe ſcripſerit, ſed neſcio ſimùl quem uxoratum S. Severini Comitem commentus ſit. Sane tot tamque diverſa, quæ a variis hiſtoricis proferuntur, hac via optime conciliari poſſunt, & ex Biographis S. Adalberti aliisque veteribus in magnam lucem præter omnem vim hiſtoriæ aut Chronologiæ illatam vindicantur. Sed ut reliqua de eodem Tata a Thuroczio prodita proſequamur: Fuit Papas Radla adhuc anno præſente, quo S. Adalbertum Romæ deſeruit, *ordine Clericus* (id eſt ordinis eccleſiaſtici, nec dubitare licet jam presbyterum fuiſſe) ut prorſum non repugnet eum *fundatorem & paratorem* (id eſt exornatorem) *fuiſſe monaſterii de Tata*, quemadmodum Thuroczius loquitur. Id enim ſeu ex patrimonio ſuo, ſeu ex collectis in domo ditiſſimi Slawnici patris S. Adalberti opibus, ſeu denique ex donis & præmiis tam a S. Adalberto, quam Geiza uxoreque illius obtentis præſtare potuit. Ceterum Bonfinius hoc monaſterium *Tata* haud procul Danubio abfuiſſe, nomenque vetus cum adjacente villa ævo ſuo retinuiſſe ſcribit, quo loco poſtea Mathias Corvinus regiam magnificam cum vivariis & lacu exſtruxit. Hodie vero (uti ad me Vir amiciſſimus mihi R. P. Norbertus Ordinis noſtri ſuperior Veſzprimienſis perſcripſit) hic loci nec monaſterium, nec titulus quidem Superſtes Abbatialis dignitatis, ſed SS. Petri & Pauli Præpoſitura, quam tenet Parochus amplo nomine, ſed vix ullis quidem redditibus. Hortus fontibus irriguus veteris monaſterii non ita pridem ceſſit Celſiſſimæ Eſzterhaſianæ Familiæ gratia, Scholis Piis, quo loco eorundem Principum munificentia nunc ſumtuoſum Collegium Ordinis noſtri aſſurgit.

Apud Mabill. ſæc. V. Bened. p. 869

Du Freſnius in Gloſſar. voce parator.

Bonfinius Dec. II. l. 1. p. 169.

(*f*) Meminit præterea Coſmas quarundam literarum Apoſtolica-
Coſmas ad an. rum, quas *Privilegium Epiſcopatus Pragenſis* appellat, in eoque ait
999. l. 1. p. 19 fieri mentionem terminorum, quouſque Boleslaus Pius *ferro Ducatum ſuum dilataverat.* At literas ejusmodi Pontificias, quales hic Hagecius perhibet, unquam exſtitiſſe multum dubito, nam Papæ auctoritate vix quidem opus fuit Principibus ad condendas Eccleſias & monaſteria; quamquam mos fuerit perpetuus, ut Eccleſiarum Rectores & Monachi fundationum donationumque confirmationem a ſede Apoſtolica expetere ſint ſoliti. Iſtud vero ex poſteriorum temporum hiſtoria patria cognoſcimus circa Religioſorum introductionem, novorum monaſteriorum erectionem aut permutationem obſervatum fuiſſe, quod Epiſcopi noſtri Ducum Regumque indulgentia plenam integramque auctoritatem habuerint, adeo ut ab eorum ſolo arbitrio dependerit novos ordines in Ducatum ſuſcipere, aut priſcis religioſis ſeſſoribus condendorum novorum monaſteriorum & Collegiorum facultatem impertiri. Hujusce rei adhuc recentiſſima exempla ſuperſunt ex ſuperiore ſæculo Eminentiſſimi Cardinalis & Archiepiſcopi Pragenſis Comitis ab Harrach.

PRÆTERMISSA.

I. Jam ſuperiore anno inſinuavimus, gravius hoc anno Meſiconem inter & Boleslaum exarſiſſe bellum, quod Annales Hildeshemenſes, Chronographus, & Annaliſta Saxo confirmant, locupletiſſime au-
Ditmarus l. 4 tem Ditmarus deſcripſit, cujus jam verbis uti libet: *Bolizlaus Luiticios,*
p. 349. & ſeq. *ſuis parentibus & ſibi ſemper fideles, in auxilium ſuum vocat: Miſeco autem prædictæ Imperatricis* (Theophaniæ) *adjutorium poſtulat, quæ cum tunc in Magdeburg fuiſſet, Giſilerum ejusdem Archiepiſcopum, Comitesque hos: Ekkibardum, & Eſiconem, Binizonem cum patre meo, & ejus æquivoco Brunone, Deudone, ceterisque compluribus eo miſit. Qui proficiſcentes vix cum quatuor legionibus ad pagum Selpuli dictum venerunt, ac juxta unam paludem, ſupra quam pons longus porrigitur, conſederunt. Et ecce in noctis ſilentio unus ex ſociis Willonis, qui pridie ad perſpiciendum ſuimet prædium præcedens a Bohemis captus, evadens periculum imminens, Binizoni indixit Comiti. Tunc noſtri ejus admonitione celeriter ſurgentes ſe præparant, & in ipſo jam venientis auroræ crepuſculo miſſam audiunt, quidam ſtando, & alii ſuper equos ſedendo, & in ortu ſolis exeunt e caſtris ſolliciti de eventu futuri certaminis. Tunc*

Bo-

Bolizlaus cum ſuis venit turmatim III. Idus Julii, & utrinque nuncii mittuntur, & ex parte Bolizlai quidam miles Flopan nomine, ad perſpiciendum agmen noſtrorum acceſſit, & reverſus inde interrogatur a Domino: qualis eſſet exercitus hic, ſi cum eodem potuiſſet pugnare, an non? Hortabantur *enim hunc ſatellites ſui, ut nullum de noſtris vivum fineret abire. A quo* (Flopano) *ſic ei redictum:* "*Exercitus hic „ quantitate parvus: qualitate ſua optimus, & omnis eſt ferreus pugnare cum eò tibi potis eſt: ſed ſi tibi hodie victoria evenit, ſic proſterneris, ut fugiendo Miſeconem inimicum tunc continuo perſequentem vix aut nequaquam evadas, & Saxones tibi hoſtes in perpetuum „ acquiras: ſi autem victus fueris, finis eſt de temetipſo, & de omni regno ad te pertinenti: non enim remanet ſpes ulla reſiſtendi inimico te „ undique ſecus vallanti.* „ *Talibus alloquiis furor illius ſedatur, & pace facta Principes noſtros alloquitur* (Bolizlaus) *ut qui contra eum huc venirent, cum eo ad Miſeconem pergere, & in reſtituendis ſuimet rebus ſe apud Miſeconem adjuvare voluiſſent.* Quæ veroſimilima cauſa fuerit belli Miſeconem inter & Boleslaum exorti, & quæ terræ illæ fuerint, quas ſibi reſtitui petiit Boleslaus, jam anno ſuperiore præoccupavimus. *Selpuli* autem pagus, quo uterque exercitus convenerat, erat pagus Slavicus *inter fluvios Niſam* (ſcilicet ſuperiorem illum in hodiernaLuſatia) *& Queiſam Soram vel Zaram & Gærlicium*, uti Abbas Gotvicenſis definit, quo loco & illum in Tabula noſtra Geographica medii ævi Parte II, conſignavimus. Sed audire juvat proſequentem Ditmarum, quidve Miſeco ad oblatas pacis conditiones reſpoñderit: *Hoc laudabant*, inquit, *noſtri, & Giſilerus Archipræſul cum Ekkibardo, Eſicone, & Binizone Comitibus proficiſcebatur cum eo* (Boleslao) *ceteris omnibus domum cum pace revertentibus. Adveſperaſcente jam die his omnibus arma ſumuntur, & mox cum juramento firmatis redduntur. Venit Bolizlaus cum noſtris ad Oderam, ad Meſiconem nuntius mittitur, qui diceret:* "*ſe „ in poteſtate ſua auxiliatores ſuos* (ſcil. Principes Theophaniæ) *habere, ſi regnum ſibi ablatum redderet, hos incolumes abire permitteret, „ ſin autem, omnes perderet.* „ *Sed Miſeco his talibus reſpondit:* "*ſi „ voluiſſet Rex* (Otto), *ſuos* (Principes) *acquireret ſalvos, aut ulciſci „ perditos faceret; etſi hoc non fieret, quod propter eos nil omnino per„ dere voluiſſet.* „ *Hoc Bolizlaus ut accepit, ſalvis omnibus noſtris, quæcunque potuit ex locis circumjacentibus prædatur, ac incendit. Inde reverſus urbem unam nomine poſſedit, & hanc cum Domino ejus, urbanis nil repugnantibus acquiſivit, eundemque Luiticis ad decollandum*

de-

dedit. Nec mora: hæc hostia ante urbem offertur, & de reversione ab omnibus tractatur. Nullum dubium est Ditmarum urbem illam nomine retulisse, cum dicat: *urbem unam nomine*, quæ hodie in omnibus illius exemplaribus desideratur, eaque ne quidem apud Annalistam Saxonem expressa legitur; at conservavit nomen illius Cosinæ codex Dresdensis, cujus ad præsentem annum verba sunt: *Item eodem anno Nemci perdita*, id est capta aut vastata est. Est autem urbs *Nemci* civitas hodierna *Nimptsch* in Silesia in Ducatu Briegensi inter Reichenbach & Strelen a veterioribus sæpe commemorata. In vita S. Ottonis Episcopi Babenbergensis vocatur: *Nemetia urbs Ducis Polonorum.* Ditmarus de expeditione Saxonum in Silesia hodierna loquens, ait: *Inde* (ex urbe Glogua) *electas ab exercitu valido XII. legiones ad urbem, eo quod a nostris olim sit condita, Nemetzi dictam, præmisit, posita autem est hæc in pago Silensi.* Abbas Gotvicensis linguæ Slavicæ minus gnarus in hunc locum Ditmari commentans ait: *Nomen Nemetzi sortita fuit haud dubie ab antiquis Nemetibus ad Rhenum, prout Freberus in Orig. Palat. cum Crusio in Annal. Suev. non improbabiliter animadvertit.* Sed indubium est, urbem hanc, quæ colonia Germanorum fuit, nomen istud a Slavis undequaque circumfusis accepisse, quibus cum communi significatione Germanus Němec Niemetz vocetur, ad indicandum, urbem locumque Germanum esse, Němci appellarunt. E quibus intelligimus, quousque Boleslaus præsente anno vastando & incendendo omnia pervaserit, scilicet a Ducatu hodierno Glogovienſi, qui adversam partem tenet pago Selpuli, usque ad Ducatum Briegensem, adeoque omnes eas Cisoderanas Silesiæ plagas; annis sequentibus etiam victricibus armis trans Oderam, & in Cracovienſem provinciam translatis. Verum, quæ porro Ditmarus subjungit, quibusque narrationem istam absolvit, persequamur: ut, quanta Boleslaus fidei fuerit integritate, cognoscamus. *Tunc* (ait Ditmarus) *Bolizlaus sciens nostros ex parte Luiticiorum incolumes non posse domum* sine eo pervenire, crastino die dimisit eos crepusculo, ut admoniti fuerant, *multum properantes. Quod ut prædicti hostes* (Luiticii) *compererunt, pone sequi maxima electorum multitudine nox nitebantur. Quos Bolizlaus vix compescuit talibus.* " *Vos, qui in meum huc venistis auxilium, videte, ut hoc perficiatis* „ *bonum, quod incepistis, pro certo scientes, quod hos, quos in fidem* „ *suscepi meam, & in bona pace dimisi, vita superstite mea, nullum bo-* „ *die patior perpeti malum. Non est nobis honor, nec consilium, hac-* „ *tenus amicos familiares nos nunc efficere manifestos hostes. Scio ma-*

„ *gnam*

Apud Menken. T. III. p. 1777

Vita S. Ottonis l. 2. c. 8. p. 654.

Ditmarus l. 7 p. 415

Chron. Gotvicense p. 772.

„ *gnam inter vos esse inimicitiam, & hanc ulciſci eveniunt vobis tem-*
„ *pora his multo aptiora.*„ *His Sedati eloquiis Luitici, duos ab eo ibi-*
dem dies detenti, & tunc invicem ſalutantes, antiquumque fœdus reno-
vantes diſceſſerunt, & tunc illi infideles, qui noſtros inſequerentur, quia
pauci erant, ducentos milites elegerunt: Quod noſtris mox a quodam
Hudonis Comitis ſatellite intimatum. Unde in ipſa accelerantes hora,
Domino gratias, ad Magdeburg incolumes pervenerunt, hoſtibus ſe in
vanum ſic laborantibus. Id ut primitus audivit, proſperitati eorum ar-
riſit Imperatrix. Ceterum eodem etiam anno bellum quodpiam fuiſſe Henrico Bojorum Duci cum Hungaris, ex quibusdam Annalibus inéditis refert Brunnerus: "Anno nongenteſimo nonageſimo Henricum „ Bojum de Ungaris triumphaſſe Annales inediti accurati ſcriptoris „ teſtantur, nullo tamen belli ſuſcepti conſilio, aut geſti ordine ex- „ pliçato,

Bruñer. in Annal. Bojor, P. 2 l. 3. p. 144.

II. Anno ſuperiore ex Biographis oſtendimus, S. Adalbertum iter Hieroſolymam meditatum; jam quæ in hac peregrinatione evenerint, ex iisdem referamus: "Pueris (inquit prior Biographus) remiſſis in „ patriam mutat habitum, & aſinum pro portandis oneribus mercatus, „ cum tribus numero fratribus ſanctum iter aſſumſit. Habens itaque „ animum Jeroſolymis ſepulcrum Domini inviſere, venit ad montem „ Caſſinum, in cujus cacumine monaſterium ſedet, quod hoc in loco „ primus conſtruere cœpit beatiſſimus Pater, Monachorum flos & glo- „ ria, Benedictus. . . . Hic tum licet agnitus non fuiſſet, tamen Do- „ mino, quod futurum erat, providente, honorifice hoſpitio ſuſcep- „ tus eſt. Poſt paucos autem dies cum iter cœptum agere vellet, ac- „ ceſſit ad eum illius loci Abbas, & cum ipſo admodum illuſtres viri „ hæc conſilia velut a divina arce ferentes: Via, inquiunt, quam bea- „ titudinis acquirendæ cauſa cœpiſti, longe eſt a recta via, & ab illa, „ quæ ducit ad vitam. Perplexitatibus quippe fugacis ſæculi carere „ magnanimi eſt, ſed quotidie loca nova mutare minus laudabile eſt, „ &c. . . . Quod conſilium providus heros non ſecus quam divini- „ tus datum accipiens, ibi finem laboris & cetera errabundæ vaga- „ tionis ponere cogitavit. Hæc eo cogitante fruſtratur eum Deus. Nam „ cum ibi monaſtica lege vivere vellet, cumque omnino uſque ad „ maximum omnes hoc libentiſſime vellent, repente attonitas terribile „ verbum transuerberat aures. Et bonum eſt, inquiunt, ut ſtes no- „ biscum . . . Noſtras quoque eccleſias novo opere conſtructas, cum

Apud Mabill. ſæc. V. Bened. p. 856.

„ ſis

„ sis Episcopus, sacrare potes. Quo audito ille heros jam dudum in-
„ tra se turbatus hæc ita dictante reddidit: Utrum me hominem vel
„ asinum putatis, ut cum amota filiorum cura Episcopus esse desiste-
„ rem, nunc sub nomine Episcopi vestras domos consecrarem? „
Tres fratres, quos S. Adalbertus comites viæ assumserat, erant: *Gaudentius* germanus carne & spiritu frater S. Adalberti, ut eum paulo infra idem Biographus appellat, alter erat *Willico* Præpositus Ecclesiæ Pragensis, tertius *Papas Radla*, de quo copiose supra egimus. Abbas vero Cassinensis erat *Manso*, qui Aligerno anno 986 demortuo successit, de quo pluribus agunt Mabillonius & Baronius. Persequitur Biographus gesta S. Adalberti: *Nec mora, ivit* (Adalbertus) *deorsum per montis convexa, & quasi duorum dierum itinere acto ad magnum virum Nilum perrexit, cujus nobile meritum in monastico ordine velut novus Lucifer in æthereo axe refulget. Sub quo etiam Duce discipulorum plurima manus secundum Regulam Sancti Patris nostri Basilii militarunt. Hac fama ductus aggreditur sanctum senem, & provolutus genibus diu profudit lacrymas, quærens ab illo responsa & amica solatia. Quem intuitus domnus Abbas Nilus, cujus meriti in conspectu Domini viveret, jam in primo sermone cognovit, qui & usque hodie ita amore Christi ferventem non meminit se vidisse aliquem juvenem.* " *Et recepissem te,* „ *inquit, dulcis nate, nisi hæc susceptio mihi meisque nocitura, tibi ta-* „ *men minime esset profutura. Etenim ut iste habitus, & barbæ pili te-* „ *stantur, non indigena, sed homo Græcus sum, terra autem quantu-* „ *lacunque est, quam ego & mei mecum incoluit, illorum* (Cassinen- „ sium) *quos tu bene fugis, propria est. Sed si quod Deo volente nimis* „ *vellem, una nobiscum cohabitaveris, tollunt illi, quæ sua sunt, ego* „ *cum caris filiis expellor totus, tu de incerta re plus incertus eris.* „ *Quin imo accipe Patris consilium, & unde digressus es, repete urbem* „ *Romam, quo cum Angelo bono te ducente perveneris, dominum Ab-* „ *batem Leonem nobis amicissimum ex nostra omniumque persona salutes,* „ *atque epistolam nostram feras in hæc verba: ut apud se (quod plus vo-* „ *lo) retineat, aut si ei difficile apparet, ad Abbatem Sancti Sabæ mea* „ *vice commendet.* „ *Hac spe confirmatus regreditur ad Sacratam arcem urbium dominam, & caput mundi Romam.* Monasterium illud cui præfuit *Nilus* nomine *junior* (*sed magni nominis Hegumenus* inquit Mabillonius) erat Vallelucium seu Valliluca, quo loco is concessione Abbatis Cassinensis monasterium ordinis S. Basilii tenuit, quod prius omnino

tenue

Apud Mabill. c. l. p. 645 Baron. in Annal. eccl. ad an. 995 n. 13 & seq.

tenue erat, sed postea fortunis multum auctum est, quod Nilo causæ dein fuit, ut id deseruerit. De Nili ortu, itineribus, gestisque præter Mabillonium locupletissime agit Baronius ad annos 976. 80. 91. & 96. Jam vero quid S. Adalbertus Romæ egerit, ex eodem Biographo audiamus: "Inde cui monasterio Abbas Leo præfuisset, diligenter inquirens, *Apud Mabill.*
„ ad Sanctorum limina Bonifacii & Alexii monstrante populo perduc- *c. l. p. 856*
„ tus est. Postquam ingressus est, & cum Abbate copia datur fandi,
„ obtulit salutationem & literas, quas miserat Abbas Nilus. Quibus
„ perlectis ut ex longo usu spiritum probare doctus erat, priusquam
„ recepisset illum, arguta arte cuncta explorat. Primum incepit in-
„ dignationem simulare &c. Justum vero ac tenacem propositi virum
„ nec dura hominis responsio frangere valuit, nec venientium tenta-
„ tionum minæ a semel arrepta voluntate revocare potuerunt. Abbas
„ vero Leo ubi non solum avertere a suo proposito, sed etiam dira
„ prædicando plus accendere poterat, accepturum se fore illum pol-
„ licetur. Statuit autem domnum Apostolicum cum humiliato Anti-
„ stite prius convenire, ut quidquid agendum foret, tanti Patris sen-
„ tentia, suorumque Cardinalium consilia deliberarent. Post hæc rite
„ peractis omnibus, qua die Dominus discipulorum suorum pedes la-
„ vit, ac linteo exterfit, monachalem habitum Sanctus ille Episco-
„ pus accepit. „ Id quidem præsente anno 17 Aprilis (in quam Cœna Domini incidit) in monasterio SS. Bonifacii & Alexii factum est, de quo monasterio jam in Hagecium commentantes ad annum 974 plura præoccupavimus. Annum non modo Cosmas, sed etiam Annalista Saxo certum indubitatumque reliquerunt, nec enim temporum rerumque gestarum combinatio alium sustinet. In eo tamen uterque hallucinatus, cum scribit id *inscio Abbate* factum fuisse; superiora verba Biographi tum viventis, & fortassis etiam oculati auritique testis innuunt rem omnem Abbati, Pontifici summo, ejusque Cardinalibus cognitam fuisse. Calculus iste anni manifeste etiam eruitur ex primo Biographo; qui *post septem annos* Episcopatus sui S. Adalbertum Bohemos deseruisse ait. Ostendimus supra S. Adalbertum anno 982 XI. Calend. Martii Episcopum Pragensem electum fuisse, ostendimus anno superiore, quo omnino septem ab electione anni jam completi erant, eum Romam discessisse, ut proinde annus præsens indubitatus sit, quo monasticam vitam auspicatus est. Sed & illud postremum, quod ad anni hujus historiam pertinet, quodque paulo infra idem Biographus subjungit, hic non prætermittendum: *Duo autem*, inquit, *ex fratribus, qui*

Cosmas & Annalista Saxo ad h. a.

Apud Assemanum in Kalendariis eccles. univ. T. IV. p. 175.

cum eo (S. Adalberto) *erant, jam dudum videntes, quia se monachum facere vellet, non bene relicto clypeo fugam dederunt. Solus vero Gaudentius exemplo constantis viri remanens cum beato viro, monachicam atque probabilem conversationem consecutus est, qui etiam sibi carne & spiritu duplex germanus, & ab infantia semper fidissimus comes adhæsit.* Horum duorum fratrum, qui S. Adalbertum Romæ deseruerunt, alter erat *Willico* Ecclesiæ Pragensis Præpositus, qui omnino ad Bohemiam retrogressus. Alter erat toties memoratus *Papas Radla*, quem ex memoriis Thuroczii aliorumque historicorum Hungaricorum supra in Commentario nostro in Hagecium lit. (*e*) hoc anno ad Hungariam Ducemque Geizam profectum fuisse, ibidemque monasterium *Tata* condidisse verosimillimis conjecturis ostendimus. Jam vero cum Bohemi nostri post annos duos, scil. anno 992, legationem pro reducendo ad Episcopatum S. Adalberto miserint; inter legationis hujus vero Principes etiam *Papas Radla* fuerit (quem eo ipso tempore Compendium vetus vitæ S. Adalberti a Clarissimis Viris Bollandianis relatum jam *monachum* nominat) quid supereſt, quam ut *Papatem Radlam* exemplo sanctissimi Episcopi sui incitatum, atque præsente jam, aut certe sequente anno idem monasticum institutum amplexum dicamus? Sed in quo monasterio cucullo indutum statuemus, quandoquidem Bohemia monasteriis adhuc caruit? An in aliquo Germaniæ, Ratisbonensi aut Magdeburgensi vicinissimis omnium? mihi verosimillimum videtur in suo *Tatensi* in Hungaria, in quod a se fundatum postquam vocatos induxisset monachos, verosimillime piis exemplis incensus se se illis socium fratremque adjunxit, ac proinde secundum ordinis ritum & morem *Anastasii* nomine donatus est. *Willico* profecto ejusdem S. Adalberti familiaris & viæ comes paulo postea etiam nomen suum eidem ordini adscripsit.

Acta SS. ad 23 April.

AN-

ANNUS 991.

Reverſus Pragam Adalbertus (a) offendit tam Chriſtianos, quam Ethnicos demolitionibus vetuſtarum ædium, ſtructurisque novarum diſtentos. Incitati nempe Principis exemplo cives alia atque alia templa, ſacrataque loca magno ſumtu excitantis, ea æmulatione morumque ſimilitudine ejus gratiam aucupari nitebantur. Materiam ædificiis ſuppeditabat mons Petrzin ſaxeus idem & ſilvoſus, pone cujus lapicidinas ſtabat quercus quædam ceteris eminentior; ad hanc lapidum foſſores ſectoresque tugurium quoddam erexere, ſub ipſa vero quercu multos fovendo adverſus brumales injurias corpori ignes accendere ſoliti. In his ignibus ludificari per hos dies miſerum vulgus cœpit tartarus varias effingens formas, humanas etiam imagines, iis plerumque, qui ſpectatum accuriſſent, ſimiles objiciens, adeo, ut allecti obſtinatiores quique ethnici, frigidioresque Chriſtiani ſacrum his ignibus honorem exhiberent. Fit rumor, fontes ibi, parentumque ac majorum animas depurgari. Advolat ingens quotidie, præſertim noctu, hominum turba lignorum injectione ignem fovens, perſuaſaque majorum ſuorum animas hoc loco purgari, numulos, panem, aliaque fruſta eſculenta certatim in hos ignes immittit. Boleslaus a Sacerdotibus monitus mali dæmonis hos eſſe faſcinos & ludibria: exciſa quercu, reſtingui ignes juſſit. Quod cum ægre ferrent ſuperſtitionibus dediti, non raro clanculum ignes reſuſcitare auſi. (b)

S. Adalbertus iterum Pragam venit.

Dæmon variis illuſionibus per ignes ludificas plebem.

Boleslaus ignes reſtingui jubet

ANNUS JESU CHRISTI 991.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 7. OTTONIS III. REG. 9.

BOLESLAI II. AN. 25. S. ADALBERTI EP. PRAG. 10.

(*a*) Quater Hagecius perperam hunc reditum Sancti Adalberti Pragam geminavit, cum ſumme exploratum ſit, eum nonniſi ſemel rediiſſe.

(*b*) Hanc narrationem Hagecius etiam in ſequentem annum protendit; de qua cum ſileant omnes eo veteriores, quid de ea re conjiciamus, quam plebis rumuſculis, quæ paſſim rerum omnium principia curioſe inquirit, ac fabellis inſpergit, enatam. Ejusmodi rumuſculos, ſeniorumque traditiunculas nimis ſollicite Hagecium venatum fuiſſe, jam alias teſtem illius exhibuimus epiſtolam. Ceterum corrupti Chriſtianorum mores una pene quærela ſunt Biographorum S. Adalberti.

PRÆTERMISSA.

I. Quid poſt illam invaſionem vaſtationemque Poloniæ, ereptionemque urbis Nemci præſente anno Boleslaum noſtrum inter & Meſiconem factum ſit, altum inter veteres ſilentium, qui ſolum gentium, Regumque ſuorum geſtis intenti res Slavicas paſſim prætermiſere, niſi nexus aliquis & quandoque ipſa neceſſitas ad hiſtoriam ſuam illuſtrandam eos compuliſſet Slavorum vicinorum geſta attingere. A Polonis noſtrisque hiſtoricis ea in re exſpectandum nihil, quandoquidem apud utramque gentem libido ſcribendi hiſtorias multo ſerius enata eſt. Ex iis, quæ Ditmarus & Annaliſta Saxo ad poſteritatem tranſcripſit, cognoſcimus: Boleslao noſtro non penitus redintegratam fuiſſe amicitiam cum Theophania Imperatrice & filio Ottone III., cum celebrem Curiam præſente anno in Paſchate Quedlinburgi celebratam non adierit, quam tamen Meſico non modo frequentavit, ſed & in expugnatione urbis Brandeburg auxiliaribus copiis præſto fuit. Rem ex Ditmaro narrat Annaliſta Saxo: " Theophanu Imperatrix cum filio Im-

Annal. Saxo ad h. a.

„ peratore (imo adhuc Germaniæ Rege) tertio Ottone Paſchale Fe-
„ ſtum Imperiali gloria apud Quidlingeburh peregit, ubi Marchio Tu-
„ ſca-

„ ſcanorum Hugo', & Dux Polonorum Miſeco cum pluribus regni Prin-
„ cipibus adfuere, diverſa munera ad obſequium Imperatoris deferen-
„ tes, e quibus Miſeco aliique quam plurimi honorifice donati in pa-
„ triam redierunt. „ De expugnatione vero urbis Brandeburg hæc
ejusdem & Annaliſtæ Hildeshemenſis verba ſunt: "Rex cum magno *Annales Hil-*
„ exercitu Saxonum, ac ſupplemento Miſaconis Brandeburh obſedit, & *deshem. ad h. a.*
„ vicit, illo autem digrediente Saxo quidam nomine Kizo Liuticio-
„ rum auxilio eandem urbem audacter ſatis contra Regem invaſit, at-
„ que prædictorum Slavorum pertinacia contra jus & fas ditioni pro-
„ priæ ſubjecit, & crebras latrociniorum irruptiones in Saxoniam mo-
„ litus eſt. „ De hujus Kizonis ſeu Kizæ Saxonis ad Slavos deſectio-
ne hæc memorat Ditmarus: "Fuit in noſtra vicinitate quidam miles in- *Ditmarus l. 4*
„ clytus Kyza nomine, qui a Marchione Thiedrico aliter, quam ſibi *p. 352.*
„ placeret, habitus eſt. Ob hoc, & quia facultas ſuæ nequaquam im-
„ pietati ſuppeteret, ad hoſtes perrexit noſtros, qui in omnibus ſibi
„ nimis fidelem cognoſcentes ſupra memoratam urbem (Brandeburh)
„ nobis ſatius ad nocendum, eidem commiſſerunt. „ Iſtud Luiticio-
rum facinus, quod præſertim Kizoni Brandeburgum vicinasque regio-
nes (in quibus Boleslaum noſtrum ſuas hereditarias poſſeſſiones ha-
buiſſe ad annum 989 innuimus) in proprietatem tradiderint, ſcidit ve-
tus & adhuc anno ſuperiore renovatum cum Boleslao fœdus, ut ille
procul dubio uſurpatas a Kizone terras vindicaturus ſequente anno ar-
ma ſocia Ottoni junxerit, bellumque Kizoni & Luiticiis indixerit, ut
ad annum iſtum referemus. Ceterum Ditmarus ante hoc Luiticiorum
bellum narrat Imperatricem Theophaniam cum filio Ottone Quedlin-
burgo Niumagum profectam, eandemque hoc loco præmatura morte
ad XVII. Kal. Julii obiiſſe.

II. Anni hujus principium adhuc S. Adalbertus Romæ in vitæ ſuæ
religioſæ tyrocinio exegit, commendatque præcipue Biographus ejus
obedientiam & humilitatem his verbis: "Ipſe omni obedientia ac humi- *Apud Mabill.*
„ litate ambulans inter fratres contra bella tentantium vitiorum intre- *ſæc. V. Bened.*
„ pidus tiro accingitur, in cogitationibus ſuis ad humilem confeſſio- *p. 857.*
„ nem ſemper confugiens quaſſatæ mentis arcana ſpiritualibus viris
„ pandere non ceſſavit. Ceſſante vero tentationum imbre, in novam
„ meſſem virtutum refloruit, ac poſt victoriam ſolito clarior eluxit.
„ Proceſſit ergo ut lux ſplendens, & crevit uſque ad perfectum diem.
„ Obedientia, qua eum donavit ſuus Abbas, hujuscemodi erat: ut co-
„ qui-

„ quinæ fratrum aquæ administratorios usus humero apportaret, manibus quoque eorum lavandis simile obsequium ageret. Sic se cunctis „ fratribus servire lætatur. „ His Biographus subjungit lapsum illum, quo vas integrum vinumque conservatum, quod jam ad annum 977 in Hagecium commentantes retulimus. Professionem solemnem dein S. Adalbertus *2da* Aprilis die *Cœnæ Domini* (scil. anniversario die, quo superiore anno monasticum habitum susceperat) emisit, adeo ut ex his manifestum fiat S. Adalbertum non integro anno solari, naturali seu usuali, sed tantum ecclesiastico, nempe a Cœna Domini prioris anni *Mabill. ds. l.* usque ad Cœnam Domini anni præsentis in tyrocinio stetisse. Notitiam istam indubie haurimus ex toties memorato Biographo, qui commemorata susceptione religiosi habitus, subdit: *Sabbato Sancto (quando baptizati catechumeni criminalibus vinculis solvuntur) soluta est ipsi* (Adalberto) *capite pendens cuculla; binc secundum regulæ morem fratrum numero addictus, quærendum angusto calle cœpit ardentius cupere Christum.* Quæ verba nonnulli Rituum ordinis Sancti Benedicti minus gnari perperam ad ipsam induitionem, ac proinde anni superioris narrationem traxerunt. Sed sciendum consuetudinem antiquissimam hodiedum etiam in cœnobiis ordinis S. Benedicti vigere, quod Tyronibus seu Novitiis nunquam *cucullæ*, nec prius quam sub professionem solemnem concedantur. Est autem proprie *cuculla* vestis illa nigra, plicata, undique clausa ad calcem usque protensa, demum caputio latis- *Du Fresne in Glossario voce cuculla.* que manicis instructa. Earum plures formas e vetustis monumentis describit Du Fresnius, qua & hodie in Bohemia Religiosos Ordinis hujus in Choro uti videmus, & de qua Poeta post Vocabularium W. Britonis:

Dic Monachi cullam vestem fore sive cucullam,
Vestis lata tegens caput, armos, esto cucullus.

Per hanc itaque *solutam capite pendentem cucullam* intellexit Biographus solemni præmissæ professioni tertio die ex ritu Ordinis Divi Benedicti caputii cucullæ adnexi factam depositionem, aut ut ille vocat, solutionem. quæ præsente anno *Sabbato Sancto* facta est. Num ita Rituale vetustum hodiernumque præcipit hujus ordinis, ut in professione religiosa detur quidem cuculla, sed caputium capiti impositum dies noctesque conserveur, quod in quibusdam cœnobiis etiam ad mentum usque tenui filo consuitur. Tertio demum post professionem die Abbas, Prior, aut alius substitutus sub Missa & communione sacra solvit ca-

pu-

✝ Ego adalbtus pmitto stabilitatem meam & conuersionem morum meoz & obedienciam sdum regulam sci benedicti coram do & omnibus scis eius & abbate augustino presente.

Anno domini m° cccc Ego frater wenzeslaus sacristanus videns pfessionem sancti adalberti nimia vetustate demolitam posse irrecuperabiliter deperire hic transmutavi in aliam membranam pgamen. et hoc ipsa manu scripsi ut futuris dubitantibus omnis ambiguitas mentis procul pelleretur.



putium, illudque e capite in humeros demittit, talique ceremonia Neo-Profeſſum *ſecundum regulæ morem* (ut Biographus loquitur) *fratrum numero* & converſationi addicit. Habemus jam itaque clare expedita verba Biographi, quæ complura ingenia in varias opiniones detorſerunt. Habemus, inquam, S. Adalbertum hoc anno ſecunda Aprilis, in quam Cœna Domini inciderat, adeoque tribus diebus ante Sabatum ſanctum ſolemniter profeſſum fuiſſe. Cognoſcimus denique ei 15 dies ad calculum anni ſolaris & legitimi defuiſſe, cum anno ſuperiore die 17 Aprilis tyrocinium religioſum auſpicatus ſit. Quod novo documento eſt hoc ſæculo & uſque ad Concilium Tridentinum annum eccleſiaſticum completum ad valorem ſolemnis profeſſionis Religioſæ ſuffeciſſe. Porro S. Adalbertum non in manus Leonis Abbatis ſui, ſed Auguſtini (quem Pulkava monaſterii S. Pauli Abbatem fuiſſe ſcribit) emiſiſſe, convincere videtur ſchedula membranacea profeſſionis, quæ inter ſacra cimelia hodie etiam in Brzevnovienſi cœnobio ſervatur; & in qua verbis expreſſis dicitur: *& Abbate Auguſtino preſente.* Eam ſchedulam primus ſcalpro excuſam publicavit Boleluzkius, alterum illius typum non ita pridem exhibuit Reverendiſſimus Prælatus Bonaventura Pitter, quam & nos æri inciſam cum teſtimonio anni milleſimi quadringenteſimi hic reddimus eo maxime, quod illud omnium primum vetuſtiſſimumque patrium monumentum calamo exaratum hodie ſuperſtes ex hoc ſæculo ſciamus. Et vero jam ante annum 1400 non incognitum erat Pulkavæ, S. Adalbertum in manus Abbatis Auguſtini profeſſionem religioſam emiſiſſe, ſic enim ille & Compendiator illius c. 24. *S. Adalbertus Romæ ordinem Monachalem ordinis S. Benedicti a Venerabili Abbate monaſterii S. Pauli nomine Auguſtino accepit.* Quod ut Reverendiſſimus Bonaventura Pitter credibilius reddat, ait: *Leone Abbate in negotiis S. Sedis abſente ad S. Paulum coram Abbate Auguſtino vota ſolemnia nuncupavit*, quæ quidem abſentia Leonis Abbatis minime incredibilis, quandoquidem ex hiſtoriis proditum eſt, Leonem hunc fuiſſe virum doctiſſimum, prudentem, rerumque expertiſſimum, quo Joannes XV in graviſſimis quibusque negotiis uſus. Et quanquam hactenus idoneum inſtrumentum non invenerimus, quo teſtatum faciamus, Leonem præſente anno in Cœna Domini Roma abfuiſſe, id tamen probat Abbonis Abbatis epiſtola, eum Joanni XV a ſecretis fuiſſe, Baronius vero & Pagius oſtendunt eum anno 995 legationis munere functum in Galliis, ubi duabus habitis Synodis Moſomenſi ac Rhemenſi Arnulphum Archiepiſcopum Rhemenſem in ſedem ſuam reſtituit, ſequente vero anno 995.

Pulkavæ MS.

Boleluzky in Roſa Pohem. c. 13 p. 380

Pitter, in S. Gunthero ad pag 90

Pulkava MS. et Menken. T. III. p. 1643.

Pitter in S. Gunthero p. 87

Apud Paluzii l. 1 p. 409

Baronius & Pagius ad an.

anno Gerbertum exauctoratum Rhemenſem Archiepiſcopum doctiſſimo ſcripto confutavit. Quod ad Auguſtinum Abbatem S. Pauli attinet, Mabillonius omnino origines & fata hujus monaſterii deſcripſit, ſed fruſtra hic, alibique memoriam illius quæſivi. Ceterum memorata profeſſionis formula accuratiſſime verbis reſpondet illi, quam S. Udalricus l. 2. c. 27. Conſuetudinum Cluniacenſium refert, & Cluniaci uſitatam fuiſſe docet. Hoc autem ſuperſtes profeſſionis documentum verosimile Hieronymum Pragenſem Ordinis Camaldulenſis (qui anno 1440 mortuus nomen *Apoſtoli Lituanorum & ſancti* apud Arnoldum Wion meruit) in errorem perduxit, quod in vita S. Romualdi Divum Adalbertum a S. Romualdo *Romæ extra portam in S. Pauli monaſterio* inter ſuos diſcipulos ſuſceptum, monaſtico habitu indutum, dein etiam ibidem a legatis Bohemis repetitum ſcripſerit, contra quem & Biographi coævi, & ipſa Sancti Romualdi acta a S. Petro Damiano conſcripta militant.

Apud Mabill. ſec. V. Bened. p. 137.

Apud Lucam d'Acbery T. 1. p. 675

III. Abſente S. Adalberto a ſede ſua Epiſcopali Pragenſi functiones Epiſcopales in Bohemia ac præſertim Pragæ paſſim obibat Volcoldus Epiſcopus Miſnenſis, uti a Ditmaro & Annaliſta Saxone edocemur. Quod argumento eſt, ſeu non omnem Bohemiam omnesque Bohemos, ut Ditmarus vult, interdicto & anathemate a S. Adalberto fuiſſe perculſos, aut certe eam cenſuram eccleſiaſticam paulo poſt diſceſſum Romam ſeu ab ipſo S. Adalberto, ſeu ſummo Pontifice fuiſſe relaxatam. Præſente autem anno, aut certe ſuperiore accidit illud Volcoldo (cujus jam mentionem ad annum 989 præjecimus) ut cum poſt extraditam Miſnenſem urbem ſeſe in Boleslai noſtri gratiam inſinuaſſet, Pragæque ſacra ſeu majori hebdomada Pontificalia munia tum in Cœna Domini tum Paraſceve obiviſſet, paralyſi perculſus fuerit, quod Ditmarus his verbis enarrat: *Poſtea* (Volcoldus) *Bolezlavi amicitiam firmiter acquirens, cum in Praga cœnam Domini celebraret, poſteraque die, quæ eſt Paraſceve, cum memoriam Dominicæ Paſſionis rite perageret, paralyſi perculſus aſportatur, & in hac infirmitate uſque ad finem hujus vitæ, quamvis ad tempus convaleſceret, permanſit. Sedebat XXIII annos X Cal. Septemb. ex hujus carnis ergaſtulo eductus. In hujus vice Eid* (Ægidius) *noſtræ Congregationis frater vir juſtus, & magnæ ſimplicitatis ordinatur.* Merito autem diximus hanc Volcoldi paralyſin præſente aut ſuperiore anno accidiſſe, quandoquidem nec tempus prius, nec poſterius conſignari poteſt. Nonquidem prius, quia ante annos duos S. Adal-

Ditmar. l. 4. p. 348.

Adalbertus in die Paraſceves necdum Praga abfuit; non poſterius, quia ſive Volcoldum cum Paulo Langio anno 993, ſive cum Chronico Coldicenſi, Georgio Fabricio, Lupacio & Weleslavino noſtro anno 994 mortuum dicamus: id minime obſcurum, illum præſente anno jam XVII. Kalendas Novemb. lecto affixum fuiſſe, cum in nominatiſſima illa Halberſtadenſis Eccleſiæ dedicatione, cui omnes vicini Epiſcopi Saxoniæ interfuere, ac de nomine referuntur, non præſens adfuerit, ſequente vero anno oſtenſuri ſimus, jam S. Adalbertum ad ſedem ſuam in Bohemiam revertiſſe. Multo minus igitur ſuſtineri poteſt, hanc paralyſin quatuor annis ſerius ad annum 995 contigiſſe, ut vult R. P. Athanaſius; quousque ne quidem ipſam mortem Volcoldi ullum Chronicon, hiſtoricusque conjecit, ut proinde ea magis magisque infirmentur, quæ copioſe ad traducendam hanc a Volcoldo ad Strachiquatem paralyſin in vita SS. Ludmillæ & Wenceslai a ſe edita commentatus eſt, quæ ſat ſuperque jam ad annum 989 confutavimus. Id credibilius eſt: hanc Volcoldi paralyſin (quæ veroſimillime præſente anno accidit) non modica conſternatione affeciſſe Boleslaum, Bohemosque, ut cum alioquin ſub abſentiam S. Adalberti ſterilitatem, varia phænomena, peſtem animalium hominumque fuiſſent experti, hanc ipſam paralyſin (quæ plane altero die poſt profeſſionem ſolemnem Romæ factam accidit) pro ſiniſterrimo omine acceperint, ac proinde omnem cogitatum ſuum ad eum (quanquam jam cucullo donatum) reducendum contulerint. Quod omnino anno ſequente factum fuiſſe oſtendemus.

Paulus Langius in Chron. Coldic. Apud Menken. T. II. p. 698. Chronicon Halberſtadenſe ad an. 991. apud Leibnit. T. II. p. 117. Item Concil. Germ. T. I. p. 669.

ANNUS 992.

Vernum tempus denuo audaciam ſuperſtitioſæ plebis exacuit nuper exſtinctos ignes reſuſcitandi. Locus, ut contra vim omnem ſecurus eſſet, ab inſana hominum colluvie armis inſeſſus, ſparſumque in vulgus: oſtenta iſthic multo majora prioribus increbreſcere. Neque idcirco ab incepto deſtitit Princeps. Miſſa conſilio Antiſti-

tis Pragenſis validior ſatellitum manus ſuppreſſum ethnicos ignes, foſſamque humo & ſaxis æquatum. Mox templum Divi Laurentii Martyris inſtratum, ut quandoquidem Bohemis more veterum Chaldæorum ignes colendi libido eſſet, jam iſthic Martyri, qui de flammis triumphaſſet, legitimum honorem exhibere aſſueſcerent. (a)

S. Laurentii ecclesia in loco ethnicis superstitionibus sacro erigitur.

Eodem pene tempore Proſtivojus ſacerdos ſumme religioſus omni ſacra eruditione perpolitiſſimus multum zelo inclaruit, quem quantumquantum ad rudem informandam plebem, ethnicosque Chriſto initiandos contulerat. (b) Is proinde magni a Principe habitus, ſummumque dilectus. Hrabodogus e ſtirpe Wrſſovecia vir magni nominis multarumque fortunarum ut ægre Principi faceret, ad ſe ſacerdotem ſub religionis prætextu in prædium Ruzin (c) invitatum in reditu trucidari, terræque inſodi juſſit. Quæſitus omni contentione a Duce amiſſus Proſtivojus ſub vicina cædi quercu humi defoſſus reperitur, moxque in æde Divi Matthæi magno honore tumulatur; & ne locus (qui eſt ſupra vicum Lubocz) (d) ſacerdotali ſanguine tinctus inglorius incognitusque maneret poſteris, inſtratum ei celebre templum, quod poſtea in honorem intemeratæ Virginis Sanctorumque Fabiani & Sebaſtiani ritu ſolemni conſecratum eſt. (e)

Proſtivojus Sacerdos occiditur a Wrſſovecio.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 992.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 8. OTTONIS. III. REG. 10.

BOLESLAI II. AN. 26. S. ADALBERTI EP. PRAG. 11.

(a) Balbinus ait ſacellum a S. Wenceslao conditum, a Boleslao vero Pio exornatum. Sed memoria lapſus eſt: Hagecius enim illam eccleſiam a S. Wenceslao conditam perhibet, quæ hodie etiam Vetero-Pragæ ſupereſt, & de qua P. III. p. 542 egimus. De origine vero iſtius Eccleſiæ in monte Petrzin agit Hammerſchmid, quanquam præter ea, quæ memorat Hagecius, nihil attulerit. Firmamentum noſtris hactenus vix aliud fuit, ut ſacellum iſtud a Boleslao Pio conditum crederent, quam quod lebes ſeu caldaria in muro ſacelli, recenti quidem pictura, cum inſcriptione: *Boleslaus Dux Bohemiæ Anno Dom.* 992. jam Balbini ætate ſpectatus fuerit, atque hodie ſpectetur. Quæ inſcriptio cujus ætatis ſit, & literæ & maxime Arabici numeri produnt, ut procul dubio eam poſteriorem deputem ipſis Annalibus Hagecii, e quibus pictor reſtauratorque tam lebetem quam annum 992. hauſit, ſecus certe eam ipſam hujus ſacelli picturam Hagecius pro firmamento clypei ſui, quem Boleslao Pio affinxit, attuliſſet. Meram vero fabulam eſſe, quæ de lebete ſeu caldaria a Boleslao Sævo in gentilitium ſcutum recepta Hagecius poſterioresque commenti ſunt, jam ad annum 964 alibique docuimus. Ceterum ipſe eram hucuſque ejus opinionis, quod Eccleſia hæc S. Laurentii ex earum viginti numero fuerit, quas a Boleslao Pio conditas fuiſſe memorat Coſmas noſter; at vero Joannes Polonus ſæculis duobus Hagecio vetuſtior me pene ab hac opinione deturbavit, is enim haud obſcure innuit eccleſiam iſtam a Boleslao Chabri Poloniæ Duce ædificatam fuiſſe, cujus verba ſunt: *Hic primus ſedem Ducalem Pragæ conſtituit, & Eccleſiam ibi in monte ædificavit*, quæ verba vix quidem de alia atque hac S. Laurentii eccleſia accipi poſſunt. Quod ſi ita eſt, illa 11. annis poſterius ædificata eſt, poſtquam ſcilicet invaſa Bohemia in ipſam urbem a Pragenſibus receptus eſt Boleslaus Chabri, eamque ſat longo temporis ſpatio tenuit, uti ad eum annum memorabimus.

Balb. Dec. 1. l. 1. p. 24.

Hammerſchmid in Prodromo Glor. Prag. p. 424.

Stransky Reipubl. Boj. c. 6.

(*b*) Stranskius hunc Proſtivojum Græco ritui ſectæque ſuæ hominibus accenſet, quem inter alios in ſpeciali ædicula ſub majori turri eccleſiæ Divi Viti ſacris operatum ſomniat, minime memor eam ædiculam ſeu ſacellum, quod ſub majori turri eſt, primum a Carolo IV. cœptum, finitum poſtea a filio Wenceslao. Summe profecto ridicula eſt ſeries Græcorum ſuorum ſacerdotum, quos iſthic ſervatos, ſacrisque ex eodem ritu operatos conatur evincere, cum ab hoc Proſtivojo ſæculoque X. tranſilit ad ſæculum XIV. Joannisque Regis imperium, nullo per tantum temporis intervallum ejusmodi græco ſacerdote prolato. Berghauerus ea, quæ Hagecius de Proſtivojo narrat, ex archivo Metropolitanæ eccleſiæ deprompta eſſe innuit, facitque illum Canonicum & verbi divini præconem in eadem Divi Viti Eccleſia. Peſſina itidem Canonicum facit, aitque illum *Parochiali D. Matthæi templo in Hradezano* a S. Adalberto præſidem datum fuiſſe, ſed oppido memoria lapſus, cum ad Coſinæ librum primum provocat, apud quem de Proſtivojo hoc ne verbum quidem unum.

In Protom. Patr. p. 304

Peſſina in Phoſ. Sept. p. 171.

(*c*) Ruzin vicus hodie ſupereſt Albo Monti ſubjectus; is anno ſequente Brzevnovienſi monaſterio a Boleslao Pio fuit donatus, ſic enim diploma: *Villam quoque Ruzen nomine cum campis & pratis ad ipſam pertinentibus.* Quodſi ea notitia de hac cæde Proſtivoji Canonici a Wrſſovecio perpetrata ex Archivo Metropolitano deprompta eſt, uti vult Berghauerus, conjectura non levis capi poteſt, Wrſſovecium ob hoc delictum villa ſua Ruzen mulctatum fuiſſe, eamque proinde anno ſequente a Boleslao in cauſam piam converſam.

(*d*) Idem vicus hodie ſupereſt ab altero quadrante horæ remotus, idemque anno ſequente monaſterio Brzevnovienſi donatus; & *ipſam villam Lubocz*, inquit diploma, *cum ſilva adjacente Maleyow nomine;* ex quo cognoſcimus vivarium regium, quod hodie *Stella* nomen fert, partem fuiſſe illius ſilvæ veteris Maleyow.

Hammerſchmid Glor. Prag. p. 423.

(*e*) Hammerſchmid ait: *templum iſtud ex lapide, quod tunc rarum erat, conſtructum fuiſſe*, ſubditque: *Stat illud templum in hodiernum diem, non ita pridem & noſtra ætate ab Excellentiſſimo DD. Bernardo Ignatio Comite de Martinitz ſupremo Regni Burggravio, fundi illius domino gratioſe renovatum.* At ſtructura minime ætatem illam ſæculumque decimum portendit.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Reditum primum S. Adalberti in Bohemiam Clariſſimi Viri Bollandiani, Pagius, Aſſemanus compluresque alii ex reformata hodie chronotaxi ad annum 994 reponunt. Sed pace virorum iſtorum eruditiſſimorum dicere mihi fas eſto, quod eorum calculo ſubſcribere nequaquam poſſim, cum ex diplomate Bzevnovienſi hodie adhuc ſuperſtite, quodque anno ſequente ſervatis omnibus veterum characterum ductibus, plicarum, carieique indiciis excuſum damus, manifeſtum reddatur S. Adalbertum jam anno 993 Pragæ interfuiſſe dedicationi cœnobii hujus. Sub calcem enim diplomatis iſtius hæc verba leguntur: *Hanc ſiquidem libertatem ad petitionem bonorabilis viri Domini Adalberti Epiſcopi Brevnovienſi monaſterio perpetuo conceſſam ac in ſcripto redactam ſigilli mei appenſione munivi, confirmatamque ſuper aram Sancti Benedicti Abbatis manibus meis poſui, rogans, ut omnes violatores ſeu invaſores hujus privilegii ipſe Dominus Epiſcopus excommunicaret, quod facere non obmiſit. Datum per manum Domini Chriſtani fratris illuſtris Ducis Bolezlai Anno gratie DCCCCXCIII. In ipſa die dedicationis monaſterii ſuprascripti.* Quod vetus ſincerumque documentum cum incognitum fuerit ſuprafatis doctiſſimis Viris, nec Biographi S. Adalberti mentionem aliquam hujus dedicationis fecerint, quid mirum eos calculum duxiſſe ex indiciis, quæ apud utrumque Biographum repererant. Argumentum autem Viris iſtis pro defigendo reditus anno 994 præcipuum fuit, quod alter Biographus dicat: *Quinquennio plenus* (Bollandiani, Surius, & Pagius legunt *pleno*) *miles in monaſterio erat.* E quibus verbis argumentationem deduxere; cum certum ſit S. Adalbertum anno 990 habitum monaſticum induiſſe, nonniſi quinto anno (qui erat annus 994) revocari potuit, quo eodem igitur anno reditus illius accidit. Sed ſi *quinquennio pleno*, quemadmodum Viri iſti legunt, S. Adalbertus in monaſterio Romæ perſtitit, reditus illius neque anno 994, ſed ſequente 995 accidere debuiſſet, cum enim anno 990 in Cœna Domini cucullum acceperit, nonniſi anno 995 in eadem Cœna Domini *quinquennium plenum* monaſticæ vitæ ſuæ abſolvit. Quod tempus cum nimis ſerum, nec tot poſterioribus geſtis S. Adalberti ſufficiens videretur Viris iſtis doctiſſimis, non obſtante hoc Biographi indicio, reditum in annum priorem rejecerunt. Pagius huic ſententiæ nimium confiſus plane monet: In altera Concilio-

Apud Mabill. ſæc. V. Ben. p. 867. N. 13

Pagius ad an. 994 N. VI.

liorum editione Tom. IX. pag. 732 errorem emendandum esse, Synodumque Romæ pro reditu S. Adalberti habitam ad annum 994 reponendam esse. Verum contra obtendere mihi liceat: Synodum istam Romæ hoc anno celebratam fuisse, ac proinde rectius in nova Conciliorum editione præsenti anno illigandam. Et quidem, quod memoriæ patriæ veteres persuadent, ajo *Primo*: Biographum S. Adalberti loco memorato non loqui de quinquennio *continuo*, sed *interrupto*, adeo ut is intellexerit S. Adalbertum universim quinque annis fuisse in monasterio, scilicet ut in hunc quinque annorum computum veniat etiam tempus alterius commorationis post suum Romam reditum. Profecto cum Biographus nuspiam indicet, quamdiu secundo perstiterit in hoc monasterio, non obscurum reliquit se interruptam simulque universam commorationem monasticam quinquennio illo intendisse, quod ipsa annorum supputatio quasi ad oculum ostendit. Nam uterque Biographus post alterum Romam reditum satis luculenter innuit S. Adalbertum denuo isthic longiori tempore commoratum, quod tempus si vel semialterius aut unius anni fuisse dicamus, quinquennio illi priori additum jam sex septemve annos facit, quot pene anni nec plures a suscepto habitu monastico usque ad Martyrium illius effluxere. Ubi igitur tempus quod exposcebat profectio illius in Bohemiam, & rursum retro Romam? ubi iter illius cum Ottone III. Moguntiam susceptum? peregrinatio abhinc per Gallias? longior rursum apud Imperatorem Moguntiæ commoratio? demum reditus versus Bohemiam? transitus ad Poloniam? moræ isthic apud Polonorum Ducem tractæ? denique ad Prussiam profectio missioque? Sane uno veluti volatu hæc omnia S. Adalbertum absolvisse dicendum erit, si eidem tot annos conversationis in monasterio S. Alexii concedere libuerit. Ajo *secundo*: Lectionem Biographi: *Quinquennio plenus miles in monasterio erat*, retinendam esse; quemadmodum eam Codex, quo usus Mabillonius, & alter Pragensis Codex reddit. Intellexit enim author per vocem *plenus* idem quod *consummatus*, *perfectus*, & quod patrio idiotismo dicimus *integer* seu *totus miles*; adeoque quinquennium illud, ut ut interruptum, nequaquam pro pleno & completo accipiendum est, secus enim neque in nostra sententia tot tantæque res S. Adalberti hoc annorum ambitu extra monasterium gestæ salvari possent. Ajo *tertio*: Ne quidem credibile videri: Bohemos tam diu carituros fuisse Episcopo, ac primum post discessum illius anno sexto de revocando cogitasse; præsertim cum tot calamitatibus pressos fuisse supra ostenderimus, quas passim probio-

res

res divina ultione ob amiſſum Antiſtitem imitti arbitrabantur, ut taceam illam ſupra memoratam Volcoldi Epiſcopi Miſnenſis paralyſin, quæ omnium mentes attonitas non reddere non potuit. His præmiſſis, ut jam ſtabiliam hoc ipſo præſente anno revocatum fuiſſe S. Adalbertum, ſciendum eſt: quod non modo uterque Biographus, ſed & Coſmas noſter & Pulkava claris verbis doceant, Boleslaum Pium Bohemosque revocationem ſancti Epiſcopi ſui primum per Willigiſum Archiantiſtitem Moguntinum & Metropolitam ſuum quæſiviſſe ac urſiſſe, ad quem ajunt ex Bohemia legationem miſſam fuiſſe poſtulatum, ut id apud ſedem Pontificiam effectum daret. Jam vero quod magis opportunum hujus legationis tempus inveniemus, quam annum præſentem, quo alioquin conſtat Willigiſum Aquisgrani celebrandam *Generalem Synodum* per omnes ſuæ Archidiœceſis, ac proinde etiam Bohemiæ, terras publicaſſe, quam reipſa etiam iſthic celebratam fuiſſe docent Hermannus Contractus & Concilia Germaniæ? ad hanc ipſam ſynodum ſuffraganeæ ſedis Pragenſis Clerum invitatum vocatumque fuiſſe nemo quidem dubitabit, cujus acta ſi exſtarent hodie, procul dubio primores Eccleſiæ Divi Viti ſubſcriptos legeremus. Quid autem credibilius, quam Boleslaum Pium, populum, Clerumque his ipſis ad Synodum vocatis Sacerdotibus negotium impoſuiſſe repetendi ſui Epiſcopi? quod ut a Willigiſo Synodoque, ac cumprimis Romano Pontifice facilius certiusque impetraretur, majoris auctoritatis cauſa non modo delectus Chriſtianus Strachiquas frater Boleslai Ducis, ſed &, ut ſimul eſſet, qui redire tergiverſanti S. Adalberto fidentius perſuaderet, oratus revocatusque ex Hungaria Papas Radla ſeu Anaſtaſius, amor & deliciæ veteres S. Adalberti. His Willigiſus nuncios ſuos oratoresque cum litteris commendaditiis adjunxit, qui communi conſilio & opera negotium tum apud ſummum Pontificem, tum ipſum S. Adalbertum promoverent. Hinc ait alter Biographus: *Poſt populus terræ Epiſcopum ſuum revocant. Viri ſancti Papatem Radlam, & qui frater carnis ſuo Duci erat, Chriſtianum Ztrabqwas monachum eloquentem virum in hoc opus eligunt. Hi duo cum literis Metropolitani Romam veniunt, de reditu paſtoris Papam appellant.* Quid vero Romæ actum ſit, locupletius narrat prior Biographus. *Facta eſt Romæ*, inquit, *Synodus pro hac cauſa, & oritur utrinque litigium grande, ex una parte eorum, qui monachum perdere timuerunt, ex alia eorum, qui paſtorem ſuum cum auctoritate quæſierunt. Cumque invicem pugnantibus ſententiis utraque pars diu decertarent, tandem dubiam nuntiorum primas* (Chriſtianus) *vix promeruit victoriam.*

Herm. Contr. apud Urſtiſium & Struvium. Concilia Germ. T. I. p. 671.

Compendium vetus vitæ S. Adalberti apud Bollandianos ad 23 April. Mabillon, ſæc. V. Bened. p. 867.

Ibidem p. 858.

Hic

Hic ipſe primas frater erat Ducis, cujus teriæ, qui exigebatur Epiſcopus, præfuit. Tum Apoſtolicus non tam voluntate, quam jure Dei permotus talia reſpondit: Reddimus, quod juſte quærunt, quamvis de bono patre jam degeneraſſent filii. Et dabimus eum hac lege: ſi audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque ſub ipſo fructum centuplum. Si autem a conſueta iniquitate ſua recedere nolunt, hic noſter abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet. Inter conditiones porro, quæ Legatis Bohemiæ a Joanne XV propoſitæ, atque ab iisdem acceptatæ fuerunt, etiam illa fuit: ut in Ducatu Bohemiæ fundaretur monaſterium Ordinis Divi Benedicti. Id manifeſte eruitur ex inſtrumento fundationis Brzevnovienſis, cujus initia hoc ipſo anno ad Pragam jacta ſunt, in quo hæc verbis expreſſis ſub principium leguntur: *Brevnovienſi monaſterio ex precepto Domini Joannis Papæ laudabiliter conſtructo.* Nec dubitare velim hoc uno motivo Papatem Radlam, ſeu Anaſtaſium reditum S. Adalberto perſuaſiſſe, & id ipſum S. Adalbertum jam monachum vere ex animo deſideraſſe, ut tali pacto Papatem ſuum apud ſe retineret in Bohemia, quemadmodum paulo poſt eidem cœnobio Abbatem datum fuiſſe infra oſtendemus. Procul dubio etiam Joannes Papa hujus monaſterii erectione ſatisfactionem, cujus reus erat Boleslaus, intendit, ut proventus epiſcopales, quos abſente S. Adalberto Quæſtura Ducalis ad ſe traxerat, in hanc piam cauſam converterentur. Jam vero reliquas Biographorum memorias proſequamur. Prior ſubjungit: *Finita eſt Synodus, & ſoluto cœtu redierunt quisque in domum ſuam. Abſcedunt legati, monachis triſtibus, læto animo ac magna exſultatione.* Alter vero Biographus ait: Adalbertus *amborum, Papæ & Abbatis imperio parens, fracto ſuo libito, flens Epiſcopus ad Epiſcopatum redit, pro cujus regimine virgam, pro cujus pignore annulum, dante Apoſtolico, accepit. Dominica die veniens venit demum ad unam civitatem* (Piſna fuiſſe aſſeritur) *ubi ipſa die erat mercatus magnus, quæ viſio non parum adduxit triſtitiæ ſancto Viro. Ad eos vero, qui ſe reportarunt, improperando ait: Hæc eſt veſtra promiſſio bona? pœnitentes veſtri nec feriantur hac die ſacra?* Claudit denique prior: *Cum emenſo itinere Pragam venirent, eunt ei obviam omnis ætas & ſexus, & quaſi cum ingenti gaudio acceperunt eum, dant manus, ac promittunt omnia, velut qui de ſua reverſione oppido gauderent, & ſecundum ejus præcepta priorem vitam pleniſſime emendare vellent. Sed paulo poſt capit eos ignava mollities.* Anonymus Menkenianus ait, Boleslaum S. Adalberto obviam proceſſiſſe, poſtquam intellexiſſet eum

Menken. T. III p. 1644.

ter-

terminos Bohemiæ ingreſſum. Sed quandoquidem eidem ſeriei narrationique innectuntur initia fundati cœnobii Brzevnovienſis, in ſequentem peculiaremque paragraphum ea rejicimus. Sit ergo:

II. Neuter Biographorum mentionem aliquam facit, S. Adalbertum poſt ſuum ad Epiſcopatum reditum monaſterium Ordinis Divi Benedicti in Bohemia fundaſſe, quod manifeſto declarat, neutrum ex ipſis monachum Brzevnovienſem (quod tamen de altero clar. Viri Bollandiani ſuſpicati ſunt) fuiſſe, ſecus procul dubio monaſterii ſui initia interjicere minime prætermiſiſſet. Nec vero iidem meminerunt, S. Adalbertum aliquos inſtituti ſui fratres ſeu ex cœnobio S. Alexii, ſeu alio Romano ſecum aſſumpſiſſe, quos in noviter *de præcepto Joannis Papæ* erigendum monaſterium locaſſet. Quare jam ex noſtris hæc ſupplere convenit, quos quanquam ſynchronos fuiſſe dicere minime liceat, ſat vetuſti tamen ſunt, Hagecioque duobus facile ſæculis anteriores, qui cum ſe iſta ex Brzevnovienſis cœnobii tabulario hauſiſſe profiteantur, idemque non modo prolato coævo, & nuſquam alias cognito diplomate, ſed & aliis hodie etiam in archivo iſto ſuperſtitibus monumentis probent, plenam fidem merentur. Eorum alter eſt Anonymus a Ludevigio Manuſcriptorum Tom. XI. & Menkenio T. III. Rer. Germ. typis vulgatus. Alter eſt ejusdem ætatis Anonymus Brevnovienſis Monachus in Codice MS. Bibliothecæ Clementinæ S. J. a Boleluzkio in ſua Roſa Bohemica typis excuſus. Tertius eſt Codex MS. Trebonenſis, ad quem crebro provocat Reverendiſſimus Bonaventura Pitter in ſuo S. Gunthero & maxime pag. 150, ut alias hujus & ſequentis ſæculi memorias præteream. Omnium iſtorum narratio in eo conſentanea eſt: quod S. Adalbertus ſub ſuum primum diſceſſum Roma ſecum quosdam fratres Ordinis ſui in Bohemiam adduxerit, illisque noviter conditum monaſterium Brzevnovienſe tradiderit. Qua in re cum ceteris ſit locupletior Anonymus Menkenianus, ex eo, quæ ad anni hujus hiſtoriam pertinent, libet exſcribere: *S. Adalbertus*, inquit, *fuit in monaſterio quinque annis Deo laudabiliter ſerviens die ac nocte. Sed poſt hæc compulſus eſt per Dominum Apoſtolicum monaſterium relinquere, & ad gregem ſibi commiſſum redire. Denique Chriſti Servus Adalbertus fratres ſuos, cum quibus Deo omnipotenti ſub regulari diſciplina ſerviebat, cum uberrimis relinquens lacrymis, diſciplinisque regularibus perfecte eruditus cum aliquantis ex ipſa Congregatione fratribus comitatus eſt. Ut autem glorioſus Princeps Boleslaus cognovit, inter terminos ſuos Epiſcopum Sanctum cum re-*

Acta SS. ad 23 Aprilis.

Anonym. c. 24. Apud Menken. T. III. p. 1643 & ſeq. & Ludevig T. XI. MSS. p. 172.

ligiosis ac monasticæ vitæ viris advenisse, cum summa reverentia ei occurrit, ac honorifice susceptum, ut curam sibi commissam amodo non relinquat, intime rogabat. Ipse autem fratres suos, cum quibus venerat, in Plznensi provincia reliquit interim, ædificavitque eis pulcerrimam Ecclesiam sub honore Dei Genitricis Mariæ Virginis in eadem provincia, quam Ecclesiam Kostelez nominavit. Hos fratres Roma a S. Adalberto assumtos, quos Anonymus Menkenianus *aliquantos* appellat, secundus & tertius Anonymus numero *duodecim* fuisse memorant, interque illos censent *quinque sanctos fratres Benedictum, Matthæum, Isaac, Johannem & Christinum*, qui dein in Polonia martyrio affecti sunt. Hos omnes passim ex monasterio Romano S. Alexii eductos putant, sed cum Anonymus præfatus dicat *ex ipsa congregatione*, non monasterio, voxque hæc plerumque etiam pro *ordine* accipi solita sit, verosimilius est, illos ex diversis Romanis cœnobiis (quorum decem hoc sæculo Romæ fuisse Mabillonius perhibet) delectos fuisse. Quis fuerit locus ille *Kostelez* in provincia Plsnensi, hactenus a nemine enodatum reperio. Duo etiam hodie in regione Plsnensi exstant vici templis ornati nomine Kostelez, quorum alter vix semialtero milliari Plsna dissitus est, alter inter Teynicium & Plsnam medius, per quem omnino iter Pragam S. Adalbertum in reditu suo accepisse non est incredibile, is hodie ad Cladrubiense monasterium Ordinis S. Benedicti pertinet, ejusque Ecclesia habet administrum religiosum ex eodem cœnobio Vicariatui Haydensi adscriptum. Alterutrane harum Ecclesiarum sit, de qua Anonymus præfatus, quod affirmem, aut negem non invenio. Si veteri fonte hausta sunt, quæ Hagecius ad annum 977 de *Viridi Monte* narrat, ibidem scil. imperfectum stetisse monasterium sub titulo Beatæ M. Virginis, solitariumque isthic a S. Adalberto sub reditum suum Roma, repertum eremicolam Przimota nomine cum quibusdam fratribus; locum eum *Kostelez* non alium ab hoc cœnobio fuisse arbitror, quod Boleslaus demum juxta priora Anonymi verba perfecit *ædificata isthic pulcherrima Ecclesia.* Kostelez enim Slavica veteri lingua haud aliud quam *ecclesiolam* aut etiam *monasteriolum* significabat; & profecto *Pomuk* nomen, quod postea Cisterciense isthic cœnobium obtinuit, posterius est, *Nepomuk* adhuc multo recentius, sane ætate S. Joannis Nepom. exeunte sæculo XIV adhuc *Pomuk* appellatum fuisse innumeris diplomatibus ejusce temporis probari potest, nec is ipsum se aliter, quam *Joannes de Pomuk* scripsit, hic autem locus in ea ipsa regione Plsnensi est, quam Anonymus indigitavit. Ceterum hoc ipso adhuc

Mabill. sæc. V. in Cat. Monast. S. Bened.

adhuc anno jam exædificari cœpisse monasterium Brzevnoviense idem ipse toties memoratus Anonymus nobis testis luculentus est, cujus verba sunt: *Eodem tempore Episcopus Adalbertus cœpit cogitare* (scilicet de loco) *ut monasterium aliquod in Bohemia cum summa diligentia in honorem S. Benedicti, sub cujus regula Deo militabat, construeret, in quo & congregationem monachorum S. Benedicti, quos secum de Roma adduxerat, locaret. Deoque revelante sylvam, quæ Sarka dicitur, dato pretio redemit, ibique divina adjuvante gratia & pii Ducis Boleslai suffragio monasterium cœpit ædificare An. Dom. Incarn. DCCCCLXLII.* Hujus monasterii inclyti initia cum Hagecius ad annum sequentem, quo dedicatio illius facta, rejecerit, ibidem plura ex veterioribus illustrabimus. *Apud Ludevigium ibidem Apud Menken. ibid.*

III. A sacra anni hujus historia transeamus ad profanam: Memoravimus anno superiore Luiticios, quod Kizoni Saxoni Brandeburgum cum confinibus provinciis subjecerint, indignationem Boleslai Pii incurrisse, adversus quos anno præsente Ottoni III suppetias tulit, quod liquido ostendit, Boleslaum Ottoni penitus reconciliatum fuisse. Verba Annalistæ Saxonis sunt: *Otto Rex cum valida suorum manu iterum Brandeburh adiit, venitque ad eum Heinricus Dux Bawariorum, & Bolizlaus Bobemiorum Princeps cum ingenti multitudine in auxilium Regis. Bolizlaus vero Miseconis filius per se ipsum ad regem venire non valens, imminebat quippe ei grande bellum contra Ruscianos, suos satis fideliter milites in ministerium regis direxerat. Verum Rex bonis Slavorum promissionibus confidens, suisque Principibus resistere nolens, pacem illis iterum concessit, & inde in patriam remeavit. Sed illi more solito mentiti sunt per omnia.* Ante hanc expeditionem vero mortuus est Miseco Polonorum Dux, ut idem Annalista ex Ditmaro his verbis perhibet: *Miseco Dux Polanorum jam senex febricitans ab hoc exilio ad patriam cœlestem transivit, relinquens regnum suum plurimis dividendum.* Quem emortualem annum etiam prodidere Excerpta Necrologii Fuldensis, in quæ tamen error librarii irrepsit, cum eum *Marchionis* titulo perperam impertiunt. Crugerius noster plane diem obitus ad 17 Februarii consignavit, sed quemadmodum is emortualem annum septem annis posteriorem ex minime limpidis fontibus hausit, ita dies obitus a nemine veteriore, quod scio, proditus non purioribus laticibus profluxisse videtur. Profecto cum Miseconis mors in Excerptis Necrologii Fuldensis subjungatur morti Gerbrahti Abbatis, IV. *Annalista Saxo ad h. a.* *Idem ibid.* *Apud Leibnit. T. III. p. 765 Cruger. in sac. Pul. ad 17 Feb.*

Id. Maji demortui, haud vanum argumentum deducere fas est, eum serius die IV. Id. Maji mortuum fuisse. Quæ vero defuncto Misecone rerum facies Polonos inter Bohemosque fuerit, nihil proditum, nec uspiam vestigium in veterioribus deprehendere est: Miseco ne nuper a Boleslao Bohemo ereptas hodiernæ Silesiæ regiones denuo vindicaverit? an easdem illi tranquille possidendas concesserit? an Boleslaus noster easdem ultro restituerit? Satis tranquilla inter utramque gentem fuisse omnia sub annos primos, quibus Ducatum Poloniæ consecutus est Boleslaus Chabry, innuunt socia arma, quæ utriusque gentis Duces Ottoni III non modo præsente, sed adhuc anno 995 ad domandos Slavos aquilonares contulerunt.

ANNUS 993.

Boleslao leni non raro familiare erat cum S. Adalberto colloquium de promovenda re Christiana. Die quodam post sacra in Ecclesia Divi Viti peracta Dux, apprehensa Antistitis manu deambulatum prodiit extra pomœria, pedissequis retro relictis. Semihoræ spatio progressus Brzevnovienſe nemusculum intravit, cum cetera amœnitate jucundum, tum gratum felici latice salientis aquæ. Adalbertus situ loci attentius oculis lustrato conversus ad Principem: „ Aut, inquit, fili oculi me fallunt, aut illud ipsum demum „ est viciniæ, sanctæque solitudinis, quod ab hominibus co- „ li frequentarique placet cœlicolis. Nam ne porro te te- „ neam, ostensi mihi hac nocte sunt iidem latices scaturien- „ tis aquæ, imperatumque, ut hic loci templum Divi Bene- „ dicti honori excitem cum cœnobio instituti a se ordinis. „

Divinitus ostensus locus cœnobii ædificandi S. Adalberto & Boleslao.

Ad-

Adhuc loquebatur, cum verba excipiens Boleslaus: "Quid„ ſi pater, ſubdit, mirificam & ego tibi de hac ipſa loco„ rum facie viſionem pandam? „ Rogante antiſtite narrare cœpit, quo pacto per ſomnium nocte præterita viſum ſibi fuiſſet rapi a cœleſtibus geniis ad Dei tribunal, audiſſeque vocem: Videsne hos colles & hæc nemora? cumque cernuus ſe videre reſpondiſſet: imperaſſe porro DEum, uti protinus ſaltum, quem vidiſſet, ſubiret, eoque loco, quo naſcentis aquæ ſcaturiginem offendiſſet, templum ſuo & Divi Benedicti honori conderet. Quid ſi, inquit Boleslaus, Adalberte is ipſus locus eſt, ad quem ductu angeli pervenimus? (a) Vix ita finierat, cum ſpectante utroque repente tumeſcere fontis venæ, multoque uberius bullire cœperunt aquæ. (b) Tum admirationis plenus Epiſcopus: Hæc ſatis ſuperque Princeps voluntatem Dei innuunt; quid reſtat, niſi ut divinis obtemperemus monitis, craſtinoque die cum operis in locum revertamur? Nec mora, adſunt ſub auroram architecti, ſpatiumque, quod capiendo cœnobio pariter & templo ſatis eſſet, circumſcribunt, protinusque ſacerrimarum ſedium fundamenta moliuntur. (c) Ad cujus rei famam tantus fuit accurſus, eaque Chriſtianorum alacritas promovendæ ædificationi commodantium operam, ut hoc ipſo nondum ſe evolvente anno omnis ſtructura conſummata ſteterit, (d) templumque ab Epiſcopo conſecratum fuerit. (e) Adjectæ a Principe donationes vere regiæ cum nobilibus fundis & multiplici proventu, (f) quorum omnium teſtis eſt membrana ſigillo Ducis munita, latinoque ſermone decora, quæ hunc

Conditur monaſterium Brzeznovienſe.

in

in diem ſervatur, quamque ipſi nos oculis ac manibus tractavimus in hæc verba conſcripta. (g) " Hactenus Hagecius: „ nos vero hoc antiquitatis cimelion ſervatis omnibus vete„ rum characterum ductibus, plicarum carieique indiciis „ ſcalpro excuſum oculis Lectoris coram ſiſtimus. „

ANNUS JESU CHRISTI 993.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 9. OTTONIS III. REG. 11.

BOLESLAI II. AN. 27. S. ADALBERTI EP. PRAG. 12.

(a) Anonymus Ludevigianus & Menkenianus compendiator ſcilicet & interpolator Pulkavæ, qui pluribus locis manifeſtiſſima prodit indicia, ſeu ſe Monachum Brzevnovienſem fuiſſe, ſeu certe ex archivo iſtius cœnobii ſua monumenta hauſiſſe, nihil de hoc ſomnio ſeu Boleslai ſeu S. Adalberti memorat, cum in referendis monaſterii hujus initiis ſat locuples ſit, ut anno ſuperiore, quo hæc pertinent, legimus.

(b) Traditio, quæ penes monaſterium iſtud hodie eſt, latices hos indicio lambentis cervi S. Adalberto & Boleslao indicatos fuiſſe vult. Oſtenditur hodie in horto iſtius cœnobii idem fons perpetuo ſcaturientibus limpidiſſimis aquis dives, quas omnium longe lateque ſaluberrimas prædicant rei hydroſtaticæ periti. Fonti iſti hodie elegans ſublimisque ex lapide ſtructura injecta eſt, in cujus infima parte hæc hiſtoria egregio ſtatuario opere repræſentata viſitur.

(c) Iſthæc omnia hactenus ab Hagecio enarrata ad annum ſuperiorem referenda ſunt; cum enim præſente jam anno XIIX. Kal. Februarii ſeu 15 Januarii, ut toties memoratus Anonymus prodit, Eccleſia Brzevnovienſis conſecrata fuerit, neceſſario hæc an. ſuperiore præceſſe-

Pitter in S. re Gumbero pag. 133. Minus recte igitur Reverendiſſimus Pitter anno priori præſentem 993 ſubſtituit, perperamque Anonymum iſtum corrigere attentavit; quis enim

ssimo Domino Domino

iensis monasterii Abbati, Vahlstadii

viam et Silesiam Visitatori, Sac. Cæs. Reg.

infulato, professo jubilato, Mæcenati sum=

n, servatis omnibus priscorum characterum ductibus,

iciis

D.D.D.

Gelasius Dobner a S. Catharina

e Scholis Piis.

UNIV. OF MICH.

enim sibi persuadeat intra 14 aut 15 dies ædificium ad eam perfectionem præsertim hiemis tempore excrevisse, ut dedicari posset.

(*d*) Per quam præcipitem fuisse Ecclesiæ & cellarum seu monasterii structuram temporis calculus persuadet. Nam S. Adalbertus vix quidem ante æstatem superiore anno Roma rediit, ut ita moles hæc septem aut octo menses non amplius operas fatigaverit. Minus recte vero scribit Hagecius, omnem structuram isthic consummatam fuisse: nam idem Anonymus dedicata hoc anno Ecclesia subjungit: *His ita peractis Abbas Anastasius* (seu Papas Radla) *cum fratribus sibi commiss.s locum sanctum sibi commissum cæperunt excolere, suisque manibus laborabant. Ecclesias & alias officinas quæ nondum erant perfectæ sive constructæ, in brevi tempore cum Dei adjutorio & imprimis Adalberti S. suffragio, qui coram suis manibus in eodem monasterio & ecclesia secundum regularem institutionem cotidie cum fratribus laborabat. In cujus evidentiam chirotheca valde simplicis operis & texturæ facta, in qua laborabat, in eodem monasterio diligenter reservatur pro testimonio. In eadem ecclesia* (persequitur Autor) *quæ mox Parochialis facta est, fratres laudes Deo persolvebant devote die & nocte, quia nondum major ecclesia, in qua nunc fratres Deo laudes persolvunt, erat ædificata.* Et rite quidem hæc Anonymus: Nam ex diplomate Ducis Brzetislai Rayhradensi Cellæ dato liquet: post annos 50 primum hanc majorem Ecclesiam in honorem S. Adalberti conditam fuisse. Ex his omnibus manifestum fit, & sub dedicationem monasterii hujus anno præsente in Januario factam nondum omnia consummata, & molem eam, cum tam paucos menses absumpserit, primæ illi ordinis hujus paupertati summe consonam, atque procul dubio plane & ex toto ligneam fuisse, quæ omnino intra mensium illorum spatium absolvi potuit. *Apud Menken. ibid. p. 1645.*

(*e*) S. Adalbertum monasterium Brzevnovense dedicasse, non modo luculenter cognoscitur ex diplomate Boleslai, quod excusum subjungimus, sed & id adjectis quibusque rerum circumstantiis verbis expressis tradit toties commemoratus Anonymus: *Dedicatumque est*, inquit, 19 *Kal. Febr. ab ipso B. mem. Adalberto Episcopo Pragensi secundo, ordinationis suæ anno* 24 *in honore S. Benedicti & SS. Alexii & Bonifacii, præsente memorato Boleslao multisque Principibus terræ adstantibus, & Anastasium* (Papatem Radlam) *Abbatem cum duodevis monachis de supra dicta ecclesia* (Kosteletz) *advocans eisdem imperavit, ut ab eis* *Apud Menken. T. III. p. 1644*

eis incoleretur locus sive monasterium Brevnow, dans ipsum Abbatem in manus Ducis Boleslai sub testimonio atque adjutorio Dei. Diem 19. Kal. Februarii seu 14 Januarii, quam author Dedicationi monasterii assignat, ego potius ad incolatum & possessionem monasterii spectare autumo, quam verosimillime pridie Dedicationis Anastasius cum duodecim fratribus ex ecclesia Kosteletz advocati arripuerunt. Nec mirum, diem primæ acceptæ possessionis in diem dedicationis transiisse, cum ex omnium monasteriorum veteri hodiernoque usu anniversarii dies primæ acceptæ possessionis celebrentur statis diebus, anniversarii dedicationum propter Dominicarum mobilitatem varientur. Cum igitur anniversariæ diei acceptæ possessionis dominica insequente Brzevnovienses dedicationem ecclesiæ monasteriique sui celebraverint, ac proinde hæc dies index celebrandæ dedicationis fuerit, haud mirum illam cum ipsa die dedicationis confusam fuisse. Quod vero præsente anno vix quidem dedicatio monasterii 14 Januarii, sed die sequente acciderit, mihi persuadet, quod usus & ritus ecclesiæ hoc sæculo quemadmodum hodie passim, tulerit, ut dedicationes seu consecrationes Ecclesiarum nonnisi diebus Dominicis festisque solemnioribus fierent. Jam cum anno 993 Litera Dominicalis A fuerit, ac 15*ta* Januarii in Dominicam inciderit: in quem diem simul festum S. Mauri primi e S. Benedicti discipulis coincidit, verosimillimum est hanc ipsam XX. Kal. Febr. seu 15 Januarii veram genuinamque dedicati monasterii diem fuisse. Quod ad 24*tum* præsulatus Sancti Adalberti annum attinet, in quem author hanc monasterii dedicationem incidisse tradit, eum minime ex Tabulario Brzevnovienſi, sed calculo Cosmæ perperam hausit, qui cum anno 969 S. Adalbertum Cathedram Pragensem occupasse scribat, annus præsens omnino vigesimus quartus Præsulatus sui esset, sed nonnisi duodecimum fuisse usque ad XI. Kal. Martii ex superius dictis manifesto liquet.

(*f*) Hæc omnia ex adjecto diplomate testata fiunt. Porro non solius Boleslai, sed etiam S. Adalberti munificentia tot tantorumque fundorum præstationumque donationes profluxisse Boleslaus ipse principio diplomatis sui fatetur, cum dicit: *Brevnovienſi monasterio a me & venerabili patre Domino Adalberto Pragenſi Episcopo laudabiliter* Ibidem. *constructo.* Quæ suprafatus Anonymus latius explicat: *B. quoque Adalbertus*, inquit, *de suo patrimonio contulit eidem quam plurima, scil. villas Brescy & Wikanie, & alias villas & possessiones multas. Insuper famu-*

famulos & servitores, scil. pistores, sutores, coquos, nec non famulos ad calefaciendum stubas, aliosque operatores diversorum operum, quæ longum est per singula enumerare. Et hæc omnia, ut perpetuè eidem monasterio ipsi & heredes eorum subservirent. Hinc profluxit quod Langius dicat: *Cœnobium Brzevnoviense S. Adalbertum fundasse de patrimonio suo.* Sanctusque Adalbertus passim pro fundatore hujus cœnobii a posterioribus venditetur. *Paulus Langius in Chron. Citizensi ad annum* 1420

(g) Minus accurate, fideliterque hujus membranæ verba reddita, & in vernaculum ab Hagecio translata fuere, nam ut minutiora quæque, locorumque anagrammata prætermittam, *Cristanus*, per cujus manus hoc diploma datum est, non habet appositum agnomen *de Scala*, quod illi affinxit Hagecius. Id aliaque complura & cumprimis plurimorum eruditorum desiderium mihi præcipue stimulo fuere, ut genuini diplomatis istius secundum primos suos veteres ductus & syncopationes isthic typum excusum darem. Hæc vero ipsa *charta* seu membrana est, quam Anonymus Menkenianus & Ludevigianus ait S. Adalbertum in manus Boleslai Ducis tradidisse, de quo illius verba sunt: *Quæ omnia prædictus Episcopus Adalbertus chartam manu tenens, primum quod hoc totum, quod scriptum est, antea præordinatum a Duce fuisset, adstante Christiano, qui alio nomine Strachkwas dicebatur, quasi binoncius fuit, qui fuit Ducis Boleslai* (frater) *Annastasio primo Abbate & multis Canonicis de S. Wenceslao cum Præposito ipsorum nomine Rech, & Wolen milite, & alio nomine jussit confirmare prædictas libertates, solusque basilicam introivit, & hanc brevem subattestationem posuit in altari dicens:* "*Quicunque tam contumax, aut avarus vel invidus aliquid ab omnibus supra collatis nostra authoritate Servis Dei omnipotentis ab ipsa ecclesia temere præsumpserit alienare, sciat se auctoritate nostro* (imo *auctore Deo nostro*) *in districto Judicis examine cum impiis condemnandum.*" Hæc illa S. Adalberti excommunicatio est, de qua mentionem facit Boleslaus sub finem diplomatis sui inquiens: *rogans, ut omnes ablatores seu invasores hujus privilegii ipse Dominus Episcopus* (Adalbertus) *excommunicaret, quod facere non obmisit.* Hanc vero excommunicationis formulam peculiari schedula fuisse exceptam, ab ipsoque Divo Adalberto super altare positam, cum diploma ipsum Boleslaus prius *super aram Sancti Benedicti Abbatis manibus suis posuerit*, ex utriusque instrumenti collatione clare cognoscitur. Morem autem istum chartas in altare reponendi, & in invasores fulmen excom- *Apud Menken. T. III. p. 1643*

Leges Alemān. c. 1.

municationis vibrandi procul dubio primus Boleslaus & S. Adalbertus mutuavit a vicinis germanis & Legibus Alemannicis, in quibus c. 1. dicitur: *Si quis res suas vel semetipsum ad ecclesiam Dei tradere voluerit, per chartam firmitatem faciat, & testes sex aut septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat, & ponat super altare, & proprietates de ipsis rebus ad ipsam ecclesiam in perpetuum permaneant, et si aliquis illas res abstrahere voluerit, judicium Dei & excommunicationem incurrat.* Porro sub ejusmodi instrumento fundationis, plerumque subjuncto, aut separatim legi solito anathemate, morem fuisse, ut candelæ exstinguerentur, & humi dejicerentur, ex pluribus diplomatibus & cumprimis Henrici I. Barbati Silesiæ Ducis, ejusdemque instrumento fundationis Trebnicensis manifestum fit. Ceterum non me latet quosdam Pragæ sciolos esse, qui de fide diplomatis hujus a nobis excusi dubitant, qui imo posterius confictum esse, mihi in os oggerere non sunt veriti, inducti maxime testimonio alterius diplomatis ab Ottocaro II. Rege Bohemiæ anno 1255 exarati, quo totum istud Boleslai diploma ad verbum repetitur, atque ea de causa renovatum ab Ottocaro & transumtum dicitur, quia autographum *jam nimia vetustate fere consumtum erat, adeo quod propter attritionem cartulæ vix literæ apparebant.* Verum si nihil aliud Viris istis in penu sua atque istud est, quo fidem diplomatis istius infringant, ausim dicere: eos antiquitatis, reique diplomaticæ minus peritos esse, eo quod ignorent hoc in genere cautissimos fuisse sæculorum remotiorum Monachos, ut præsertim instrumenta fundationum, majorumque donationum passim geminaverint, atque subinde etiam terna exemplaria non modo scribi, sed etiam Principum sigillis muniri fecerint, ut uno alterove fortuito amisso aut pessumdato, tertium suppeteret; quanquam hodie exploratum certo non sit, cujus fidei alterum tertiumque exemplar creditum fuerit, an Ducalis, Episcopalisve archivi custodiæ permissum? an inter alia ordinis sui monasteria distributū? In Bohemia profecto morem eum viguisse, complura hodie exempla, quæ supersunt, probant. Sic nos ipsi fundationis Litomislicnsis tria etiam hodie exstare autographa exemplaria per totum consona certo scimus quorum duo his ipsis oculis spectavimus. Unum servatur in Canonia Strahoviensi, alterum penes nos est, tertium habetur in Curia Zwittaviensi, unde transumtum suum hausit Berghauerus. Diversum igitur exemplar est, quod multum quidem a vermibus arrosum, integrum tamen, & maximam partem legibile in Archivo Brzevnowiensi hodie etiam servatur, ab illo, quod Ottocaro II innovandum & transumendum fuit propositum; id quo postea devenerit, incognitum.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Cum toties laudatus Anonymus Menkenianus jam præsente anno alium nomine *Rech* Præpositum S. Wenceslai seu Cathedralis Ecclesiæ Pragensis referat, merito conjectura capitur, Williconem Præposituræ suæ renunciasse, exemploque S. Adalberti & Papatis Radlæ incitatum jam superiore, seu anni hujus principio nomen suum ordini Divi quoque Benedicti dedisse. Sed in quo rursum monasterio eum cucullum suscepisse dicemus? ego quidem minime aberrasse videbor, si id in cœnobio Magdeburgensi factum fuisse asseruero; ejus rei manifestum indicium posteritati reliquit alter Biographus S. Adalberti, qui fuit S. Bruno Bonifacius Martyr & Prussorum Apostolus, ut jam alibi innuimus. Hic de testimonio Williconis memorati loquens, subjungit: *Cui rei, qui illa hora præsens erat, Willico quidam bonus & sapiens Clericus testimonium asserebat, & nos legimus, cum ad nostrum Abbatem hoc scriptum filius mandaverat. Ipsum Episcopus Adalbertus suæ ecclesiæ Præpositum habuit. Post super cordis arida flante Spiritu Sancto nobilem monachum Mons Casinus recepit. Noster ille Abbas*, cujus Willico *filius* erat, ad quem hoc testimonium dedit, quodque S. Bruno legit, haud alius quidem fuisse videtur atque Magdeburgensis, cum Paulus Langius de S. Brunone Bonifacio hæc verbis expressis scribat: *Bruno Episcopus & Martyr, & ipse nostri ordinis apostolicus prædicator exstitit. Qui natione Saxo ex illustri Baronum de Querffurt prosapia genitus, educatusque in Monasterio Magdeburgensi.* Certum autem est S. Brunonem nunquam Montis Cassini Monachum fuisse, ut proinde per verba *nostrum Abbatem* illius monasterii Abbatem intelligere non potuerit. Serius autem hoc anno, & fortassis primum post martyrium S. Adalberti accidit, quod Willico demum ex Magdeburgensi (quod eo tempore haud infrequens erat, nec hodie antiquatum est) ad Cassinense transierit. Quod nomen in ordine S. Benedicti sortitus fuerit, nuspiam proditum. An fortassis Laurentius ille Cassinensis Monachus est, a quo MS*am* habemus vitam S. Wenceslai, de quo P. III. p. 611 & 614 egimus? Ceterum hunc *Rech* Præpositum Canonicorum S. Wenceslai prætermisit in Serie sua *Præpositorum Pragensium* tam Pessina, quam Berghauerus. Nec scio, quid posterior sibi velit, cum non modo fluctuat, hoc ne jam tempore & ante *Marcum* Ecclesia Cathedralis Pragensis aliquos Præpositos habuerit? sed plane in adversam sententiam

Apud Mabill. Sæc. V. Bened. p. 866

In Chron. Ciriacensi p. 761.

Pessina in Phos. Sept. p. 604. Bergbauer in Procem. Pansir. p. 136.

tiam inclinat, hæc subjungens: *Optime putant ii, qui Præpositi & Decani officia multo serius invaluisse constituunt.* Profecto supra allata Biographi Synchroni verba testantur, jam S. Adalbertum Præpositum Ecclesiæ suæ Pragensis habuisse; & vero successorem illius etiam habemus ex mox commemorato Anonymo Præpositum *Recb*, ut procul dubio *Pokorzinus*, quem ex Hageeio retulit Pessina, hoc tempore locum inter Præpositos Pragenses non mereatur.

II. Hunc tandem aliquando verum annum fundati Brzevnovienſis monasterii consignavit Hagecius, quem omni loco ex veterioribus illustravimus, atque amplificavimus. Non prætermittendum ex sæpe commemorato Anonymo: Boleslaum Ducem hoc ipso anno adhuc præter vere regiam in allato diplomate factam donationem se liberalissimum in idem cœnobium exhibuisse, cum in festo S. Benedicti devotionis causa ad idem monasterium urbe egressus denuo omnes supra nominatas donationes confirmavit, ac insuper bis mille quingentos denarios in singulos annos e reditibus suis numerandos jussit. Autographum istius donationis nuspiam hodie in Archivo Brzevnovienſi comparet, conservavit tamen transumtum illius Anonymus laudatus Ludevigianus, hisque verbis conceptum fuisse refert:

Apud Ludevig Reliqu. MSS. T. XI. p. 175.

Sciant omnes Christi fideles præsentis & futuri temporis: quod ego Boleslaus Gratia Dei Boemorum Dux, ad petitionem Venerabilis Adalberti Episcopi, & Annastasii Abbatis Brewnovienſis monasterii de reditibus nostri Ducatus, quousque mundus voluitur, MMD. denarios per diversa tempora contuli solvendos. In Pascha vid. D., & in Pentecoste totidem, & in festo S. Gnerami (Emerami) *Episcopi Ratisbonenſis residuum. Si quis autem hoc decretum violaverit, sciat eternaliter damnandum. Facta est autem hec donatio Ao. Dom. Incarnationis DCCCCLXXXXIII.*

Mille quingenti denarii, qui isthic monasterio quotannis assignantur, secundum nostram jam P. I. factam supputationem (quamque etiam noster P. Adauctus in suo libro Monetario rectam esse advertit) valore suo intrinseco ducentos octo florenos hodiernæ monetæ æquabant; singuli enim denarii, ut ibidem diximus, quinque, ut vulgo nominamus, cruciferorum pretium plus minus constituunt. Quantum donum illo tempore



Gestochen von Carl Schütz

pore, nec tot detectis auri argentique fodinis in Europa, & cumprimis Americæ thesauris necdum cognitis, reipsa haud exiguum fuit. Assignaverat Boleslaus jam in priore diplomate sub ipsum dedicatum monasterium universim totidem mille quingentos denarios numosve coenobio Brzevnovienſi, scilicet ut Villicus Pragenſis in dedicationis anniversaria die singulis annis solvat 300, Villicus Plyznenſis in Paschate 300 numos, in Pentecoste 300, in festo S. Michaelis 300, denique in Nativitate 300. Hic insuper ex communibus Ducatus reditibus, seu Quæstura Ducali per tres terminos totidem denarii pendendi præcipiuntur; ut ita donationem priorem pecuniariam duplicaverit; nam inter numos & denarios vix quidem hoc sæculo differentiam aliquam fuisse merito censemus, quandoquidem minoris moduli ponderisque nullus hactenus detectus denarius Boleslai nomine insignitus. Cum autem in Præfatione statim Partis I. Annalium nostrorum polliciti fuerimus, nos cujusque Ducis Regisque nostri monetas scalpro excusas Lectoris obtutibus præsentaturos, isthic octo typos denariorum nomen Boleslai præseferentium exhibemus, quos Boleslao isti, de quo nobis sermo, merito tribui pluribus argumentis ostendit noster P. Adauctus, qui cum eodem loco inscriptiones illorum, imagines, aliaque huc spectantia copiose pertractarit, eo plura nosse anhelantem remittimus. Ceterum ne vox *Villicus* in diplomate Brzevnovienſi occurrens quempiam perplexum reddat, significabat illa hac ætate *Actorem exactoremque* pensionum & tributorum, nec non quandoque *dispensatorem* Ducalem per urbes & provincias constitui solitum, quorum nomen postea in civitatibus in *Scabinorum* appellationem transiit. Atque hæc sunt, quæ ad annum hunc pertinere invenimus, sacra videlicet; de gestis aut expeditionibus Boleslai altum silentium. Id Annalista Saxo & Hildesheimenses memorant: Saxones ter frustrato eventu adversus Slavos expeditionem adornasse: contra Slavos crebris excursionibus Saxoniam vexavisse: quarum expeditionum num partem aliquam Boleslaus noster tulerit, nihil proditum.

Beschr. böh. Münzen. 1. Band p. 124. & seq.

Du Frosne in Glossario

Annal. Saxo & Annales Hildesheim. ad h. a.

AN-

ANNUS 994.

Mieczislaus Polonus in vadis Bohemiam.

Annum quartum & nonageſimum ſupra nongenteſimum cognata arma exhauſerunt. Mieczislaus Dux Polonorum Boleslao fœderum vinculis nexuque affinitatis junctus, injuria provocatus nulla, ſeptentrionales, vergentesque in ortum Bohemos, ſed cumprimis Glatzenſem regionem irruptionibus, latrocinationibusque vexare cœpit. (a) Boleslao rem tamen legationibus agere placuit, amice monendo frena injiceret tantis ſuorum graſſationibus. (b) Sub hæc Wladimirus filius Swatoslai Ruſſiæ Princeps, occiſis fratribus ſuis Olha & Jaropolko, (c) in Poloniam irrupit, captisque caſtris Primislavia & Czyrwenio omnem Radnikenſem provinciam occupare cœpit, majora etiam moliturus. Id nuncium ſicut Mieczislaum non leviter perculſum ad ſua defendenda cum exercitus maxima parte in illa regionum confinia traxit, ita Bohemum contra audaciorem reddidit ad bellum quoque Polonis inferendum, quibus cum ſat ſuperque negotii cum Wladimiro eſſet, haud pares viſi Boleslai copiis reſiſtendi. Kraſſata Sukoradskius militiæ Bohemæ Dux uno belli impetu in Poloniam abreptus igne ferroque vaſtat omnia, Cracoviam vi capit, caſtrumque ſupra urbem in monte ſitum Wawel nomine præſidiario milite occupat. (d) Interea incerti rumores Poloniæ illudebant: adeſſe Boleslaum Bohemum cum omnibus exercitus ſui viribus, meditarique univerſæ Poloniæ ereptionem, ii cum ad aures Mieczislai penetrarunt, fugiens is cum filio (e) copias ſubduxit in

Exercitum revrahere cogitur ob irrumpentes Ruſſos.

Boleslaus vaſtat Poloniam.

Cracoviam occupat.

fil-

silvas; sed cognita rumoris vanitate ad recuperandam Cracoviam omnem vim operamque convertit. Krassata Sukoradskius ceteroquin non instrenuus Dux circumquaque a Polonis obsessus celeres nuncios expedit ad Boleslaum auxilia commeatusque petitum, per eosdem simul Principi nuncians, filium Mieczislai Boleslaum a Polonis in Ducem electum esse. (f) Nec defuit laboranti Krassatæ Bohemus, missisque mille ducentis strenuis bellatoribus, additaque annona ac militaribus instrumentis, Cracoviam aliaque occupata castra sat tuta adversus omnes insultus præstitit. (g)

Mittit auxilia commeatumque.

ANNUS JESU CHRISTI 994.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 10. OTTONIS III. REG. 12.

BOLESLAI II. AN. 28. S. ADALBERTI EP. PRAG. 13.

(a) Quocunque demum fonte usus Hagecius in istis enarrandis, pluribus annis præoccupanda erant. Nam Mieczislaum I. Poloniæ Ducem, quem isthic Hagecius intelligit, jam abhinc duobus annis mortuum fuisse ostendimus. Anno vero 989 Boleslaum inter & Mieczislaum seu Mesiconem inimicitias exarsisse, anno sequente 990 Boleslaum adversus Misconem expeditionem suscepisse, eique urbem Nemez eripuisse, suis locis ostendimus.

(b) Martinus Cromerus hæc Hagecii narrata admiratus subdit: *Viderit Hagecius, quem secutus sit authorem in eo, quod Miezislaum mitem & quietis amantem Principem nulla injuria provocatum cum affine suo Boleslao bellum gessisse vult. Nostrorum quidem nemo quicquam ejusmodi memoriæ prodidit.* Atqui si Cromerus attente legisset Ditmarum, reperisset, quod id ipsum Boleslaus questus sit Principibus Theopha-

Cromerus hist. Pol. l. 3. c. 2.

phaniæ Imperatricis, Miſeconem *regnum* ſeu provinciam hereditariam ſibi eripuiſſe; quanquam id nec de Glatzenſi, nec alia Bohemiæ Moraviæque regione intelligendum eſſe, ſuperioribus annis docuerimus.

(*c*) Hæc juxta Scriptores rerum Ruſſicarum multo maturius circa annum 981 acciderunt, quo Wladimirus univerſæ Ruſſiæ Monarchiam ſibi fratricidio vindicavit. Et quidem Olegus non fuit occiſus a Wladimiro, ſed cum idem Jaropolko fratri bellum inuliſſet, in acie cecidit. Olego demortuo Jaropolkus Ducatum Drevicenſem Olego a patre teſtamento tranſcriptum occupavit. Id cum Wladimirus fratrum natu minimus Duxque Novogrodenſis ægre ferret, meritoque metueret, ne pari modo fratri Jaropolko ſuccumberet, trans mare ad Waragros confugit, iſthic collecto valido exercitu adortus fratrem, eum proditorie vita & Ducatu privavit. Quæ omnia ante annos 13 acta ſunt. Anno demum 992 accidit, ut ſupra ex Ditmaro & Annaliſta Saxone oſtendimus, quod Wladimirus bello implicitus fuerit cum Polonis, neſcio num vivente adhuc Meſicone; expeditionem profecto adverſus Wladimirum ſuſcepiſſe filium Boleslaum Chabry, eodem anno ex Ditmaro retulimus.

(*d*) Hæc anno uno, aut plane duobus ſerius enarrare Hagecio acceſſum erat; nam anno ſequente adhuc legemus Mieczislaum ſive Miſeconem ſocia arma Boleslao noſtro junxiſſe ad domandos Slavos aquilonares, adverſus quos Otto III. novam expeditionem adornaverat. Quis enim ſibi perſuadeat, ſi ſimultas iſta has inter duas gentes & Principes jam hoc anno erupiſſet, eos tam pacifice in ſuppetias Ottoni conſenſuros fuiſſe. Porro multum aberravit, duce quidem Coſma noſtro, Hagecius atque Daubravius, cum hunc Mieczislaum ſeu Meſiconem, ſub quo amiſſa fuit Cracovia, Meſiconem I. fuiſſe crediderunt. Fuit Mieczislaus iſte ſive Meſico Boleslai Chabry filius, cui pater, expulſis patrimonioque privatis fratribus ſuis, omnem Poloniæ regionem, quæ utrumque latus Oderæ fluvii lambit, adminiſtrandam dedit, cum is alioquin graviſſimo cum Ruſſis bello diſtineretur.

(*e*) Si computus ineatur ab anno 965, quo Daubravca Mater Boleslai Miſeconi nuptui tradita eſt, & ab anno 967, quo idem Boleslaus ex eadem Daubravca natus eſt (qui calculus eſt ad annum præſentem 27, ſi vero duobus annis ſerius id ſtatuamus, 29 annorum) vix admitti

qui-

quidem potest, Miseconem prioris nepotem jam filium habuisse; quin Miseconi isti admodum adhuc juveni Oderanam regionem a Boleslao Chabry concessam fuisse, persuadet eadem annorum supputatio. Procul dubio Boleslaus hoc in facinore æmulatus est Germanorum consilium, qui hoc ipso tempore Ottonem III puerum plerisque expeditionibus bellicis præfecerunt.

(*f*) Boleslaus iste jam anno 992 patri demortuo successit in Principatu Poloniæ, non quidem ut is universæ Poloniæ unus solusque Dominus rectorque esset: sed patris testamento, ut Ditmarus prodit, Polonia in plures filios fuit divisa, quos paulo posterius omnes Boleslaus paterna sua hereditate exuit; id invasæ a Boleslao ac ereptæ Cracoviæ aliarumque provinciarum causam fuisse, paulo infra dicemus.

(*g*) Similia pene & locupletiora etiam narrat Dubravius: qui duo authores cum pene uno eodemque tempore scripserint, nec alter de altero quidquam compertum habuerit, quod historiam meditetur, in narratione tamen ereptæ Cracoviæ atque per *Krassatam* seu *Crasotam* (ut eum vocat Dubravius) defensæ mire conveniant, luculento argumento est: utrumque vetustius Manuscriptum præ manibus habuisse, unde memorias istas hauserunt. Dalimilus nonnisi quatuor versiculis rem omnem absolvit: *Dubrav. Hist. Bojem. l. 6. p. 42.*

Polany pewnie poby,
A wssie zemie aż do Krakowa doby.

Polonos fortiter debellat,
Et omnem regionem usque Cracoviam domat.

Na Krakowie posadku posadi,
A gine tworze Czechy osadi.

Cracoviæ præsidium imponit,
Et alia prædia Bohemis implet.

PRÆTERMISSA.

I. Postremam anno superiore legimus S. Adalberti memoriam festo S. Benedicti seu 21 Martii, quo Boleslao Pio author fuit ad novam liberalitatem annuorum bis mille quingentorum denariorum monasterio Brzevnoviensi impensam: Lupacius vero & Weleslavinus postremi sui discessus Praga diem tanquam certum indubitatumque defigit ad XV. Kal. Maji, quale quantumque inter 21 Martii & 17 Aprilis spatium temporis admodum breve modicumque videtur, ut tam subito scena mu- *Lupacius in Ephemeryd. Weleslavin. in Calend. ad XV Kal. Maji.*

mutari, atque ea omnia peragi potuerint, quæ uterque Biographus tanquam præcipuas causas & motiva venditat, quibus impulsus ultimo Pragam deseruit. Nos cum minime dubitemus, Lupacium hunc diem postremi sui discessus Praga vetusto sinceroque fonte hausisse, insuper & Cosmas noster susceptum hoc denuo a S. Adalberto iter Romam plane anno præsenti subjiciat, quo Boleslaum *non suæ amplius potestatis sed Comitum* fuisse queritur, merito quoque S. Adalbertum hoc anno postremum Pragenses deseruisse statuimus. Huc igitur spectat, quod prior Biographus his verbis enarrat: *Paulo post cœpit eos* (Bohemos) *ignava mollities, & neglectis prædicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe vitiorum recordationibus præventi in carnalem partem relabuntur, & pereunt labor pastoralis, & diligens cura boni patris. Inter hæc luctuosum & miserabile crimen exoritur: Mulier cujusdam nobilis cum clerico adulterasse publice arguitur, quam cum more barbarico parentes* (id est cognati) *dedecorati conjugis decapitare quærerent, fugit illa per celeres auras, donec voce & cursu usque ad optatum pervenerat Episcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clausit eam in monasterio Sanctimonialium, quod sub vocabulo & veneratione Sancti Georgii consecratum firmissimis mœnibus vallatur; clavim vero Ecclesiæ custodi fideliter commendat: credens ut femina inter feminas solatia doloris, & sub altaris defensione vitæ securitatem haberet. Crimen quoque in se referre voluit, ut se sceleris auctore magnum aliquid fieret, scilicet ut pro pœnitentiæ fructibus, aut illam vitæ servaret, aut ambo simul jussi morerentur. Qua voluntate quia martyrii coronam exposcens erat, adimpleret utique, quod voluit, nisi eum prudenter Dominus Wiollitona* (Mabillonius legit *Willico*, sed minus recte, cum adjectum sit substantivum *Dominus*, quo Williconem nunquam antea impertiit author) *prohiberet. Impia manus interea abscessæ mulieris ferrum necemque parans armato milite episcopale forum irruperunt. Quærunt minis & contumacibus Episcopum dictis, qui contra fas & legalia jura adulteram defendere vellet. Quod ille* (*divinæ contemplationis otio vacans*) *ubi aure percepit, cum velut divisæ noctis hora* (id est media nox) *esset, dicto versu fregit silentia, & in quo clausus erat, exivit de templo. Deinde qui secum erant, fratribus pacis oscula libans; "Bene valete, inquit, & pro me misero ferte pia vota Christo." Inde totus ardore martyrii flagrans, non tardiore desiderio & cursu, quam qui fugit hostem, sponte venit in hostem, ac medium agmen intrepido gressu incedens. "Si me quæritis, inquit, præsto sum."*

Cosmas ad an. 994.

Acta SS. ad 23 Aprilis.

Unus

Unus autem ex illis, cui cum bonis ſemper læva voluntas erat (Kochanum Wrſſovecium fuiſſe infra oſtendemus) *omnium ore talia reſpondit:* „ *Caſſa ſpes martyrii te tenet, & nobilis gloria leti. Errat pro certo hæc ſanctitas, quæ noſtrum vult fieri peccatum, non implebitur tua voluntas, ſed agitur aliquid, quod plus dolet, quia niſi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres tuos, in quorum uxoribus, prole & prædiis hoc malum ulciſcamur.* „ *Hæc dum furens Sclavus contra Epiſcopum delatravit, ecce corruptus auro proditor adeſt, qui excerpens eos clam de agmine vocat, ſeque itineris ducem præbens, domum, in qua clauſa erat, domusque cuſtodem manifeſtat. Cuſtos vero tentus ab illis nunc minis, amicis nunc affatibus, ut illam in manus eorum redderet, diu probatur. Ad ultimum mortis timore perterritus, ſic ſibi creditam cruentis hoſtibus prodidit feminam. Rapitur illa infelix fruſtra preſſis altaribus, & ſub manu conjugis capitalem juſſa eſt ſubire ſententiam. Quod cum ille velut vir juſtus facere nollet, ſub gladio vilis vernulæ truncata pœnas male uſi corporis capite exſolvit.* Hæc tragica illa hiſtoria, quæ ob violationem loci ſacri graviſſimeque læſam immunitatem eccleſiaſticam ſolum vertere coegit S. Adalbertum, quæque poſtea duas potentiſſimas Bohemiæ familias, Slawnikianam ſcilicet Sancti Adalberti & Wrſſovecianam inter ſe attrociſſime colliſit, ut annis poſterioribus videbimus. Id profecto mirum, graviſſimam hanc ac veluti primariam deſertæ a S. Adalberto Bohemiæ cauſam non modo a Coſma, ſed etiam Hagecio & poſterioribus paſſim prætermiſſam fuiſſe. Et quanquam neuter Biographus prodiderit, cujus generis, nobiliſquæ familiæ fuerint illi parentes ſeu cognati *dedecorati conjugis*, haud obſcure tamen ex Coſma noſtro cognoſcimus Wrſſovecios fuiſſe, quos ille ad annum 1037 verbis expreſſis ait a S. Adalberto excommunicatos fuiſſe. Ibi enim Jaromirum Ducem excœcatum, qui Brzetislaum fratruelem in ſolium Ducale collocarat ac monitis quibusque præmunierat, ita inducit loquentem: „ Aſt illos, qui ſunt Verſovici, iniquorum „ patrum nequam filii, noſtri generis hoſtes domeſtici, familiares inimici, ut cœnoſam rotam devites, & conſortia eorum declines. . . . „ Habeas fili mi ſemper in memoria Sancti Adalberti præconia (ſententiam) qui eorum ob facta crudelia ter, ut fiant ſuper eos excidia, ſancto ore confirmavit, & excommunicavit eos in eccleſia. „ Quæ nutu Dei jam bis ſunt facta“ (ſcilicet annis 1003 & 1013 ut ſuis „ locis oſtendemus), „ tertio ut fiant, adhuc ſunt ſollicita fata. „ Annaliſta Saxo plane nomine prodit *Kochanum*, qui a S. Adalberto excommu-

Coſmas ad an. 1037.

Annaliſta Saxo ad an. 1000.

municatus fuerat, ſic enim ille: "Erat in Bohemia quædam generatio, „ quæ appellabatur familia Wriſſovici, quorum primus erat vir ſce- „ leratiſſimus nomine Kocan, hunc beatus Adalbertus excommunica- „ verat publice in Eccleſia. „ Hic ipſus Kochan Wrſſovecius eſt, qui ceteris fax & tuba fuit, ad Jaromirum poſtea in ſilva alligandum indigneque tractandum, quique eundem Jaromirum poſtremum ficcâ confodit, hic ipſus de quo ſupra Biographus, *cui cum bonis ſemper læva voluntas erat*, ut procul dubio inter ceteros nomine excommunicari meruerit a S. Adalberto. Erat autem hoc tempore Wrſſoveciana, omnium in Bohemia ditiſſima potentiſſimaque familia, unde hoc Sancti Adalberti anathema in Wrſſovecianos vibratum univerſam non modo cognationem Slawnikianam, ſed & omnes familiares, & fautores S. Adalberti, ipſosque Roma adductos Monachos Ordinis S. Benedicti in ſummum odium & diſcrimen adduxit, quod annorum quatuor conſequentium ſpatio tantum exaſperatum eſt, ut ſenior frater S. Adalberti pro ſalvandis fratribus ſuis plane patrocinium Imperatoris Ottonis implorare coactus ſit, quo non obſtante quinque fratres illius capta & deleta avita civitate ſua crudeliter a factione Wrſſoveciana interempti ſunt, S. Adalbertus poſtremo ad Boleslaum Polonum ſe recipere coactus, Monachi Brzevnovienſes omnes fere dilapſi; ut ſingula locis ſuis annisque enarrabimus. In his itaque & compluribus aliis cum S. Adalbertus adverteret Boleslaum ſuam auctoritatem non interponere, nam ut Coſmas ait: *tunc temporis Dux non erat ſuæ poteſtatis ſed Comitum*, prudens proſpexit ſe omnem perditurum operam. "Flet, inquit prior „ Biographus, bonus paſtor, quia in morbido grege ſigna ſalutis nul- „ la ineſſe conſpexit. Hinc proſpectandis ſequentibus malis oculos „ claudere volens dulcis Romæ mœnia reviſit. „ Nihil vero magis deſideraverat S. Adalbertus, quam ut Papatem ſuum Radlam ſeu Anaſtaſium Abbatem Brzevnovienſem viæ comitem denuo haberet, cui cum ille ſe ſociare tergiverſaretur, *Papati ſuo ait* (verba ſunt alterius Biographi) *ſcias certum, aut ubi ego ſum venies, aut amplius me nunquam videbis.* Hunc vero Papatem Anaſtaſium multis obniſum fuiſſe, ut ne S. Adalbertus denuo Praga diſcederet, ex eodem Biographo cognoſcitur, adeo ut cum eo propterea ſeverioribus etiam quibusque verbis expoſtulaverit. Scilicet procul dubio Anaſtaſius tanquam e ſpecula imminentem tempeſtatem proſpexit, quantumque repetitus iſte abitus etiam cœnobio ſuo allaturus ſit nocumentum, quod in tanta factionis Wrſſovecianæ licentia defenſore cariturum ſit. Quid autem ſimilia ex-

Apud Mabill. ſec. V. Bened. p. 859.

Ibid. p. 867.

pro-

probranti Anaſtaſio acciderit, ex eodem Biographo (quem Surius in lucem quoque protulit) audiamus: " Aſtericus "(hem! Aſtericum non „ fuiſſe alium ab Anaſtaſio & Papate Radla)„ ejus quondam Clericus „ contra Sanctum Virum arguendo, increpando, cum multa inutilia „ furibundo animo loqueretur, ultra limitem rationis proterva contentione progreſſus, quaſi quem amplius videre nollet, magna cum „ amaritudine reliquit. Arrepto autem itinere tota die ipſe cum ſocio homine ſuo equitans errare cœpit, ut cum viam haud aliter atque manum ſuam ſibi notam invenire non poſſet, ex pœna cognoſceret, quam grave peccatum cum Epiſcopo contendendo perpetraſſet. Porro ad veſperam caſſo labore reverſus in urbem, quod „ ita dictante (*conſcientia*) ex humana infirmitate deliquiſſet, pœnitere „ re coram Deo toto corde cœpit. „ E quibus non obſcure cognoſcitur, Anaſtaſium ſe ſe equitem per certum viæ ſpatium ex urbe Praga diſcedenti S. Adalberto comitem adjunxiſſe, nam & idem Biographus de S. Adalberto dicit: " Ergo divinus heros aſcendit equos, dulcem „ Romam reviſit. „ Sed nec ſapiens argutumque hujus Sancti dictum, in itinere prope Ravennam prolatum prætermittendum eſt: " Hunc *Ibid. p. 868.* „ Epiſcopum, *inquit author*, quo dignum non fuit ſæculum noſtrum, „ cum ſine baculo iter agens Ravennam veniret, cur ſine virga paſtorali vir tantus incederet, optime cautus Dei ſervus durans interrogavit. Reſpondens verbum memorabile ille homo, qui vere „ potuit loqui: Vivit Deus, inquit, in cujus conſpectu ſto, facile eſt „ geſtare pedum, ſed difficile reddere rationem, cum venerit ad judicium, qui non errat, Judex vivorum & mortuorum, „ Verum jam penitus ea abſolvamus, quæ ex S. Adalberti geſtis Romæ ad hunc annum ſpectant.

II. Sub adventum Romam, inquit prior Biographus: " Navi mona- *Ibid. p. 859.* „ ſterii mutat paſtoralia frena. Congaudent illo redeunte monaſticæ „ plebis ſacra collegia, ac ſanctitatis ſuæ amore pariter & utilitate perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, ſed præ omnibus Abbas ſuus, „ qui & poſt ſe totis cohortibus fratrum præfecerat illum. „ Ex his intelligimus S. Adalbertum in monaſterio SS. Alexii & Boniſacii *Priorem* fratribus præpoſitum fuiſſe; e quo Prioratus munere procul dubio erit ſermo ad fratres, qui in Bibliotheca MSS. Caſinenſi hodiedum aſſervatur hoc præmiſſo titulo: " Homilia Venerabilis Adalberti Epiſcopi „ & Martyris in Natali S. Alexii Confeſſoris ſuper illo Matthæi textu:

Do-

ad 23 April. §. 3. N. 20. „ Domine ecce reliquimus omnia. „ Huic Homiliæ perhibent Clarissimi Viri Bollandiani subjungi varia miracula intercessione S. Alexii patrata, quæ num ab eodem S. Adalberto congesta fuerint, nihil proditum. Qualem se vero in hoc munere Prioratus exhibuerit, his denuo verbis prior Biographus exprimit: "Ille omni vilitate contentus, quan- „ to magnus erat; tanto se cunctis inferiorem præbuit: quanto spiri- „ tualibus divitiis dives, tanto in oculis hominum parvus, pauper & „ despectus esse cupiverat. Dicunt autem Abba & fratres ejus de eo " „ (Hem! auritum Synchroni testimonium) „ quia in omni virtute ad „ unguem perfectus, & extra martyrium vere sanctus erat. Sic de „ die in diem semper novus, & se ipso robustior succrescens ad di- „ vinæ contemplationis fastigia velut castissima turtur evolaverat. „ Majora etiam dicit alter Biographus, qui præsertim eum colloquia spiritualia seniorum tam Græcorum quam latinorum monachorum in cœnobio S. Alexii Deo militantium quæsisse perhibet.

Ibidem.

III. Scriptores rerum Brzevnovienſium proferunt Bullam Joannis XV præterito anno datam, qua idem monasterium in protectionem sedis Apostolicæ recipitur, Abbati mitra, chirotecæ, sandaliæ, mappula & baltheum conceditur, eidem primus locus post Pragensem Episcopum designatur, monasterium ipsum caput & magistra in correctione ac reformatione regularis disciplinæ super omnia claustra ordinis S. Benedicti posthac in Bohemia construenda constituitur, denique cavetur, ut post obitum Abbatis nemo ithic Abbatem instituat, nisi quem ipsa Congregatio communiter & concordi consensu elegerit, quem sic electum Pragensis Episcopus auctoritate Apostolica consecret. In hac ipsa Bulla cum verbis expressis legatur: "Sicut venerabili fratre nostro „ Adalberto Episcopo Pragensi fundatore ejusdem referente intellexi- „ mus, *item rursum*: ipsius dilecti fratris nostri Adalberti Pragensis „ Episcopi precibus inclinati. „ conjectura verosimilior capi posset eam potius præsente quam lapso anno exaratam esse, adeo ut Romam veniens monasteriique a se fundati perpetuam firmitatem cum quibusque prærogativis meditatus Pontifici coram supplex factus sit, bullamque istam impetraverit. Istud quidem mihi verba superiora, annorumque & rerum gestarum nexus persuaderet, nisi admodum dubia esset fides ipsiusmet Bullæ, de qua multum diuque hoc sæculo decertatum fuisse videri potest apud Magnoaldum Ziegelbauer, & in *Auctario recentissime repertorum documentorum ad causam Brzevnovienſis subjectio-*

In hist. monast. Brevnov. p. 19 & seq.

tionis pertinentium. Ea res cum non ita pridem forum utrumque fatigaverit, merito ſuſpendimus organa noſtra. Id ſolum, quod ad hiſtoriam præſentem pertinet, dicimus: indubium videri hoc anno aliquam Bullam Joannem XV ad interceſſionem S. Adalberti dediſſe monaſterio Brevnovienſi, qua id ſub ſuam protectionem accepit, & decimas, fundos, donationesque ceteraque omnia Apoſtolica auctoritate confirmavit, id enim uterque Anonymi codex tam Ludevigianus quam Menkenianus his verbis refert: "Eodem tempore pius Pontifex (Adalbertus) ſup- *Apud Menken. T. III. p. 1647*
„ plicavit Domino Apoſtolico, ut monaſterio Brewnovienſi, quod ipſe
„ ſummo ſtudio in Bohemia conſtruxerat, ut pius pater ſub manu ſua
„ teneret, & omnia vel decimas, vel qualescunque ejusdem domus
„ collationes ſua authoritate confirmaret. Cujus ſupplicationi Dn. A-
„ poſtolicus libenter aſſenſum præbuit, & pro ſuo rogatu privilegium
„ conſcribi juſſit, quod more ſolito ſigillo ſuo authoriſavit. Quod
„ privilegium licet ſit vetuſtate conſumptum, tamen cum ſumma re-
„ verentia in eodem monaſterio uſque hodie pro teſtimonio reſerva-
„ tur.„ Certum eſt ſecundo Bullam eandem de qua ſermo, quamque Ziegelbauer pag. 17 recitat, integram & ad verbum inſertam eſſe Diplomati autographo Przemisli Ottocari Bohemiæ Regis dato Anno MCCXXIV Nono Calend. Auguſti. Id diploma ego ipſe hiſce ſpectavi, manibusque tractavi, in quo præcipue miratus ſum appenſam hodie etiam bullam auream ejusdem Regis ſimillimam illi, quæ in alio diplomate ejusdem Regis ejusdemque anni ſervatur Viennæ in ſanctiori Tabulario Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ, adeo ut has duas aureas bullas ſolas hodie ejusdem Regis ſupereſſe hactenus cognitum ſit. Appenſum porro eſt eidem diplomati cereum exſuccum, pene tamen illæſum, ſigillum Wladislai filii Marchionis Moraviæ, alterumque ſigillum cereum rubri coloris Roberti Epiſcopi Olomucenſis, quæ olim ſcalpro excuſa ſuis locis lectoris oculis ſpectanda exhibebimus. Contra: omni meo ſuſpenſo judicio, dicere fas ſit: Ziegelbauerum laudato loco operam perdidiſſe, cum plures quam XI annos Pontificatus Joanni XV affingere, aut annum ſuperiorem decimum quintum occupatæ ab eo cathedræ Petri fuiſſe contendit. Authores, ad quos provocat, minime critice ſeriem & annos Pontificum perſecuti fuerant, quos hodie ab aliis ex tot derectis bullis, ſepulchralibus lapidibus, inſcriptionibus aliisque monumentis in majorem lucem vindicatos habemus. Ut plurima graviſſima monumenta pertranſeam, exſtat Bulla Canonizationis S. Udalrici eo ipſo anno III. Nonas Februarii ab eo-

dem

dem Joanne XV exarata, in qua non numeris, ſed verbis annus ſuperior *octavus* Pontificatus aſſeritur. Sic enim ibi: *Anno Pontificatus noſtri Joannis Sanctiſſimi XV Papæ octavo.* Felicius ſe Ziegelbauerus ſaltem aliqua veroſimilitudine hoc nodo Gordio extricaſſet, ſi præſidium aliquod ex ipſo tranſumto, & in verbis illis Ottocariani diplomatis quæſiviſſet: " Et quia idem privilegium, ut mos fuit hominum „ temporis illius, in charta juncea (quam quidem chartam æque Author „ Auctarii fugillat) ſeu ſcirpea ſcriptum erat, & in parte magna ve„ tuſtate nimia jam conſumtum, adeo quod propter attritionem ejus„ dem chartæ in quibusdam locis vix literæ apparebant.„ Si inquam in hoc controverſo numero XV Pontificatus Joannis fugientem ductum attritionemque memoratam prætexuiſſet, ac numerum nonniſi per conjecturam aliquam a tranſumtore appoſitum obtendiſſet, in tot tantaque tela adverſariorum non incidiſſet. Ut paucis dicam: multa ſigna ſinceritatis præſefert hæc bulla, contra etiam pluribus dubiis, indiciisque ſubleſtæ fidei obnoxia eſt. Optandum fuiſſet, ut aliquando magno hujus ſacerrimi ordinis in re critica ſtatori Mabillonio in manus veniſſet, isque de ea judicium ſuum aperuiſſet, quandoquidem in Præfatione Act. SS. Benedicti Sæc. V. verbis expreſſis dicit: *Mitræ uſus ante ſæculum undecimum Abbatibus non conceſſus.* Quo loco inſuper ait: nullum ſe hactenus Abbatem reperiſſe, cui ea conceſſa fuiſſet ante Engelſinum S. Auguſtini prope Cantuariam Abbatem, cui Alexander II ejusdem uſum admiſerat; hunc dein uſum poſtea ab Urbano II. frequentari cœptum. Subdit denique: " Non me fugit proferri a non„ nullis antiquiora exempla quorundam Abbatum, quibus Pontifica„ lium ornamentorum, adeoque mitræ deferendæ privilegium longe „ ante ſæculum undecimum conceſſum legitur. Verum ejusmodi pri„ vilegia non ſatis explorata nobis videntur.„ Concludit poſtremo ex Theodori pœnitentiali & Ordine Romano: antiquitus & ante ſæculum XI. ab Epiſcopo Abbatibus in ordinationibus traditum baculum & pedules. Sed hæc omnia non diſiniendæ rei, ſed hiſtoriæ cauſa dicta ſunto, Lectorique liberum eſto, in quamcunque partem ſententiam ſuam ferre, poſtquam bullam eam, quæ non modo pagina 17, ſed etiam 251. intra diploma Ottocari excuſa eſt, legerit, & tam Ziegelbaueri propugnationem, quam Authoris auctarii oppoſitiones examinaverit.

IV.

IV. Anno præsente, die 9. Februarii mortuam esse Miladam seu Mariam sororem Boleslai Pii, primamque monasterii S. Georgii Pragæ antistitem, nescio quo fonte, tradit Crugerius, quem annum post eum amplexus quoque est Balbinus, Hammerschmid, aliique. Balbinus tamen mavult octavam diem morti illius consignari, quod vetus Breviarium Parthenonis S. Georgii eandem diem consignet. Mabillonius eandem aut priorem diem verosimilem quoque credit. Gesta Miladæ prorsum obscura sunt, si ea excipias, quæ ad annum 967 commemoravimus. Uno loco præterea illius meminit Cosmas his verbis: *Quidquid Abbatissa Maria optavit dari suo cœnobio, grata pietate concessit* (Boleslaus frater) *& Canonum auctoritate firmavit.* Cum igitur posteriores nostri passim eam Fundatricem monasterii a se cœpti statuunt, id de patrimonio facultatibusque suis collatis controvertere nolumus, at non detrahendum Boleslai Pii meritis, cui procul dubio primæ competunt. Cosmas noster illam *Virginem Deo devotam, sacris literis eruditam, Christianæ religioni deditam, humilitate præditam, alloquio blandam, pauperum & orphanorum fautricem largam, ac omni morum honestate decoratam* prædicat. Quæ vitæ sanctæ conversatio & publica fama eidem verosimillime *Beatæ* titulum post mortem peperit. Nam scribit Balbinus: *Beatæ titulum annis retro antiquitas Miladæ tribuit, ipsumque etiam altius ab humo elatum in sacrario B. Annæ sepulchrum loquebatur; quod ignorantia præcipiti & supervacanea religionis cura nostra ætate quidam humiliari & deprimi, titulo etiam Beatæ extrito (quasi contra sacros Canones id statutum & inciſum esset) jusserunt. Cum diserte Urbanus VIII. Divis ab immemorabili tempore cultis (quod est centum annorum) nihil se velle præjudicare in iisdem Apostolicis contestetur.* Bollandiani de Milada hæc scribunt: *Milada seu Mlada Boleslai Ducis Bohemiæ filia refertur a Wione l. 4. Ligni vitæ c. 24. inter sanctas Benedictinas Regum filias, non indicato die obitus. Hanc Artburus a Munstier in Gynæceo sacro cum titulo sanctæ hoc die retulit &c. . . Ceterum si venerationem aliquam ecclesiasticam haberet, diem hi indicassent, neque omisissent suis Martyrologiis inscribere Benedictini, maxime qui ultimo in Germania scripsit, qui dum in Germania sacra egit de S. Georgii monasterio, ab ea Pragæ constructo, Beatam etiam appellat, & magna cum opinione sanctitatis ad cœlos evolasse ait.* Hæc cum quoque Balbinus recitasset, subjungit: *Ego hisce oculis in vetustissimo S. Georgii Codice Missali me legisse memini 8. Februarii Commemoratio B. Miladæ. . . . Nihilominus, ut animi mei sensum*

Cruger. in sac. Pul. ad 19 Feb. Balbin. l. 4. Miscell. p. 24. Mabill. sæc. V. Bened.

Balb. cit. l.

Acta SS. ad 28 Martii in Prætermiss.

aperiam: ita comperio: Beatæ titulum ab antiquitate illi esse tributum, at cultum publicum non habuisse. In eo cardo rei universæ vertitur, utrum Balbinus in eo Missali literam B., quo Beatæ titulus indicaretur, appositam fuisse recte meminerit. Certe vox *Commemoratio* prisca sua significatione aliud innuere videtur; nihil enim aliud notabat, quam *anniversarium seu officium pro defuncto aut defuncta celebrandum*, unde etiam hodie dies *Commemoratio omnium fidelium defunctorum* nomen & titulum traxit, conservavitque, ut proinde officium pro defuncta celebrandum titulo *Beatæ* minus respondeat. Profecto jam in Wratislai Ducis nostri memoriis se prodidit Balbinus, quod vocem *commemoratio* minus rite intellexerit, cum eam hac significatione, uti hodie accipimus, ac in Missis commemorationes Sanctorum & Beatorum vocamus, usurpavit. Sane vox hæc superiore significatione accepta e prima disciplina ecclesiæ hausta est. Nam *eam* (inquit Du Fresnius) *usurpant latini Patres pro ea recitatione nominum eorum, quos* Fideles *vocant, quæ fiebat in sacris Missæ Liturgiis.* Ceterum Miladam ad S. Georgium in sacello S. Annæ tumulatam fuisse communis omnium est sententia. Anno 1673, ut scribit Hammerschmid, cum levato strato transpositisque plerisque sepulchralibus lapidibus sacellum integrum die 9 Septembris renovatum fuisset, corpus ejusdem B. Miladæ inventum est, ad quod honorandum tum præsens Imperator Leopoldus I. quoque accessit; *Fuit autem*, inquit idem author, *inventa sine tumba in cripta fornicata jacens, & sub capite excavatum lapidem permodum canalis habens, velum capitis illius sic adhæsit, ac si illi accrevisset, pars funiculi a rosario jam putridi in manibus hæsit, de granis autem rosarii nec unicum repertum fuit. Habitus superior una cum plicis integer visus, postea autem propter magnum humorem sacelli post longum tempus ruptus fuit.* Sed peccavit in antiquitatem gravissime Hammerschmidius, cum partem illam funiculi in manibus B. Miladæ superstitem ex rosario seu corona B. V. Mariæ, qua hodie eam veneramus, esse credidit. Ejusmodi grana si in loculo illius reperta fuissent, nunquam a rei criticæ peritis pro vero corpore B. Miladæ æstimari potuisset. Nam ut recte advertit Mabillonius, verum quidem est, quod sæculo præsente jam B. Virgo per salutationem *Ave Maria* coli cœperit: attamen illa non dicebatur nisi usque ad verba: *Benedictus fructus ventris tui Jesus Amen.* Nec mos iste tum fuit, ut grana seu calculi suffigerentur funiculis, bene vero jam isto & superiore sæculo consuetum erat præsertim conversis fratribus & eremicolis certum pensum orare, quod consta-

Du Fresne in Glossario voce Commemoratio.

In Historia S. Georgii p. 120.

Acta SS. Bened. sæc. V. in præf.

stabat ex geminatione plurium *Pater noſter*, quodque *Beltis* vocabatur, de quo Palladius hiſt. Luſiac. c. 23 loquens de Paulo Ægyptio: *Trecentas*, inquit, *quotidie orationes numeratis in ſinu ſuo trecentis calculis recitabat.* Similia habet Sozom. l. 5. c. 29. Sic anno 816 præcipitur in Concilio Celichtenſi c. 10. de Epiſcoporum exequiis: *ut ſeptem Beltidum Pater noſter pro eo cantetur.* Primum inventorem, qui calculos funiculis cum certo orationum Dominicarum & ſalutationum Angelicarum alterno numero excipere ſolitus, prodit Polydorus Virgilius quendam Petrum eremitam circa annum 1090, adeoque facile uno ſæculo poſterius; hunc ille ait: *modum inveniſſe orandi per calculos quinquaginta quinque ita ordine diſtinctos, ut poſt denos ſinguli majuſculi affigantur filo . . . . . & quot bi ſunt, toties Dominicam precem, quot illi, toties Angelicam ſalutationem ter numero ineundo recitant, terque ſymbolum brevius inferunt, quod Pſalterium Deiparæ Virginis nuncupant.* Dicebatur autem *Pſalterium*, quia ſic geminati calculi centum quinquaginta pſalmorum numerum æquabant. Roſarii vero proprie dicti, de quo hic ſermo eſt, primus inſtitutor fuit ſæculo XIII S. Dominicus, de quo erudite Alphonſus Fernandes Placentinus, adeo ut in ipſo Prædicatorum ordine hodiernum numerum calculorum primum ſæculo XV cœpiſſe contendant quique eruditi cum Mabillonio. His jam transmiſſis, ſi verus emortualis annus præſens eſt B. Miladæ, eodem anno eidem in abbatiali munere ad S. Georgium ſucceſſit Eliſabetha clariſſimo Querfurtenſium Comitum ſtemmate prognata, quemadmodum non modo Tabularium hujus monaſterii, ſed & ſynchrona quæque documenta illam ſecundam Ordine Antiſtitem fuiſſe perhibent, de qua etiam Reuſnerus. Minus recte autem denuo Hammerſchmidius pag. 91 (provocans ad vitam S. Wolfgangi & lectiones Breviarii) dicit: huic Eliſabethæ S. Wolfgangum Abbatialem dignitatem prædixiſſe, uti & *S. Henrico Imperium & Brunoni Eliſabethæ fratri epiſcopatum.* Nam tam vita quam lectiones Breviarii loquuntur de S. Henrici fratre & ſororibus, ſic enim Biographus: *Henricum, qui poſtea nutu Dei Rex eſt effectus, prænominavit* (S. Wolfgangus) *Regem, fratrem vero ejus Brunonem appellavit antiſtitem, ſororem eorum majorem Reginam, alteram autem, quam baptizavit, & de ſacro fonte ſuſcepit, Abbatiſſam nuncupavit.* Itaque Bruno is fuit frater S. Henrici Auguſtenſis Epiſcopus, ſoror major fuit Giſela Regina nupta Stephano Regi Hungariæ, altera ſoror, non Eliſabetha, ſed Brigida nomine fuit, dein Abbatiſſa monaſterii Ratisbonenſis, ut c. 17. in eadem vita legitur.

Pol. Virg. de Invent. rer. l. 5. c. 9.

In Concert. Prædic. Fam. ad an. 1213.

Retiſu. in oper. Geneal. Auct. p. 45.

Apud Mabill. ſæc. V. Bened.

Nostra autem Elisabetha fuit soror S. Brunonis Martyris & Apostoli Prussorum, quem Ditmarus *conscholasticum suum* fuisse dicit. Is sub Ottone III. *solitariam quæsivit vitam*, dein sub Henrico Sancto Imp. Archiepiscopus gentium ordinatus duodecimo suæ conversionis anno in Prussia Martyrio coronatus. Idem inquam Bruno, de quo Chronicon Magdeburgicum: *Cujus* (S. Adalberti Ep. Pragensis) *consodalis erat S. Bruno nobilitate & meritis illi per omnia simillimus, dum passionem & actus ipsius scribendo miratus est, ipse nihilominus Archiepiscopus gentium pari agonis triumpho subsequenter in confinio Russiæ & Lituæ regionum martyrisatus est*, & de quo etiam p. 297. *qui* (Bruno) *de Quernfort exstitit oriundus, pater ejus Bruno dicebatur, mater Ida, frater Geuehardus*, Sororum vero ac cumprimis Elisabethæ nostræ non meminit. Hic locus incognitus erat Clarissimis Viris Bollandianis in vitam S. Adalberti & Brunonis commentantibus, quo lecto procul dubio minime hæsitassent de authore alterius vitæ S. Adalberti (cujus initium est: *Nascitur purpureus flos Boemicis terris*) certius quidpiam definire, quem illi ex penitiori rerum Bohemicarum gestorumque S. Adalberti cognitione *Monachum Brzevnoviensem* fuisse suspicabantur. Sed clarum est S. Brunonem Bonifacium authorem esse vitæ istius, nam idem Chronicon Magdeburgense p. 279 provocat ad ejusdem S. Brunonis narrationem de quadam visione cuidam sapienti ostensa circa subtractionem scabelli Ottoni II a S. Laurentio factam, quæ omnino in eadem vita S. Adalberti legitur. Huc accedit, quod Trithemius illius doctrinam multum commendet, dicatque eum plura scripsisse. Nec mirum videbitur eum tantam cognitionem rerum Bohemicarum gestorumque S. Adalberti habuisse, quandoquidem primum Magdeburgi ejus consodalis fuit, dein sororem suam Elisabetham sanctimonialem, & postea antistitem Pragæ ad S. Georgium habuit, e qua omnia ista comperire potuit, nisi plane credere fas est eum solitariam illam vitam, de qua Ditmarus, in Bohemia transegisse. Ceterum S. Brunonem consodalem Sancti Adalberti monachum S. Joannis cœnobii Magdeburgensis fuisse tradit non modo Paulus Langius sed & Buccelinus, eum etiam aliquanto tempore Romæ in monasterio SS. Alexii & Bonifacii fuisse, prodit is ipse, dum de Joanne Abbate Successore Leonis scribit: *O quantoties obortis lacrymis memini dicentem, cum causa ædificationis aggressus essem Joannem Abbatem.* Hæc de S. Brunone fratre nostræ Elisabethæ; at vero de illa, si id unum excipias, quod ad annum 988 in Prætermissis retulimus, nihil proditum, adeo ut nec annum nec diem obitus cognitum ha-

Ditmar. l. 6. p. 398.

Apud Meibom. T. II. p. 275.

De Viris Illustribus l. 2. 3. & 4.

Paul. Lang. in Chron. Citiz. p. 761. Buccelin. in Annal. Ger. ad an. 1008. Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 868.

habeamus. Nec vero illa, nec posteriores, quæ illi in Abbatiali munere successere, usque ad sæculi XIV medium *Principis* titulo gavisæ sunt; perperam recentiores nostri quique a prima monasterii hujus fundatione prærogativam & dignitatem istam repetunt, quam a Carolo IV primum concessam fuisse indubiis monumentis testatum est.

V. Duo præterea emortuales dies hoc anno non prætermittendi; alter est S. Wolfgangi Episcopi Ratisbonensis, a Chronicis Einsidlensi & Herveldensi, tum Excerptis Necrologii Fuldensis rite adnotatus, quem supra ostendimus ex Ratisbonensibus postremum Bohemorum fuisse Præsulem. Vix tumulatum plurimis inclaruisse miraculis docet familiaris illius Biographus. Bohemia pro merito Sanctum hunc suum olim Episcopum ab omni memoria digno prosecuta est cultu, quæ in honorem illius complures sumtuosas ædificavit ecclesias, hodieque compluribus illius sacris reliquiis gaudet, præter partem enim scapulæ aliud insigne ossis frustum Metropolitana Divi Viti ecclesia servat. Alter emortualis annus est Leopoldi Illustris Marchionis Austriæ, quem Excerpta Necrologii Fuldensis prodidere, & de quo ad hunc annum ex Ditmaro hæc Annalista Saxo: *Wirceburgensis Præsul Lippoldum Marchionem orientalis Bawariæ & nepotem ejus Henricum ad Missam S. Kiliani quæ est VIII. Julii ad se vocans, cum magna caritate eos habuit. Ubi Liuppoldus Marchio in sacra nocte post matutinam ludens cum suis militibus ex uno foramine ab excæcati amico sagitta volante vulneratus est, & facta confessione VI. Idus Julii exspiravit innocens prædictæ actionis in facto & consilio. Qui postera die ibidem sepultus merito defletur, quia se prudentiorem, & in omnibus actibus meliorem nullum reliquit.* Filios is quatuor ex Richarda conjuge reliquit: Henricum, Adalbertum, Ernestum, & Poponem. Quorum duo priores Marchiæ orientalis præfecturam gessere, Ernestus postea Alemanniæ Ducatum consecutus est, Popo Trevirensi Archiepiscopatu nobilitatus. Quæ ad posteriorum annorum elucidationem hic breviter commemorare necessarium visum est.

Ibid. p. 822.

Syllabus Reliquiarum Metrop. eccles.

Annal. Saxo ad h. a.

AN-

ANNUS 995.

Adalbertus tandem adeſſe tempus ratus, quo creditum ſibi a ſupremo patrefamilias talentum redderet, a Pragenſi ſacerdotio veniam per tempus diſcedendi operamque ad convertendas gentes Dei hactenus ignaras confe-

S. Adalbertus adconvertendas gentes proficiſcitur.

rendi impetrat. (a) Nihil cunctatus XV. Kalendas Maji aſſumto fratre Gaudentio itineris comite Pragam deſerit. (b) Quod cum fratres Inſulani, quos nuper ſecum ex cœnobio S. Alexii adduxerat, intellexerunt, non amplius Pragæ deprehenſum magnis ſuſpiriis tanquam balantes oves paſtorem ſuum e veſtigio ſecuti ſunt. (c) Et hem! in Glacenſis urbis primario templo Divi Petri Gaudentium ſacris operantem, Epiſcopumque ſuum orationi vacantem offendunt, quem multo gemitu affantur: quo properaret, filiis ſuis derelictis ad omnia mortemque cum ipſo ſubeundam paratis? (d) Mi-

Religioſos fratres ſuos ad Caſimiriam in ſolitudine relinquit.

ti animo antiſtes reponit: Filii obtemperandum eſt divinis ductibus, ſequimini, oſtendam eremum, commorationis veſtræ ad reditus uſque meos locum, quem ſi ſancte cuſtodieritis, æterna mercede haud vacui diſceſſuri. Secuti itaque illi per Sileſiam in terminos uſque Poloniæ Antiſtitem ſuum (e) indigitatasque prope Caſimiriam ſolitudines habitare cœperunt, quas ſummis pietatis ſuæ operibus conſecrarunt. (f) Adalbertus continuo Gaudentio comite cœptum per Polo-

Gaudentium germanum fratrem Gneſnæ Epiſcopum conſtituit.

niam proſecutus iter rudem populum verbi divini epulis indefeſſe pavit. Gneſnam ubi perventum eſt, eam Gaudentii fratris ſollicitudini commendavit, urbisque Epiſcopum eſſe juſ-

juſſit. (g) Ille per vicos & oppida decurrens evangelii ſementem jacit, turmatimque accurrentem populum ſalutaribus tingit aquis.

Pragenſes, urbemque circumfuſi idololatræ, Chriſtianorum proſperis ſucceſſibus irritati novas turbas cient, Tetinenſibus cum primis ſuperſtitonis veteris primariis patronis in auxilium vocatis. Adeſt Samoslaus Wranovius, & Rotbojus Wladeczkius (h) cum ejusdem furfuris valida manu, inſeſſum montem Srnobog ex adverſo Klukocii ſitum vallis & mœniis muniunt, (i) nec defuerunt Boleslavienſium Pragengenſiumque gentiles turmæ, quæ cognita loci firmitate, ſecuritateque adverſus omnes inſultus ſocia arma junxerunt. Inde prædia Chriſtianorum vexare, ferro & flammis omnia circumjacentia perterrefacere. Non ignarus erat Princeps graſſationum iſtarum, nec ille ſubito modum facere, aut ipſi Chriſtianorum collecti ſæpe manipuli prærupti munitique montis inſeſſoribus deturbandis pares erant, (k) Poſtremum cum hiemalis brumæ inclementia ad ignes compuliſſet adverſarios, Chriſtiani turmatim collecti, vocatis ad armorum ſocietatem Judæis, ductuque Lidoslai inopinos obruunt, & occidione delent. (l) Samòslao Rotbojoque arriſit ad tempus fortuna, ut cum paucis fugæ præſidio in ſilvas elaberetur. Poſtero die cum nec inter captivos neque cæſos deprehenderentur, inventus ille celſæ abietis, iſte pini ramis aſylum quæſiiſſe. Verpis ob navatam fideliter operam in præmium permiſſum Synagogam ad ripam Moldavæ inter Chriſtianos ædificare. Locus, quo Synagoga ſtetit, hodie quoque ſpec-

Idololatræ novas turbas ciens.

Srnobog montem muniunt.

Occidione delentur a Chriſtianis & Judæis.

Judæis Synagoga Mitre Pragæ conceditur.

ta-

tatur cis pontem Micro-Pragæ infra cœnobium B. Mariæ Virginis. (m) Victoria iſta poſtrema Chriſtianis terauſpicata fuit, nam ab eo tempore cum numero vires ethnicorum decrevere, ut poſthac præter clancularias prædas & latrocinia manum amplius conſerere haud auderent; exſtirpati illi his locis pedetentim cum nomine: ſortilegia nihilominus & ſuperſtitioſi quique ritus etiam multo poſt tempore pluribus fœde adhæſerunt.

ANNUS JESU CHRISTI 995.

JOANNIS XV. PAPÆ AN. 11. OTTONIS III. REG. 13.

BOLESLAI II. AN. 29. S. ADALBERTI EP. PRAG. 14.

(a) S. Adalbertus ex itinere ſuo Romano redux, antequam Pragam attigiſſet, ac proinde Sacerdotio Pragenſi penitus ignaro, transiit ad gentium converſionem.

(b) Hanc eandem diem poſtremi ſui abitus conſignat quoque Lupacius & Weleslavinus, quæ ad annum ſuperiorem ſpectat, ubi in Prætermiſſis §. I. jam de ea egimus.

(c) Non fuere illi Inſulani, ſed Brzevnovienſes Monachi, quorum aliqui anno ſequente Sanctum Adalbertum in Poloniam ſecuti ſunt. Inſulanum cœnobium quatuor annis poſterius erectum fuiſſe jam alibi diximus, & locupletius de eo ad annum 999 & ſequentem agemus.

(d) Unde hæc de Glatzio hauſerit Hagecius, incognitum. Oſtendemus ſequente anno, Sanctum Adalbertum Moguntia ad Bohemiam tendentem, comperta fratrum ſuorum germanorum cæde deflexiſſe ad

Hun-

Hungariam, inde per Scepusium, transiisse Gnesnam ad Polonorum Ducem.

(*e*) Boleluzkius ex MS. Passionali narrat, quod cum S. Adalbertus in hoc itinere silvam paludosam transiens isthic aliquantum stitisset, ut divinis precibus vacaret, obortis ranarum coaxationibus interturbatus fuerit, quas verbo compescuit, mutasque effecit, qua eadem pœna affecti illi, qui S. Virum deriserant, viamque indicare noluerant, quemadmodum postea pœnitentes loquela donati; quorum similia leguntur in altero S. Adalberti Biographo, quem T. II. MSS. nostrorum inedito-rum publicavimus. *In Rosa Bob. c.* 13.

(*f*) Hanc eremum primum post martyrium S. Adalberti coli cœpisse, suo loco ostendemus. Tertius Biographus gente Polonus, quem mox laudato Tomo typis excudimus, plane S. Adalbertum hujus eremi quoque incolam fecit, qua in re quantum aberraverit, præsertim cum cædem quinque fratrum eremitarum martyrio S. Adalberti præposuit, ibidem p. 58 expedivimus.

(*g*) Annum, quo Gaudentius factus Archiepiscopus Gnesnensis, indubitatum habemus; sed is martyrio S. Adalberti aliquot annis posterior. Eo autem anno, scilicet exeunte 996 & incipiente 997, quo S. Adalbertus Gnesnæ commoratus est, Gnesna adhuc sub jurisdictionem Episcopi Posnanienſis Ungeri pertinuit, quemadmodum eundem Ungerum hujus urbis regionisque Episcopum usque ad annum millesimum perstitisse ex Ditmaro liquet, qui eo anno Ottonem III. Gnesnam adventantem *ab ejusdem urbis Episcopo Posnanienſi Ungero venerabiliter susceptum* ait. Non ergo Gaudentius vivente S. Adalberto, multo minus S. Adalbertus unquam Archiepiscopus Gnesnensis fuit, quid quid obtendant historici Poloni, Catalogique Archiepiscoporum Gnesnensium. Primum omnium invenio vitæ S. Adalberti scriptorem, quem tertio loco T. II. MSS. ineditorum p. 57 vulgavi, is omnino de Sancto Adalberto ait: *postmodum volente ipso Duce in Archiepiscopum Gneznenſem subito sublimatur*, quo turbido fonte verosimillime Dlugossus aliique Poloni hunc errorem hauserunt, ut merito Clarissimi Viri Bollandiani idipsum controvertentes concludant: *Silent antiquiora acta. Potuit saltem munia episcopalia ibidem exercuisse, dum iter in Prussiam pararet, & sic honoris causa inter dictæ sedis Episcopos censeri.* Verum, *Ditmarus l. 4 p. 357*

Acta SS. T. III. April. p. 174.

ut jam mox commemorata Tom. II. noſtri pagina animadvertimus, huic Bollandianorum criti adverſum it doctiſſimus Vir Bernardus Pezius, & ex producta quadam ſynchrona epiſtola Thietpaldi Monachi Tegernſeenſis his verbis inſcripta: *Divini fluoris rore madenti ſanctæ Priſſienſis eccleſiæ cathedræ præſidenti Adalperto* &c. argumentatur, revera S. Adalbertum Gneſnenſis eccleſiæ fuiſſe Archiepiſcopum, ac denique adverſus Bollandianos veluti victoriæ ſecurus his verbis ſententiam pronunciat: *Inde tamen eruditiſſimi Bollandiani amici noſtri admittere cogentur, quod pluribus præſtantibus ſcriptoribus ſe aperte ac firmate dare non poſſe hactenus cenſuerunt . . . . quod S. Adalbertus Roberto Archiepiſcopo in ſede Gneſnenſi revera ſucceſſerit, ut poſt Joannem Dlugoſſium Longinum paſſim tradunt Hiſtorici Poloni.* At nos ne latum quidem unguem a priore ſententia recedendum autumamus, Archiepiſcopatumque Geſnenſem ex memoriis Ditmari aliorumque coævorū non prius atque annis quinque poſterius cœpiſſe, primamque metropolitanam cathedram Gaudentio deberi indubitatum ſtatuimus, adeo ut nec Roberto illi, nec S. Adalberto locus eſſe poſſit. Epiſtolam a Pezio productam ut ut S. Adalberto noſtro inſcriptam fuiſſe admittimus, nihil tamen minus illa convincit, atque Gneſnenſem fuiſſe Archiepiſcopum. An Priſſienſis ſeu Pruſſienſis idem eſt quod Gneſnenſis Archiepiſcopus? an Gneſna in Pruſſia ſita, aut unquam portio Pruſſiæ fuit? Id epiſtola iſta coæva docet: S. Adalbertum fuiſſe Archiepiſcopum, quod nos ultro concedimus, ea Archiepiſcopalis dignitas, quo Sanctus iſte a ſede Pontificia decoratus fuit, procul dubio illi traditioni principium dedit, quod Archiepiſcopus Gneſnenſis poſterius creditus fuerit. Fuit autem hæc continua eccleſiæ & ſummorum Pontificum praxis, ut iis, qui ad gentes ethnicas atque ejusmodi regiones, quæ nullius hactenus Epiſcopi diœceſi erant ſubjectæ, evangelii prædicandi cauſa proficiſcebantur, paſſim auctoritas & jurisdictio Archiepiſcopalis fuerit conceſſa, videlicet ut aucta meſſe etiam locis ſibi bene viſis Epiſcopos conſtituendi plenam haberent poteſtatem. Ii, quod incertis vagarentur ſedibus, Archiepiſcopi *regionarii* vocabantur, aut certe ab integra provincia regnoque nomen obtinebant, uti in allata epiſtola *Pruſſienſem* appellatum cognoſcimus S. Adalbertum. De ejusmodi Archiepiſcopis atque Epiſcopis agit Serarius in Not. XXV. in vitam S. Bonifacii, & Pagius ad an. 723. quibus ſubinde Archiepiſcopale pallium ſub principium una datum, ſubinde poſt feliciorem evangelii meſſem in præmium Roma transmiſſum. Talis Germanorum *Archiepiſcopus*, antequam Moguntinæ

In Codicis Diplomatico-Hiſt Epiſt. T. VI. præfatione.

ſedi

ſedi adhuc præfectus, fuit S. Bonifacius, qui paſſim Germanorum audit Apoſtolus, talis fuit S. Corbinianus, cui gentibus prædicaturo pallium Archiepiſcopale conceſſum Baronius ad an. 716 refert, talis fuit Willibrordus poſtea Trajectenſis Antiſtes, talis erat S. Methudius *Moravorum Archiepiſcopus*, talis Adalbertus *Ruſſorum Archiepiſcopus*, talis S. Bruno Bonifacius conſodalis & æmulus martyrii S. Adalberti, cui a Romana Sede Archiepiſcopale quoque pallium datum fuiſſe apud Ditmarum legitur, talis denique adhuc ſæculo XV Hieronymus Pragenſis ordinis Camaldulenſis, qui ad Lituanos miſſus fuerat, ut plane dubium non ſit S. Adalbertum noſtrum, qui præſertim Pontificis & Synodi Romanæ decreto ad gentium converſionem tranſierat, pari & haud minori authoritate ad gentes miſſum fuiſſe. Atque hinc procul dubio ea perpetua traditio profluxit, ut cum Archiepiſcopali dignitate decoratus Gneſnæ in Polonia fuerit, pro Gneſnenſi Archiepiſcopo habitus etiam in Catalogos Archiepiſcoporum Gneſnenſium inſertus ſit, quemadmodum & ab Hungaris, apud quos pari auctoritate fuit, in Archiepiſcoporum Strigonienſium Catalogos relatus legitur, non quod unquam Strigonienſi ſedi præfectus fuerit (quam ſedem etiam poſt martyrium illius excitatam certo conſtat) ſed quod *gentium Archiepiſcopi* auctoritate functus iſthic plura ex eccleſiæ utilitate egerit. An vero S. Adalbertus reipſa pallium Archiepiſcopale a Romana ſede impetraverit, dubitare malim quam affirmare, cum enim a ſummo Pontifice & ſynodo ad gentes tranſeundi licentiam nonniſi impetraverit: Si *eum* Bohemi *non audierint, ſi a conſueta iniquitate ſua recedere noluerint*, credibile eſt miſſionem Pallii eo uſque ſuſpenſam fuiſſe, dum re ipſa ad gentes tranſierit, fructumque evangelicum in illis præſtiterit; unde eveniſſe etiam arbitror, quod uterque coævus Biographus hujus Archiepiſcopalis dignitatis, quæ proprie conditionata fuit, mentionem nullam ingeſſerit. Hac unica via ego ſalvari poſſe exiſtimo eam veterem traditionem, quod S. Adalbertus noſter non modo pro Gneſnenſi, ſed etiam Strigonienſi Archiepiſcopo habitus in Catalogos ſedium iſtarum inſertus ſit, quem profecto vetuſta quæque Chronica a ſæculo XII. etiam *Archiepiſcopum Pragenſem*, ut jam ſuperioribus annis retulimus, vocant, imo alia *omnium gentium a Strigonio uſque Dantiſcum* Archiepiſcopum conſtituunt, appellantque.

(*b*) Passim Hagecius nobilitatis, quæ sua ætate florebat, nomina primis sæculis adjecit. Sic quem superiore anno Dubravius nudo nomine *Crasotam* appellavit, ille a nominata suo ævo familia Sukoradsky, *Sukoradskium* vocavit; quæ omnia tanquam certissima tam avide arripuit Paprocius, ut illis in Diadocho suo primas dederit, authoresque & primos stipites quarumque illustrium familiarum fecerit.

Dubravius l. 6 p. 41

(*i*) Dubravius, qui omnem hanc narrationem summo compendio absolvit, *montem non longe a Praga fuisse innuit.* Fuit vero uno facile lapide Praga ultra eremum S. Procopii dissitus, quem prope hodie etiam stat vicus *Klukowetz*, ille quidem corrupta voce *Srnobog* jam ætate Hagecii appellatus, nos autem verosimilius *Czernobog* appellatum fuisse credimus, quod procul dubio olim ethnicis temporibus isthic fanum idolumve *Czernobogi* Slavici Dei steterit cultumve fuerit. De hoc celebri Slavorum Deo ista perhibet Helmoldus: *Est autem Slavorum mirabilis error: nam in conviviis & compotationibus suis pateram circumferunt; in quam conferunt, non dicam consecrationis, sed execrationis verba sub nomine Deorum boni* (Belbog) *scilicet atque mali, omnem prosperam fortunam a bono Deo, adversam a malo dirigi profitentes, ideo etiam malum Deum sua lingua Diabol sive Zcernebock, id est nigrum Deum, appellant.* Clarissimus Vir Andreas Gottlieb Maschenius in suo præclaro anno superiore edito opere de sacris antiquitatibus Obotritorum ex fano Rhetrensi producit Fig. 12. & 17. simulacrum Czernobogi æri incisum, imaginem informis leonis referens, in cujus dextro latere Runicis literis scalpro incisa vox legitur *Rhetra*, in sinistro iisdem literis *Zcernobocg*; Idem & pateram illam a Ditmaro commemoratam, & clunaclum, seu cultrum sacrificum similibus inrasis characteribus insignitum exhiber, quorum omnium hic quoque typos apposuissemus, nisi nos metus aliquis revocasset, ut nē calculo nostro rem probasse videamur, quæ procul dubio plurimorum adhuc eruditorum dissidentiam excitabit. Mihi certe Runicæ illæ apud Slavos literæ multum suspectæ sunt, & quanquam figuris ipsis pretium vetustatemque abjudicare nolim, tamen quomodo inscriptiones adeo geminatæ, & truncatis perforatisque omni parte idolis vasisque sacrificis integræ passim inventæ fuerint, quomodo denique factum, quod tam incaute Christiani Principes, ac cumprimis Episcopi exciso Radegasti delubro, confractisque & igni traditis idolis (ut passim historiæ perhibent) tot monumenta fani istius pene integra reliquerint, atque quod res summi pe-

Helmoldus Chron. Slav. c. 52 aliis 53

Alterthümer der Obotriten aus dem Tempel zu Rhetra §. 176 p. 26. 39. 49 & 104.

Vide Bangerti notas in c. 52. Helmoldi pag. 127

periculi in neophyta gente esse poterat, ipsas inscriptiones non eraserint, id mihi multam materiem hæsitationis diffidentiæque suppeditat. Profecto quod neque apud nos, Polonos, aliosque Slavicos populos istiusmodi ethnica monumenta reperiantur, haud alteri quam vigilantiæ Principum & Episcoporum nostrorum tribuendum est, qui omnia in frusta & cineres redigebant, retentores etiam, & celatores fulmine ecclesiastico feriebant, ut ne illicio essent populo ad vomitum redeundi. Interim libens subscribam aliorum judiciis, si monumenta hæc non populari, sed critica trutina examinata legitima ac proba invenerint.

(*k*) Si hæc narratio veterioribus memoriis nititur, tumultus hujus anni haud alii fuere, quam qui inter familiam Wrssovecianam & Slawnikianam exarsere, de quibus postea in Prætermissis mentionem faciemus.

(*l*) Continuator Crugerii hanc cladem ad 9 Novembris reponit. Cum fontem, unde hausit, non coronaverit, ipse sibi adscribat, si hodie in tanta rei criticæ accuratione illi fides, quam optabat, non conceditur. *Contin. Sacror. Pulv. ad 9 Novemb.*

(*m*) Judæi nostri in suo cœmeterio Vetero-urbensi ostendunt lapidem sepulchralem, ex cujus notis chronologicis convincere nituntur, eum jam annis centum ante vulgo jactatam urbis veteris exædificationem positum fuisse, ac proinde etiam cœmeterium ipsorum hic loci jam tum exstitisse. Adductus fui jam ante annos facile 20 ad eum lapidem a supremo synagogæ Magistro, cujus typum calamo descriptum mihi etiam postea transmisit.

PRÆTERMISSA.

I. Superioribus duobus annis denuo Slavos aquilonares, eorumque præcipuos duces Obotritos multum molestos fuisse Saxonibus, nam omnes harum regionum Slavos *exceptis Sorabis defecisse* ex Annalista Saxone aliisque Chronographis discimus; num & his expeditionibus, quas Otto III. adversus eos suscepit, Boleslaus noster auxiliarem manum præbuerit, nihil proditum, at certe anno præsente id eum per filium suum cognominem Boleslaum præstitisse tam Annales Hildesheim. *Annales Hildesh. mens. & Annalista Saxo ad h. a.*

bemenses quam Annalista Saxo testatum reliquere his verbis: *Saxones a [illegible] Slavorum incursionibus fatigabantur. Rex cum exercitu terras Slavorum invadens Abodritos vastavit. Occurrit [illegible] Bo-lezlai* (Poloni) *filius Misaco cum magno exercitu, [illegible] Bolezlai cum filio alterius Bolizlai venerant, receptusque a Rege in Saxoniam cum exercitu incolumis.* Hæc prima cum filii [illegible], qui [illegible] & tertii nomine innotuit, quam etiam *Misaconis* filii Bolezlai Poloni memoria. Cur neuter Boleslaorum neque Pius neque Chabry expeditioni isti interfuerit, causa ex infra dicendis manifesta fiet. Expeditioni autem isti cum Boleslai nostri filio *Zobebore* maximum natu fratrem S. Adalberti interfuisse, ex altero [illegible] didicimus, et quo simul cognoscimus persecutiones illas, quibus simul [illegible] fratresve S. Adalberti premebantur ab eo tempore, cum exterminatis Wrssoveciis Praga discesserat S. Adalbertus. Verba Biographi sunt: *Quinque fratres* (S. Adalbertus) [illegible] *ex [illegible]* (Zobiebor) *frater [illegible] Imperatoris* (cum Boleslai [illegible]) *projectus paganorum expugnationes adiit, [illegible] & cum [illegible]*, imo illius filio, *Polonorum Duce amicitiam [illegible] fecit, quod malis, quæ nulla promeruit, Dux Boemiorum Bolezlaus [illegible] misericordia sibi [illegible] fratribus [illegible] ingessit. Hujus [illegible] in adventum & feros reditus [illegible] fratres [illegible] & ex parte Ducis [illegible] & [illegible] acceperant.* Ad hæc melius intelligenda [illegible]: Boleslaum Pium jam superiore aut certe anno præsente paralysi [illegible] percussum, [illegible] pro patre [illegible] habenas administrasse Boleslaum filium [illegible]. Hujus juvenis Principis gratiam hoc tempore aucupati sunt Wrssoveciii, adeo ut illorum factioni accesserit, quod postea illi in exitium vertit. Et vero cum pater Boleslaus Pius illis [illegible] consiliis non modo non adversum iret, sed conniveret, imo silentio suo probare videretur, inde factum, quod *Biographus* postremam causam culpamque nec malorum fratribus S. Adalberti intentatorum Boleslao Pio imputet. Interim tamen præsente anno factum est, quod ejusdem Boleslai, quamquam lecto affixi, opera & benevolentia pax inter has duas familias reddita sit, & Sacramentis acceptis securitas Slawnikiensis promissa. Sed dum hæc in Bohemia absente Zobiebore natu maximo fratre aguntur, is denuo causam multum exasperavit, ut se suosque fratres ipsi Boleslao Pio filioque summe exosos redderit: Primum quidem quod Ottonis III. patrocinium imploraverit, turbasque illas Bohemicas eidem questus sit, dein quod inita

in

in hac expeditione cum Miſecone Polono amicitia eum in Poloniam ſecutus ſit, deſertaque patria ſua ſe ad Boleslaum Chabry contulerit, qui *pro amore Sancti fratris* (Adalberti, ut inquit idem Biographus) *magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatus eſt.* Jam vero cum hoc ipſo adhuc anno graviſſimæ ſimultates Boleslaum Pium inter & Boleslaum Chabry exortæ ſint, quæ in cruentiſſimum bellum terrarumque direptiones tranſiere, non poterant non involvi iisdem tumultibus Sancti Adalberti quatuor fratres in Bohemia relicti, adverſus quos magis magisque exaſperatum eſt odium, quod natu maximus frater partes hoſtis Boleslai Chabry amplexus apud eundem moraretur. Hæc demum cauſa fuit funeſtiſſimæ illius cataſtrophes, quod anno ſequente illi in urbe ſua Libicio obſeſſi, cum univerſo famulatu interfecti, urbsque ipſa deleta fuerit. Hæc altera cauſa, ut quanquam anno ſequente S. Adalbertus ad Epiſcopatum ſuum redire vellet, atque ea de re adhuc ex Polonia nuncios miſiſſet, num ſe Bohemi recipere vellent, repulſam paſſus ſit. Zobiebori iſthæc apud Boleslaum Chabry commoratio ſaluti fuit, qui unicus e familia Slawnikiana ſervatus, ſecus procul dubio eidem fato ſuccubuiſſet; perſtitit vero ille etiam deinceps in Polonia, nec ad Bohemiam rediit, quam cum poſtea Boleslaus Chabry occupata urbe Praga Ducatum Bohemiæ uſurpare cœpiſſet, ut ſuo loco oſtendemus.

II. Traditionem illam hodiedum apud gentem noſtram obtinentem, quod etiam ſub ſecundum S. Adalberti ex Epiſcopatu ſuo abitum, Bohemia ſiccitate, rerum inopia aliisque calamitatibus quaſſata fuerit, non vanam eſſe comprobant ſynchronorum quorumque relictæ memoriæ. Et vero fuit hæc annorum periodus non ſolum Bohemiæ, ſed & vicinis regionibus totique Germaniæ fatalis. Jam ad annum 993, vetuſta quæque Chronica & cumprimis Annaliſta Saxo ſcribit; *Per omnem æſtatem & autumnum ſiccitas nimia, & fervor immanis fuit, ita ut innumerabiles fruges non pervenirent ad temporaneam maturitatem propter ſolis ardorem. Poſt hæc non modicum ſecutum eſt frigus & magna nix cecidit, magnaque ſimul peſtis & mortalitas hominum atque jumentorum evenit.* Annal. Saxo ad an. 993

Superiorem annum idem Annaliſta majore exaggeratione exorſus eſt: *Hiems*, inquit, *duriſſima III. Idus Novembris exorta uſque in Idus Maji fuit rariſſimis diebus intermiſſa, deinde peſtiferis & frigidis flantibus ventis frigus ad ultimum Non. Julii grande factum eſt gelu, tantaque ſiccitas fluminum & penuria facta eſt pluviarum, ut in* Ibid. ad annum 994.

ple-

hemienſes quam Annaliſta Saxo teſtatum reliquere his verbis: *Saxones aſſiduis Slavorum incurſionibus fatigabantur. Rex cum exercitu terras Slavorum invadens Abodritos vaſtavit. Occurritque ei in auxilium Bolizlai* (Poloni) *filius Miſaco cum magno exercitu, nec non Boemii cum filio alterius Bolizlai venerant, recepitque ſe Rex in Saxoniam cum exercitu incolumi.* Hæc prima tam filii Boleslai noſtri, qui dein *Rufi & tertii* nomine innotuit, quam etiam *Miſeconis* filii Boleslai Poloni memoria. Cur neuter Boleslaorum neque Pius neque Chabry expeditioni iſti interfuerit, cauſa ex infra dicendis manifeſta fiet. Expeditioni autem iſti cum Boleslai noſtri filio *Zobieborem* maximum natu fratrem S. Adalberti interfuiſſe, ex altero Biographo diſcimus, ex quo ſimul cognoſcimus perſecutiones illas, quibus familia Slawnikiana fratresve S. Adalberti premebantur ab eo tempore, cum excommunicatis Wrſſoveciis Praga diſceſſerat S. Adalbertus. Verba Biographi ſunt: *Quinque fratres* (S. Adalbertus) *habuit . . . . ex quibus major* (Zobiebor) *frater ſervitio Imperatoris* (cum Boleslai filio) *in adjutorium profectus paganorum expugnationes adivit, ubi & cum Boleslavo* (imo illius filio) *Polonorum Duce amicitiam junxit, querelas Imperatori fecit, quod mala, quæ nulla promeruit, Dux Bohemorum Boleslaus ſine miſericordia ſibi ſuisque fratribus plura ingeſſit. Hujus uſque in adventum & feros reditus relicti domi quatuor fratres pacem impetrarunt, & ex parte Ducis ſecuritatem & ſacramenta acceperunt.* Ad hæc melius intelligenda ſciendum: Boleslaum Pium jam ſuperiore aut certe anno præſente paralyſi fuiſſe perculſum, adeoque pro patre Ducatus habenas adminiſtraſſe Boleslaum filium cognomine Rufum. Hujus juvenis Principis gratiam hoc tempore aucupati ſunt Wrſſovecii, adeo ut illorum factioni acceſſerit, quod poſtea illi in exitium vertit. Et vero cum pater Boleslaus Pius filii ſui conſiliis non modo non adverſum iret, ſed conniveret, imo ſilentio ſuo probare videretur, inde factum, quod Biographus potiſſimam cauſam culpamque tot malorum fratribus S. Adalberti intentatorum Boleslao Pio imputet. Interim tamen præſente anno factum eſt, quod ejusdem Boleslai, quanquam lecto affixi, opera & benevolentia pax inter has duas familias reddita ſit, & Sacramentis acceptis ſecuritas Slawnikianis promiſſa. Sed dum hæc in Bohemia abſente Zobiebore natu maximo fratre aguntur, is denuo cauſam multum exaſperavit, ut ſe ſuosque fratres ipſi Boleslao Pio filioque ſumme exoſos reddiderit: Primum quidem quod Ottonis III. patrocinium imploraverit, turbasque illas Bohemicas eidem queſtus ſit, dein quod inita

in

in hac expeditione cum Miſecone Polono amicitia eum in Poloniam ſecutus ſit, deſertaque patria ſua ſe ad Boleslaum Chabry contulerit, qui *pro amore Sancti fratris* (Adalberti, ut inquit idem Biographus) *magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatus eſt.* Jam vero cum hoc ipſo adhuc anno graviſſimæ ſimultates Boleslaum Pium inter & Boleslaum Chabry exortæ ſint, quæ in cruentiſſimum bellum terrarumque direptiones tranſiere, non poterant non involvi iisdem tumultibus Sancti Adalberti quatuor fratres in Bohemia relicti, adverſus quos magis magisque exaſperatum eſt odium, quod natu maximus frater partes hoſtis Boleslai Chabry amplexus apud eundem moraretur. Hæc demum cauſa fuit funeſtiſſimæ illius cataſtrophes, quod anno ſequente illi in urbe ſua Libicio obſeſſi, cum univerſo famulatu interfecti, urbsque ipſa deleta fuerit. Hæc altera cauſa, ut quanquam anno ſequente S. Adalbertus ad Epiſcopatum ſuum redire vellet, atque ea de re adhuc ex Polonia nuncios miſiſſet, num ſe Bohemi recipere vellent, repulſam paſſus ſit. Zobiebori iſthæc apud Boleslaum Chabry commoratio ſaluti fuit, qui unicus e familia Slawnikiana ſervatus, ſecus procul dubio eidem fato ſuccubuiſſet; perſtitit vero ille etiam deinceps in Polonia, nec ad Bohemiam rediit, quam cum poſtea Boleslaus Chabry occupata urbe Praga Ducatum Bohemiæ uſurpare cœpiſſet, ut ſuo loco oſtendemus.

II. Traditionem illam hodiedum apud gentem noſtram obtinentem, quod etiam ſub ſecundum S. Adalberti ex Epiſcopatu ſuo abitum, Bohemia ſiccitate, rerum inopia aliisque calamitatibus quaſſata fuerit, non vanam eſſe comprobant ſynchronorum quorumque relictæ memoriæ. Et vero fuit hæc annorum periodus non ſolum Bohemiæ, ſed & vicinis regionibus totique Germaniæ fatalis. Jam ad annum 993, vetuſta quæque Chronica & cumprimis Annaliſta Saxo ſcribit: *Per omnem æſtatem & autumnum ſiccitas nimia, & fervor immanis fuit, ita ut innumerabiles fruges non pervenirent ad temporaneam maturitatem propter ſolis ardorem. Poſt hæc non modicum ſecutum eſt frigus & magna nix cecidit, magnaque ſimul peſtis & mortalitas hominum atque jumentorum evenit.* Annal. Saxo ad an. 993

Superiorem annum idem Annaliſta majore exaggeratione exorſus eſt: *Hiems*, inquit, *duriſſima III. Idus Novembris exorta uſque in Idus Maji fuit rariſſimis diebus intermiſſa, deinde peſtiferis & frigidis flantibus ventis frigus ad ultimum Non. Julii grande factum eſt gelu, tantaque ſiccitas fluminum & penuria facta eſt pluviarum, ut in ple-* Ibid. ad annum 994.

plerisque ſtagnis & piſces morerentur, & in terris arbores plurimæ penitus areſcerent & fruges perirent, & linum. Subſecuta quoque eſt grandis peſtilentia hominum, porcorum, boum & ovium, prata etiam in plerisque locis ita exaruerunt, veluti igne exuſta fuiſſent. Præſenti vero apponit: *Commune damnum in peſtilentia pecorum & boum omnem Germaniam vexat.* Quæ omnino mala cum ipſam etiam Bohemiam irretiverint, quid mirum ea pro flagello divino ob deſertum Sanctum paſtorem ſuum a quibusque pientioribus explicata fuiſſe, ac proinde in eam traditionem, quæ etiam hodie obtinet, tranſiiſſe. Acceſſit vero ad eas calamitates aliud malum ſuperiore aut præſente anno, cum Boleslaus Pius paralyſi perculſus eſt, quod vel ipſe Ditmarus ad pœnam divinitus inflictam trahit, ejus enim verba ſunt: *Thædagus* (poſtea ſucceſſor S. Adalberti in Epiſcopatu Pragenſi) *in nova educatus Corbeja medicinali arte optime eſt inſtructus. Quem Boliziavus Senior, ob inobedientiam Chriſti Præconis* (ſcil. S. Adalberti) *paralyſi percuſſus, licentia Thietmari Abbatis* (perperam Balbinus Luidulfum XII. Abbatem Corbejenſem nominat) *vocavit, ejusque magiſterio levius habere cœpit.* Hæc procul dubio ſuere terriculamenta illa, quæ aliam denuo mentem indidere Boleslao & populo, ut de revocando antiſtite rurſum cogitare occiperent. Et vero idipſum præſente anno factum fuiſſe, ex Coſma noſtro edocemur, quem ſuis verbis loquentem audire libet: *Dux Boleslaus inito conſilio cum Clericis Moguntinum Præſulem bis ſollicitat verbis:* „ *Aut noſtrum paſtorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus; aut alium nobis in loco ſui ordines, quod inviti poſcimus.* „ *Nam Chriſti ovilia adhuc in hac gente fidei novicia, niſi eis adſit vigilans paſtoris cuſtodia, cruentis lupis opima recta fient edulia.*„ Minus recte quidem hic Coſmas duas revocationes S. Adalberti in unam contraxit, & priorem præſenti innexuit, ſed longe aliam hanc fuiſſe a ſuperiore, ipſa verba innuunt, in illa enim omnium votis unus ſolusque S. Adalbertus repetitus fuit, in hac ſeu is ſeu alius Epiſcopus expoſcitur, quod oppido manifeſtum reddit, propter ſupra commemoratam factionem Wrſſovecianam jam multum fervorem & cupiditatem illam erga S. Adalbertum refrixiſſe, cum Boleslaus etiam novo Epiſcopo & paſtore contentus eſſe vellet. Quod alterum eſt: non amplius hoc anno miſſa legatio Romam a Moguntino pro reducendo S. Adalberto, ut ſubjungit Coſmas (id enim jam prius anno 990 factum eſt) ſed Moguntinus Archiepiſcopus negotium iſtud in ſe ipſum recepit; cum enim anno ſequente Ottonem Romam pro coronatione Imperiali proficiſcentem co-

Ditmarus l. 7 p. 414.

Balb. in Epit. p. 151.

Coſmas ad h. a.

comitatus fuiſſet, ibidem ipſe tum apud ſummum Pontificem, tum ipſum S. Adalbertum cauſam egit, ut reditum perſuaderet, uti eo anno videbimus. Ceterum S. Adalbertus toto hoc anno adhuc in monaſterio SS. Alexii & Bonifacii Romæ perſtitit ſanctiſſimæ vitæ ſuæ præbens exempla, uti uterque Biographus perhibet, quo eodem anno illi per cœleſtem quandam viſionem cædes fratrum ſuorum, quæ anno ſequente accidit, oſtenſa eſt, de qua jam ad annum 980 egimus.

III. Legimus ſupra ex Annaliſta Saxone a Boleslao Polono miſſum fuiſſe Miſeconem filium pene puerum in expeditionem cum Ottone III adverſus Obotritos. Illud ipſum non aliud punctum temporis eſt, quod ingentem illam mutationem in Imperio Polonorum innuit, & qua Boleslai noſtri jam jam convaleſcentis juſta indignatio provocata eſt, ut collectis viribus omnibus in ditiones non modo cis ſed etiam trans Oderanas Poloniæ irruperit, victriciaque arma ſua, capta urbe Cracovia, per omnem illam regionem explicaverit. Hiſtoriam belli iſtius non modo ex Hagecio, ſed & Dubravio enarratam habemus; eam cum prior anno ſuperiore præoccupavit, in eo etiam falſus, quod cum Miſecone patre Boleslai bellum id geſtum putaverit, cum omnia hæc ad filium, idem avi nomen ferentem, ſpectent; huic nempe expulſis fratribus ſuis Boleslaus Chabry omnes cis & trans Oderanas Poloniæ terras ad adminiſtrandum dederat, quod præſente anno factum fuiſſe ex Brevi MS. Chronico Anonymi conjicimus, ejus verba ſunt: *Boleslaus cum fratribus regnavit tribus annis, dein ſolus.* Huc itaque pertinent verba Ditmari, quæ Miſeconis, anno 992 defuncti, morti ſubjunxerat: *Anno*, inquit, *Dom. Incarn. DCCCCXCII . . . hic præfatus Dux* (Meſico) *jam ſenex & febricitans ab exilio ad cœleſtem patriam tranſit, relinquens regnum ſuimet plurimis* (filiis) *dividendum, quod poſtea filius ejusdem Bolizlaus noverca & fratribus expulſa, excæcatisque familiaribus ſuis Odilieno atque Pribuvojo vulpina calliditate traxit in unum. Hic ut tantum ſolus dominaretur, jus ac omne fas poſtpoſuit.* Hos inter expulſos fratres erat Wladibogius eodem patre Meſicone ac matre Daubrawca Bohema genitus, cui teſtamento patris Cracovia cum regionibus quibusque finitimis obvenerat. Is ditionibus ſuis exutus ad Boleslaum Pium avunculum ſuum tanquam unicum afflictæ jactatæque fortunæ ſuæ portum ac perfugium confugit. Peſſime iſta Poloni tyrannis Boleslaum Pium habuit, qui veroſimillime nupernas Meſiconis læſiones non alia ratione diſſimulaverat concoxeratque, quam quod earum ter-

Ditmarus l. 4. p. 360.

rarum, in quas vindicias pararet, nepotem ſuum (læſionum iſtarum minime reum & complicem) Ducem Dominumque inſtitutum intelligeret. Jam vero indignum ulturus facinus collecto milite imparatum adoritur Miſeconem (Boleslao in fugandis debellandisque ceteris fratribus & fautoribus diſtento) *Cracoviam*, inquit Dubravius, *recta contendit, ſperans, quod accidit, ſe illam præſidio deſertam inventurum. Quippe nullum intus præſidium Polonus reliquerat, jubens ſe ſubſequi, in quocunque aliquid roboris inerat. Eo magis timidos cives Bojemi perterrent, ignem, cædes, rapinas minitantes, niſi confeſtim ſeſe dederent, Aperiunt illi portas, legatosque de deditione mittunt. Accepta Cracoviæ poſſeſſione, ac locis quibusdam urbi vicinis Boleslaus* (Pius) *potitus, omnibus his Craſotam exercitus ſui anteſignanum, virum manu & conſilio promtum cum valido præſidio commeatuque copioſo præficit.* Servatus interea in Bohemia & pro dignitate habitus Wladibogius omnium Bohemorum animos ſibi tantum devinxit, ut cum poſtea Boleslaus III tyrannidem in populum fratresque ſuos exerere inciperet, is ipſus in Ducem a Bohemis expetitus, ac omnium prope calculis receptus ſit, uti ad annum 1002. oſtendemus.

Dubrav. l. 6. p. 42.

ANNUS 996.

S. Adalbertus transiit ad Pruſſiam.

Ab ea uberrima in Polonia ſemente convertit ſe Divus Adalbertus ad Pruſſiam, hujus regionis gentes Chriſto quoque imbuturus; nec initia induſtriam fefellere, nam cum ſibi de egregio interprete proſpexiſſet, plebis gentilis favorem aucupatus eſt. (a) Haud multo poſt pro ſanctiſſima inſtitutione & doctrina minerval, quod tanto opere cupiebat, accepit. Nam in trajectu fluminis, Oſſæ, (b) cum naulo ſolvendo impar eſſet, ab avaro nauta ſecundum caput remo tam valide percuſſus, ut humi ſterneretur, ille vero ſe erigens Deo gratias egit, quod pro nomine ejus ictum

per-

percipere meruiſſet. (c) Deinde cum in oppido Feſshaus (d) ſuper monte ſito ſacris operatur, (e) ab irruente ethnica fæce ſeptem lanceis confoditur, & ne quid ad immanitatem deeſſet, capite truncatur. (f) Paſſus eſt S. Martyr nono Kalendas Maji, (g) cujus truncum corpus barbarus quidam ceteris mitior, hoſpesque Sancti, quo potuit honore terræ mandavit. (h)

Septem lanceis confoditur.

Idem annus Boleslao a civilibus exterisque bellis quietus fuit, (i) idcirco ſe ſe quantum quantum ad pietatis opera convertit. Matutinum tempus paſſim orationibus in eccleſia Divi Viti tranſigere ſolitus, pomeridianum totum addixit luſtrandis fabricis templorum, & ne operarum fervor tepeſceret in accelerando, accuratiove in condecorando, præmiis omnes incendebat, non ſemel palam teſtatus, nullos ſibi regni theſauros, avorumque cimelia adeo cordi eſſe, ut ne illa in artificum operarumque diligentiam profundere paratus eſſet. (k)

Boleslaus Pius quantus quatus inventus fabricis templorum.

ANNUS JESU CHRISTI 996.

GREGORII V. PAPÆ AN. 1. OTTONIS. III. REG. 14. IMP. 1.

BOLESLAI II. AN. 30. S. ADALBERTI EP. PRAG. 15.

(e) S. Adalberti labores Apoſtolicos in Pruſſia vix cœptos ethnicorum furore ſuppreſſos fuiſſe, ſequente annno, quo id contigit, ex Biographis cognoſcemus.

Dlugoſſus l. 1. p. 13 & l. 2. p. 119

(*b*) De hoc flumine Joannes Dlugoſſus: *Oſſa in Wislam decidit, terrasque Polonorum a Prutbenis diſterminat, uſque ad mare ſeptemtrionale protenſus pergit.* Fluvius iſte etiam hodie nomen retinet, qui in Palatinatu Culmenſi ad Graudentum in Viſtulam influit.

Idem ibid.

(*c*) Hæc quidem ex Joanne Dlugoſſo deprompſit Hagecius, ſed minime reſpondent Biographiorum relatis, inopine enim Sanctus pſalmos ex libro decantans obrutus fuit a barbaro, ac inter ſcapulas percuſſus.

Idem ibid.

(*d*) Erroneam iſtam oppidi ſcriptionem etiam Hagecius ex Dlugoſſo hauſit, qui plane *Felſchaus* vocat, cum *Fiſchhauſen* appellatum fuiſſe anno ſequente oſtenſuri ſimus.

Glaber Rodulfus l. 1. c. 4.

(*e*) Glaber Rodulfus rem Biographis ignotam narrat: *Contigit*, inquit, *ut quadam die, præcipiente eodem Epiſcopo, quædam profana arbor ſita juxta fluvium, cui etiam ſuperſtitioſe immolabat univerſum vulgus, videlicet exciſa convelleretur, conſtructoque ac ſacrato in eodem loco altari Miſſarum Solemnia per ſe Epiſcopus ex plebe paravit, qui dum in ipſis Sacramentis peragendis eſſet conſtitutus, ictibus jaculorum ab impiis perfoſſus, tandemque ſacrum ſolemne peractum, ſimulque præſentis vitæ impoſuit terminum.*

(*f*) Fuſius & ſincerius hæc enarrantur a Biographis poſtea adducendis.

Acta SS. T. II ad 14 Febr. N. 2.

(*g*) Biographi addunt: *Imperante rerum Domino Ottone III. feria ſexta, qua die Dominus JEſus Chriſtus pro homine, eadem die homo ille pro Deo ſuo pateretur.* E cujus feriæ ſextæ indicio verus martyrii annus ſequens 997 eruitur, in quo conſignando veteres quique cum Coſma noſtro (quem ſecutus etiam Hagecius) aberrarunt. Calculum anni iſtius jam indubitatum præſtitit Clar. Bollandus in Commentario prævio ad vitam S. Brunonis: *Imperavit*, inquit, *Otto III ab anno* 984 *uſque ad* 23 *Januarii* 1002. *Bis eo imperante incidit dies* 23 *Aprilis* (ſeu IX. Kalend. Maji) *in feriam ſextam. Nempe anno imperii ejus tertio & decimo quarto, ſcil. Chriſti* 986, & 997, *quibus litera Dominicalis C. fuit. Non poteſt priori Martyrium ſubiiſſe S. Adalbertus, nam Gregorio V. Papa jubente Pragam reverſus, eodem annuente*

te Pruſſos paulo poſt adiit, ut ex illius vita patet. Atqui anno demum 996 *Pontifex renunciatus eſt Gregorius. Anno igitur* 997 *coronatus martyrio eſt Adalbertus.* Quem eundem annum recte adnotavit Schafnaburgenſis, Lectiones Breviarii Polonici, Pucholzerus, & Cromerus. Coſmas noſter præterea alio errore in anni hujus calculo lapſus eſt, commemorata enim die & feria VI. Martyrii ſubdit: *Eo anno fuit Paſcha VI. Calendas Maji*, id eſt 26 Aprilis. Sed certum eſt anno 996, cui martyrium illigavit Coſmas, Paſcha incidiſſe in Pridie Iduum Aprilis ſeu 12 Aprilis, anno vero ſequente in V. Calendas Aprilis ſeu 28. Martii, nec unquam hac annorum periodo paſcha in VI. Calendas Maji ſeu 26 Aprilis incidit. Hæc tamen Paſchatis apud Coſmam commemoratio complures poſteriores in alium errorem induxit, ut S. Adalbertum in hebdomada ſacra & ipſo die Paraſceves paſſum crediderint, præſertim cum Biographus dicat *feria ſexta qua die Dominus JEſus Chriſtus pro homine paſſus.* Sed manifeſtum eſt ex calculo anni iſtius, S. Adalbertum extra ſacram hebdomadam & quidem feria VI poſt Dominicam III. poſt Paſcha martyrium ſubiiſſe, quo die feſtivitas S. Georgii Martyris, ut alter Biographus manifeſtis verbis prodit, colebatur, verba enim Biographi *qua die Dominus JEſus paſſus* cuicunque diei Veneris per annum applicari poſſunt.

(*b*) Suprafatus Rodulfus Glaber ſat vetuſtus author ordientis ſæculi XI ait: *Diſcipuli ejus accepto corpore ſui domini illud ſecum ferentes in propriam ſunt reverſi patriam.* Sed condonandus is error hiſtorico tam longinquo e Galliis pluribus quidem aliis erroribus ſcatenti. Oſtendemus poſterius corpus ejus a paganis redemiſſe Boleslaum Ducem Polonorum. *Rodulfus Glaber. cis. l.*

(*i*) A civili bello non quietum fuiſſe annum Boleslao noſtro, in Prætermiſſis oſtendemus, & erepta ſuperiore anno Polono Craçovia perſuadet minus quietum etiam fuiſſe ab exteris bellis; ad quem annum veroſimillime ea pertinent, quæ Dubravius multa ambage de moliminibus Boleslai Chabry ad recuperandam hanc urbem & regionem adhibitis memorat. *Dubravius l. 6 p. 42.*

(*k*) Boleslaum Pium inter 20 illas a Coſma commemoratas eccleſias etiam templum *in monte Rzip* (qui adſitus eſt Raudnitzio) condidiſſe author eſt Marignola. *Marignola T. II. ined. MSS. meorum p. 281*

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Hic annus geſtis S. Adalberti locupletiſſimus eſt, ad quæ priusquam tranſeamus, præjicienda quædam ſunt huc ſpectantia ex veteribus ſincerioribus Chronographis, quos inter merito locum ſibi vendicat Annaliſta Saxo, qui in excerpendis veterum memoriis non modo fideliorem ſe præſtitit, ſed & præ ceteris majorem Chronologiæ accurationem omni diligentia adſectatus eſt. Ejus ad hunc annum verba ſunt: *Hujus anni vernali tempore Rex Otto compoſita inter Saxones & Slavos pace ad Italiam diu deſideratus perrexit, & in urbe Papia Paſcha celebravit. Johannes Papa interim obiit. Unde Rex in Italia jam poſitus rumore incitatus præmiſſis quibusdam Principibus publico conſenſu & electione fecit ordinari Apoſtolicum ſuum Nepotem Brunonem Ottonis filium, qui Marcam Veronenſem ſervabat, impoſito nomine Gregorii. Deinde Romam veniens in Aſcenſione Chriſti, quæ tunc erat XII. Kal. Junii* (hem novum argumentum hoc anno in 12 Aprilis incidiſſe Paſcha) *anno ætatis ſuæ XV. Regni autem XIII. Indictione VIIII. ab eodem unctionem percepit Imperialem & Advocatus eccleſiæ S. Petri efficitur*, ſcilicet ipſo feſto Pentecoſtes, ut habent Annales Hildesheimenſes. Hæc ipſa cum multo fuſius enarraſſet prior S. Adalberti Biographus, ſubjungit: *His temporibus Chriſtianiſſimus ille Cæſar, cui circa Servos Dei maximum ſtudium ſemper, & diligens cura fuit, crebro alloquitur Sanctum Adalbertum, & habebat eum ſibi familiarem, audiens libenter quæcunque ſibi diceret. Archiepiſcopus vero Willigiſus veterem querimoniam canens interpellat, congeminat vota cum votis, & ut reportaret illum omnibus modis inſtat.* Præter Willigiſum vero ſummopere etiam inſtitiſſe ipſum Ottonem III. prodit Anonymus libelli de Translatione SS. Abundii & Abundantii: *Cum Domnus Otto*, inquit, *Romam veniſſet, quid ille vir tantus* (Adalbertus) *faceret, inquiſivit, & eum ad ſe venire fecit, & ei Epiſcopatum reſtituere curavit dicens: „Non eſſe bonum ſuam ſponſam relinquere, & filios, quos Chriſtus adoptaverat, orphanos deſerere.„* Proſequitur vero prior Biographus: *In Apoſtolica quoque Synodo Canonum teſtimonia revolvens* (Willigiſus) *coram omnibus ſe juſte petere clamat: peccatum eſſe ſingulis eccleſiis maritatis ſolam Pragam viduari: juſta poſcentibus benevolam aurem viduæ eccleſiæ maritum ſuum præbere libera mente poſtulans erat.* Quo fervore in hac Synodo pro reditu S. Adalberti pugnatum fuerit, ner-

Annaliſta Saxo ad h. a.

Annales Hildes. ad h. a.

Apud Mabill. ſec. V. Bened. p. 860.

Idem ibid. p. 873.

nervosius rem etiam describit alter Biographus: *Facta est*, inquit, *Synodus: zelo juris tactus Magontinus Archiepiscopus antiquam cantilenam cantat. Assentit Papa Gregorius, & semel susceptum impune non posse dimittere gregem scripturarum voce testatur. Sive vult, sive non vult Vir Dei, eat, sedentes Episcopi inquiunt, aliter vinculis anethematicis nectimus.* Ibidem Hanc synodalis decreti severitatem magnam mœstitiam offudisse animo S. Adalberti, maxime quod vitam monasticam denuo deserere cogeretur, innuit uterque Biographus, verosimillimumque est S. Adalbertum ab eadem Synodo plurium dierum impetrasse inducias, ut rem serio deliberaret, atque de ea cum Deo & Abbate suo consultaret. Nam & Ottonem III & Moguntinum Archiepiscopum Roma abire passus est, quin se se illis viæ comitem adjunxisset. Unde etiam prior Biographus de Willigiso Archiepiscopo scribit: *Rursum ex itinere, quo reversus est ad patriam, continuis literis hoc idem reiterare non cessat, nec dimisit prius, donec pollicitus est Dominus Apostolicus facturum se esse, quæ vellet.* Tot tantisque impulsus Vir Dei *tandem*, ut alter Biographus memorat, *secreto adiit Pontificem, & hoc unum rogavit solatium*: „ *Si audiunt oves, quam clamo vocem, vivo & morior cum „ eis, si non, licentia tua Apostolice bone vadam ad eos, qui nesciunt „ nomen Domini, exteras & incultas gentes.* „ Subdit vero mox idem author: *Acquievit libens voluntati hominis Dei Papa Gregorius.* Hac accepta ad gentes ethnicas transeundi licentia vix dubium est, quin pro recepto more ecclesiæ S. Adalbertus auctoritatem & jurisdictionem Archiepiscopalem, quæ passim *gentium prædicatoribus* dari solita, a summo Pontifice obtinuerit, id prior Biographus haud obscure innuit, cum dicit: *Extraneis & non baptizatis prædicator missus fuerat.* Profecto cum ejusmodi Archiepiscopalis jurisdictio & dignitas plerumque illis etiam concessa fuerit, qui solum ordine sacerdotali insigniti nullo episcopali charactere eminebant, quanto magis non eam S. Adalberto concessam fuisse credere fas est, qui tot annis episcopale munus cum summa laude gesserat. Atque inde, ut jam anno superiore præjecimus, traditio profluxit, quod S. Adalbertus non modo pro *Prussiensis*, sed etiam *Pragensis*, *Gnesnensis*, & *Strigoniensis* ecclesiæ Archiepiscopo sit habitus. Jam vero

II. Hac declaratione & licentia Pontificis Summi impetrata Sanctus Adalbertus iter in Germaniam relegit, quod verbis denuo Biographi primi referre libet: *Ergo multis*, inquit, *lacrymis dulce monasterium* *Ibid. p. 860*

rium linquent, cum summæ discretionis viro Notherio (Nothario, is erat Leodiensis Episcopus, qui Ottonem III. hoc anno in Italiam secutus fuerat) *ultra alpes proficiscitur. Cumque velut duorum prope mensium iter agerent, venerunt Magontiam, ubi regressus ab Italicis oris Imperator commoratus est. Cum quo Vir Dei mansit bonum tempus, quia familiarissimus sibi erat, & nocte pariter ac die velut sanctissimus cubicularius imperiali cameræ adhæsit. Hoc autem non sic velut sæculi aliquo amore captus: sed quia dilexit illum, & dulcibus dictis ad amorem cœlestis patriæ accendere voluit. Nam die sive nocte cum turba locum dedit, sanctis alloquiis aggreditur illum, docens ne magnum putaret se Imperatorem esse, cogitaret se hominem moriturum &c. Ad hunc modum plura subnectens monet carum filium præsentia vitæ bona despicere, æternitatis electionem desiderare, mansura quærere, in temporalibus rebus & transitoriis fiduciam non habere.* Primam vero sollicitudinem fuisse S. Adalberti Moguntiæ, ut comperiret, num Bohemi adhuc eo animo essent, ut se in Episcopum recipere vellent, ex Cosma nostro intelligimus, qui commemorato illius discessu Roma subjungit: *Cum viro summæ discretionis Præsule nomine Nothario adiens Archiepiscopum Moguntiæ urbis in palatio rogat, quo per ejus missos scire posset, si se suus grex recipere vellet.* E quibus Cosmæ verbis conjicitur S. Adalbertum turbarum Pragensium, & persecutionis in fratres excitatæ non fuisse ignarum, cum de animo, quo erga se sint Bohemi, jam hæsitaverit, idque ipsum non per suos sed Moguntini Archiepiscopi nuncios explorari maluerit. Quale responsum missi Præsulis Moguntini retulerint, incompertum. Cosmas quidem prioribus subjicit: *Quid sibi suus grex responderit, aut quam ob causam eum non receperit . . . . scire poterit, qui vitam ejus seu passionem legerit.* Sed in vita hac seu passione, ad quam provocat Cosmas, quamque integram Leonino versu ab eodem redditam Tomo II. MSS. nostrorum excusam dedimus, ne mentio quidem fit hujus legationis Moguntia ad Bohemiam missæ, ut suspicari merito liceat, Bohemos seu responsum nullum, seu certe ambiguum frigidumque dedisse, quo non obstante tamen postremo S. Adalbertum Moguntia iter ad Bohemiam adornasse mox infra videbimus. Porro hac ipsa in præsentia Ottonis III accidisse videtur, quod minus recte Cosmas noster ad Ottonem II retulit, uti jam ad annum 984 p. 301 præoccupavimus, cujus verba sunt: *Ottoni Imperatori Adalbertus Præsul Pragensis adeo fuit familiaris, & carus obsequiis, ut in Pascha, quod tum celebravit Rex Aquisgrani in palatio coram omnibus Episcopis*

Cosmas ad an. 995.

Cosmas ibid.

Idem ad ann. 984.

pis hac eum officii celsitudine sublimaret; quo sibi coronam imponeret, & majorem missam celebraret, quod solum fas erat, ut Archiepiscopus faceret. Post festum vero cum jam a Cæsare accepisset licentiam redeundi ad patriam, sevocat eum Cæsar in secretarium, & faciens suorum confessionem peccatorum, commendat se piis recordationibus ejus orationum. Insuper dat ei paramenta, in quibus missam celebraret in Pascha, scilicet albam dalmaticam, casulam, cappam, & facitergium, quo ea habeat sui ob memoriam. Quæ usque hodie in Pragensi ecclesia honorifice habentur & dicuntur paramenta S. Adalberti. Istud non alio atque hoc ipso anno ac tempore accidere potuisse, jam ad an. 984, in Hagecium commentantes, demonstravimus. Quanquam minus veram cognitionem etiam circa Paschalem festivitatem habuisse videatur Cosmas, cum certum sit ex Annalista Saxone, Ottonem III præsente anno non Aquisgrani, sed in Italia in *urbe Papia* Pascha celebrasse, deinde Romæ 21 Maji in Ascensione Domini fuisse coronatum, & postea non multo post ut idem Annalista loquitur, urbe excessisse. Quo quidem tempore S. Adalbertus adhuc Romæ monasterium S. Alexii incoluit, ut ex dictis §. I. hujus anni liquet. Potuit id itaque quocunque alio majori festo ac solemnitate accidere Aquisgrani. Et fortassis hæc ipsa solemnitas fuit, de qua Ditmarus: *Reversus Otto*, inquit, *Aquisgranum Caroli* (Magni) *Cæsaris ossa ubi requiescerent, cum dubitaret: rupto clam pavimento, ubi ea esse putavit, fodere, quousque hæc in solio inventa regio, jussit. Crucem auream, quæ in collo ejus pependit, cum vestimentorum adhuc imputribilium parte sumens, cetera cum magna veneratione reposuit.* In qua repositionis solemnitate (quæ hoc ipso anno & tempore celebrata est Aquisgrani) verosimillime *hæc coram omnibus Episcopis coronæ impositio & major missa in præsentia Ottonis III dicta* contigit. Ademarus quidem effossionem corporis Caroli M. conjungit cum anno, quo solium ejus ab Ottone III. missum est Boleslao Polono, sed ex Ditmaro haud obscure intelligitur, id pertinere ad annum Romanæ suæ coronationis, reditumque ad Germaniam, quam Chronologiam etiam secutus est Eminentissimus Baronius, adeo ut hoc anno corpus Caroli M. effossum, solium illius vero annis quatuor posterius Boleslao Polono missum rectius statuatur. Prosequamur vero jam cetera, quæ Biographi sub hanc Adalberti Moguntiæ commorationem accidisse memorant.

Annal. Saxo ad h. a.

Ditmar. l. 4. p. 357.

Ademarus in Chron.

III. Sæpe laudatus prior vitæ S. Adalberti auctor narrata Viri sancti existimatione, qua plurimum apud Ottonem III valebat, summam illius humilitatem his verbis subjicit: *Cunctis, qui in regia domo erant, velut servus omnium, sic eorum vilissima quæque manibus tractat, & omni humilitate eorum servitia facit. Noctibus quoque, cum carpserant somnum, calceamenta eorum componere cura fuit, a janitore usque ad Principem regiæ domus omnium caligas aqua lavit, & purgatis sordibus eas suo loco restituit. Ad hunc modum plurima servitia egit in camera, quanto quæque vilissima erant, tanto libentius ea pro humilitate ministrat. Sed serviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolfarius regius imperialis minister, & sibi dilectus cubicularius Sanctum prodidit furem.* Tum refert Biographus visionem illi in eodem palatio de suo martyrio fratrumque nece ostensam: *Putabat*, inquit, *se fratris sui curtem adire, & media curte stare domum, cujus structura adspectu erat delectabilis, parietes & tecta nivei candoris, intus duo lecti, unus sibi, alter fratri suo deputatus. Erat utique scilicet (ut decuit) multum honoris gerens, sed lectus suus omnem gloriam alterius longe præcellens, totus purpureo splendore, & sericis ornamentis amictus; ad caput vero aurei staminis linteo pulcherrime redimitus, sursum vero in capite erat aureis literis scriptum: „ Munus hoc autem „ tum filia sponsatur „* (Ita quidem prior Biographus hoc loco corruptus, quod alter emendatius ita reddit: *„ Munus hoc donat tibi fi- „ lia Regis „*) *Cujus visionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret: Vide, inquiunt illi* (alter Biographus hunc somni interpretem *Leonem Palatii Episcopum* fuisse refert) *quia Christo secundante Martyr eris futurus, Regis filia, quæ dat tibi regia dona, hæc est domina cœli Sacratissima Virgo Maria. Hoc audiens ille factus est lætissimo animo, & ingressus cubiculum cordis egit gratias Sanctorum Sancto Angelorum Domino, & omnipotenti Christo. Hinc matrem gratiarum, quæ regis solio proxima sedet, prona cervice & gavisæ mentis jubilo adorat.* Inde peregrinationibus illius sacris (quas pedes *Turonum* ad S. Martinum, *Floriacum* ad corpus S. Benedicti, *Parisios* ad exuvias S. Dionysii Areopagitæ confecerat) commemoratis, subjungit: *regreditur ad imperiale domicilium. Inde quid sibi mente foret, quæ volente Deo agere vellet, sub lucem proferens cœpit cum dilecto Cæsare familiarem & extremum sermonem habere.* Cosmas etiam, ut supra vidimus, Ottonem III. Sancto Viro humilem peccatorum suorum confessionem depositisse perhibet. Persequitur vero primus Biographus: *Finita locu-*

Mabillon. sæc. V. Bened. p. 861.

Idem Ibid.

cutione pacis, oscula invicem libant, & amplius nunquam sociandos non absque dolore separant amplexus. Hunc autem S. Adalberti Moguntia discessum sub finem anni præsentis accidisse, mox visuri sumus paragrapho sequente.

IV. Vale dicto Ottoni III. S. Adalbertus Moguntini Archiantistitis perpetuis hortamentis incitatus iter versus Bohemiam ingressus est, sed in ipso itinere (cujus terminus verosimillime pagus Milavezium in Provincia Plsnensi fuit, uti ad annum 981. p. 276 innuimus) feralis illius cædis fratrum suorum certior redditus, pedem ex Bohemia retraxit, ac per Hungariam ad Poloniam transiit. Rem rursum his verbis exprimit prior Biographus: *Vir ergo Sanctus ejus* (Ottonis) *caram vitam carissimo Jesu multum commendans secundum placitum Archipræsulis sui ad apostatricem gentem pergere cœpit. Sapuit ipse, quia consilio suo non obaudirent, sed ne inobediens esset, jussum iter adimplere maluit. Hoc etiam ejus animo magnam spem tribuit, quia si non in filiis, in alienis & in barbarismo animarum lucra congregare potuit. Erant enim multæ nationes per circuitum, per quas aut sibi martyrium, aut eis baptismi gratia conferri potuit. Gens autem hæc sceleratissima, ad quam redire compulsus est, in odium sui nominis grande nefas commiserunt: Nam parentes suos* (id est consanguineos) *suos nobiles & præclaros viros misero vulnere prosternunt; fratres fratrumque filios masculum una cum femina omnes morte sævissima damnarunt: civitates quoque eorum igne ac ferro devastantes, omnia eorum bona in captivitatem redegerunt.* Hæc quidem compendio scriptor Italus, sed locupletiora his prodidit S. Bruno Bonifacius in altera vita, qui tragœdiam istam ex ipso Papate Radla hujus carnificinæ spectatore audierat, quam prorsus pathetice magnaque verborum amplificatione enarrat. Hic igitur cum præjecisset absente seniore fratre S. Adalberti quatuor domi relictis fratribus a Boleslao Duce Bohemiæ pacem & securitatem, datis etiam sacramentis, stipulatam fuisse, oratione prorsus Philippica invehitur in eundem Boleslaum, illique summa acerbitate exprobrat versutiam & perjurium, quod nihil minus quam bellum opinantes fratres S. Adalberti oppresserit. De horum itaque fratrum, familiariumque securitate ait: *Igitur sacramento fidunt, quod Christiani darent, quando fratres Christicolæ Adalberti pacem putarent; liber populus per campum ambulat. Non enim data fide bellum cogitat: stat proxima periculo civitas secura. Nam & ecce hostes ex*

Idem Ibid.

Ibid. p. 868.

improviso veniunt, diffusa multitudine civitatem (Lubicz ea fuit avita Slawnikorum sedes) *circumcingunt, in vigilia pretiosi martyris Wenceslai bella incipiunt, nihilominus & ipso festo oppugnare certatim insistunt. Nec juvat, quod urbani diem sanctum venerari petunt: contra quos forenses verba superbiæ jaculantes: si vester, inquiunt, Sanctus Wenceslaus, noster utique Boleslaus!* (Boleslaum illum, qui factionis Wrssoveciane fautor erat adversus cognationem S. Adalberti, non pium fuisse, sed ejus filium Boleslaum Rufum seu tertium, jam alibi præmonuimus, & inferius latius prosequemur). *Et quamvis* (persequitur author) *post caperent civitatem, pœnas dedit asperum verbum. Civium namque gladio die illo ceciderunt hostium capita multa, & omnes, qui in illo consilio fuerunt, aut mortui quiescunt, aut cæci & dispersi male vivunt. Cessit pavida civilibus bellis civitas, miserabili exilio familiæ distractæ, bona in manus inimicorum cuncta cesserunt. Inundat planctus mulierum, stupet mortua facies puerorum, geminatis dexteris vivorum: stat silentium spectantium clericorum: Sancti Viri fratres quatuor, strenui bello, & nescii cedere loco, dum de quo jam diximus Clericus Radla* (Ipse tamen jam tùm erat monachus, inquit paulo infra idem author) *consilium dedit, parum valentia arma dimiserunt, & quam præliando pulcram mortem putarunt, confugiendo ad ecclesiam* (*ut est in humanis oculis*) *turpem fugam acceperunt. Nam falso data est spes vivendi, & dum exeuntes ecclesiam sponte in manus hostium vadunt, fefellit dextera Senioris, & in conspectu omnium pulcra corpora subierunt capitalem sententiam.* Cosmas noster, quem Annalista Saxo posterioresque fere omnes secuti cladem hanc ad annum priorem commemorarunt, sed indubitatum est illam ad præsentem spectare, uti non modo ex serie rerum ab utroque Biographo narratarum, sed & ex adjectis Chronologicis indiciis recte convincitur. Clarissimi Viri Bollandiani ad verba mox relata Biographi: *in vigilia pretiosi martyris Wenceslai* hanc animadversionem apposuere: *Manuscriptum Pragense addit feria VI, Surius sexta die, neutrum recte. Si enim 23 Aprilis feria VI obiit S. Adalbertus, uti omnes consentiunt, obiit anno 977 litera Dominicali C. At Vigilia Sancti Wenceslai in 27 Septembris cadit, adeoque ut Adalberti cædes fratrum mortem non anteceserit, debuerunt illi fuisse occisi in Septembri anni 996, cum litera Dominicalis erant E. D. & tunc 27 Septembris cadebat in Dominicam.* Quibus eruditissimis Viris quum utroque pollice subscribo, hanc cædem fratrum præsente anno 996 factam fuisse, quo omnino vigilia S. Wenceslai in diem Dominicam incidit,

Cosmas Annal. Saxo ad an. 995

Acta SS. ad 23 Aprilis.

dit, nihilominus existimo præter omnem ambiguitatem & violentiam feriam VI in Manuscripto Pragensi proditam conservari posse. Verba autem MSi Pragensis sunt hæc: *Nam & ecce hostes ex improviso veniunt, diffusa multitudine civitatem circumcingunt feria VI in vigilia pretiosi martyris Wenceslai bella incipiunt, nihilominus & ipso festo oppugnare certatim insistunt.* In qua oratione procul dubio librarii posterioris errore accidit, quod post vocem circumcingunt, comma interseruerit, cum illud primum post verba *feria VI*, facere debuisset. Ita ut sensus sit: hostes advenisse & circumcinxisse civitatem Lubicz feria VI, quæ hoc anno in 25 Septembris incidit, hac die omnia ad justam obsidionem & expugnationem præparasse, sequente die, qua erat Sabbathum, & qua ex more ecclesiæ præoccupabatur Vigilia S. Wenceslai (nam Dominicis celebrari vigiliæ haud solent) *bella* seu expugnationem incepisse urbis, quæ dein per 27 & 28*am* Septembris continuata fuit, ut ita feria VI non ad vigiliam S. Wenceslai, sed ad initium cœptæ obsidionis pertineat. Minus vero sustineri potest Pagii sententia, qui eædem hanc anno lapso perpetratam fuisse opinatus est, quo omnino 27 Septembris in feriam VI incidit. Nam ex utroque Biographo manifestum fit, eam post coronationem Romanam Ottonis III, Sanctique Adalberti discessum Moguntia, quod utrumque anno præsente accidit, factam fuisse. Error eorum, qui hanc fratrum cædem superiori anno illigarunt, non alio fonte quam Cosma nostro hausus est, qui cum martyrium S. Adalberti perperam anno præsenti innexuerit, necessario cædem fratrum superiori adscripsit. Quod alterum est: erravit quoque Cosmas, cum hac cæde universos S. Adalberti fratres peremptos scripsit. Sic enim ille: *universis fratribus S. Adalberti cum omni prole ante altare decollatis.* Et mox infra: *Interfecti sunt autem in urbe Lubic quinque fratres S. Adalberti Anno Dom. Incarn. DCCCCXCV, quorum nomina sunt hæc: Sobebor, Spitimir, Pobrozlau, Porey, Cazlau.* Quam sententiam secutus Annalista Saxo ac omnes pene posteriores, qui quinque fratres S. Adalberti (vario quodam anagrammate deformatis nominibus) cæsos scripserunt. Sed certum est, nonnisi quatuor fratres interemtos fuisse. Nam Biographus alter expressis verbis ait: *relicti domi quatuor fratres*, & dein: *Sancti Viri fratres quatuor strenui bello, & nescii cedere loco*, rursum *bis duum fratrum mors.* Unde recte errorem hunc Cosmæ in Codice Dresdensi emendavit transumtor & interpolator Monachus Zazaviensis, cum Cosmæ voci *universis*, substituit vocem *quatuor*. Et vero exploratum est, Slawnikum universim

Pagius in crit. Baronii ad an. 995.

Annalista Saxo ad an. 995.

non-

nonnisi septem habuisse filios, scil. suprafatos quinque, tum S. Adalbertum & Gaudentium; jam constat duos hos posteriores, natuque maximum Sobeborem abfuisse, ut proinde nonnisi Spitimir, Probrozlau, Porey & Czaslau quatuor fratres hoc tumultu interemti sint, quos ipsos quatuor mox laudatus Anonymus Zazavienſis 10 Octobris Libiczii sepultos fuisse tradit his verbis: *In ecclesia S. Bonifacii Martyris sepulti sunt VI. Idus Octobris.* Qui dies accurate respondet vetusto Syllabo Anniversariorum ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, in quo ad 10 Octobris hæc leguntur: *Memoria interfectorum fratrum S. Adalberti.* Nostri posteriores passim illis Martyrum honorem & venerationem, duce cumprimis Hagecio, tribuunt, adeo ut fidei causa ab ethnicis interfectos velint, at omnem martyrii lauream eis eripit coævus S. Bruno Bonifacius in altera vita de illorum morte & S. Adalberti martyrio ita loquens: *Quorum* (fratrum) *mortibus mors S. Adalberti quam præstantior foret, quorum lecto lectulus suus quam pulcrior emineret, omnis intelligit, qui ipsum* (S. Adalbertum) *causa Dei, illos causa sæculi, & defendendæ vitæ cecidisse cognoscit.* Scilicet si memorias annorum superiorum revocemus, advertimus: primum omnium irritamentum fuisse, quod S. Adalbertus Kochanum Wrssovecium palam in ecclesia ob vi extractam mulierem adulteram capitisque damnatam excommunicaverit, quæ excommunicatio Wrssovecensis universæ familiæ, tum omnium potentissimæ, odium exacuit adversus omnes S. Adalberti fratres illiusque cognationem, adeo ut hæ duæ nobilissimæ prosapiæ inter se multum collisæ fuerint; cumque Boleslaus Pii filius cognomento Rufus in Wrssoveciorum partes pertractus fuisset, illeque tum ob senium tum ægritudinem patris potissimum jam administrasset Ducatum Bohemiæ, inde profluxit, quod Slawnikiani succubuerint, ac multa indigne a Wrssovecianis eorumque factione passi sint. His remedium adferre volens Sobiebor natu maximus frater, injurias istas non modo Imperatori Ottoni III, sed & Boleslao Polono questus est, sed & deserta patria sua ad Poloniam transiit, ubi, uti Biographus alter loquitur, *magnis promissis & amicis opibus* a Boleslao Polono *adjutus.* Eo facinore Sobiebor oleum igni infudit, nam cum ob ereptam maximam Silesiæ hodiernæ portionem, captumque castrum Cracovienſe cum adsitis regionibus maximæ hoc tempore simultates Ducem nostrum inter Polonumque interciderint, Wrssovecii occasionem nacti hunc Sobieboris ad Poloniæ Ducem transitum perduellionis criminari, ac proinde in eandem suspicionem domi relictos quatuor fratres pertrahere, eoque crimi-

Apud Menken. T. III. p. 1777

Hagek ad an. 980.

Apud Mabill. sæc. V. Bened. p. 869.

minationes ſuas exacuerant, ut Boleslai Ruſi ſententia, exciſa urbe avita ſua, capitis damnati fuerint, ſpectante hæc omnia Papate Radla ſeu Anaſtaſio tum Abbate Brevnovienſi.

Porro quanquam toties laudatus S. Adalberti Biographus nuſpiam claris verbis exprimat, Boleslaumne pium, an filium illum fuiſſe intenderit, qui fratres S. Adalberti tanto odio perſecutus pœnæ mortis adjudicavit; tamen haud obſcuris quibusdam locis innuit, ſe non alium, quam filium, *Rufum* nomine, ſub quo hanc vitam ſcripſit, intellexiſſe. Nam bis alludit ad cœcitatem, qua eum poſtea Boleslaus Polonus mulctaverat, dum ait: omnes illi qui conſilii iſtius & parricidii complices fuere, *aut mortui quieſcunt, aut cæci & diſperſi vivunt*, & adverſus eundem Boleslaum invectivam ſuam orationem inſtituens ait: *Quis non exhorreat cæcum natum hominem noſtrum?* Profecto credibile haud eſt Boleslaum II, cui *Pii* nomen omnis antiquitas tribuit, hoc facinus commiſſurum fuiſſe. Meminit quidem in ſupra relatis verbis Biographus *Senioris*, cujus *dexteram fefelliſſe*, & *ſpem vivendi datam* non impleſſe ait. At nemo ignorat, hac ætate vocem *ſenior* venerationis cauſa *Dominorum & Principum* fuiſſe propriam, ut proinde recte etiam ad Boleslaum Rufum, qui patre jam tum ſene ægroque potiſſimum rempublicam adminiſtraverat, referri poſſit. Sane verba illa Biographi: *cui fallere ingenium calet, cui in ore mel, in corde fel latet. Ecce Judas, qui per pacem didicit facere bellum, appone iniquitatem ſuper iniquitatem*, peſſimos mores ingeniumque Boleslai III, quibus eum omnes hiſtorici depingunt, non Secundi Piique indigitant. Sed reliqua hujus anni perſequamur.

Du Freſne in Gloſſario voce Senior.

Apud Mabill. ſæc. V. Ben. p. 868.

V. Hanc tragicam igitur hiſtoriam poſteaquam S. Adalbertus in itinere ſuo, quod Moguntia Pragam adornaverat, comperiſſet, merito conſilium mutavit, temonemque vertit, ſic enim prior Biographus: *Ergo pro his ſceleribus aditum ſibi clauſum iter putans ille Sanctiſſimus heros, noluit fruſtrari adventum ſuum, ſed declinavit ad præfatum Ducem* (Boleslaum Polonum) *quia ſibi amiciſſimus erat.* Verum S. Adalbertum clauſo ſibi tranſitu per Bohemiam iter ſuum direxiſſe per Hungariam, atque iſthic ad Ducem Geizam divertiſſe, haud obſcure innuit tam Coſmas noſter, quam Annaliſta Saxo, atque etiam Chronici Magdeburgenſis author, qui præſenti anno hæc verba apponunt: *Inſignis ſignifer Chriſti Præſul Adalbertus retibus fidei cepit Pannoniam ſimul & Polo-*

Ibid. p. 862.

Coſmas & Annaliſta Saxo Chron. Magd. ad h. a.

loniam, cujus anni verbis quidam inducti sunt, ut baptismum S. Stephani in annum præsentem rejecerint, sed jam ad annum 984 ostendimus, baptismum istum multo maturius accidisse. Silet etiam de hoc baptismo Codex MS. Trebonensis a Reverendissimo Bonaventura Pitter laudatus, qui solum ait: *Ibi* (in Hungaria) *aliquantulum temporis Regi commorans, & de fide populum & regem plenius instruens tandem se Domino hostiam vivam intimo cordis affectu offerri desiderans, ferocissimas Pruthenorum gentes aggreditur.* Et profecto nonnisi *aliquantum temporis*, nec diu S. Adalbertum in Hungaria hoc anno commoratum fuisse persuadet sex mensium brevitas, qui inter fratrum cædem, ejusque martyrium intercesserant. Ex epistola tamen S. Adalberti, quam anni sequentis principio ad Geizam uxoremque illius dedit, haud obscure conjicitur, illum adhuc in Hungaria degentem Papati Radlæ seu Anastasio Abbati Brevnovienſi ex Bohemia profugo congressum, quem discessurus in Poloniam apud Geizam reliquit. Joannes Dlugossus ejusdem S. Adalberti iter per Hungariam describit, memoratque Stephanum filium Geizæ confirmationis charactere ab eodem insignitum fuisse, quod incredibile non est, tum subjungit: *In Cracovienſi urbe (ea enim sibi ex Hungaria egredienti prima occurebat) aliquanto tempore moratus est, & in civitatis* prædictæ circulo suæ prædicationis sanctæ *vulgari suo Bohemico, quod a Polonis potuit bene intelligi, assidue exsolvebat officium.* Quod ut ita accidisse probaret, subjungit: Cracovienses post sui glorioſi martyrii consummationem eo loco, quo prædicationem suam peregerat, basilicam in ejus honorem condiderunt, *quæ usque in diem hodiernum permanens, & sollicitudinem Viri Dei in verbo vitæ disseminando, & Polonorum erga illum testatur devotionem.* Denique refert idem Dlugossus, eum abhinc sumtibus Ducis Boleslai cum comitatu militum in alteram Polonorum metropolim Gnesnam fuisse deductum. Uterque Synchronus Biographus suppressis omnibus itineris circumstantiis compendio dicit, eum ad Boleslaum Polonorum Ducem transgressum postremo quæsiviſſe per nuncios ex Bohemis, si se in Episcopatum vellent recipere. Prioris verba sunt: *Declinavit ad præfatum Ducem, quia sibi amicissimus erat, & si recipere vellent, per ejus missos explorare petiit.* Posterior hæc locupletius persequitur: *Ergo* inquit, *quem suo labori adjutorem Deus præparavit, Ducem Polonorum, servorum Dei patrem, Boleslaum rerum dubius petit, cujus auxilio nuncios suos miserat ad insolentem uxorem* (scilicet ecclesiam Pragensem) *si vel stuprata ab amatoribus multis, priorem maritum accipere vel-*

Vita S. Gunzberi p. 169.

Hist. Pol. l. 2. p. 116.

Apud Mabill. sæc. V. Bened. 869.

vellet. Interim in hac regione (Polonia) *cum Duce nunciorum adventum exſpectat, qui cum redeunt, qualem Epiſcopus amavit, plenam contumeliis legationem referunt. Bene venias, inquiunt, ad non ſemel refutatam mulierem. Miræ res! ad uxorem ſponte venis, quem ſemper invitum vocare & neceſſe erat tenere. Scimus, quæ cogitas homo. Omnino nolumus, nec eſt tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occiſos fratres vulnere magno. Accipiens ille libellum repudii ex ſuperborum conſiliis non minus lætus efficitur, quam homines, cum ſicubi non ſperant, læta verba & bonorum oblationes accipiunt. Dirupiſti, inquit ille, vincula mea. Hoc eſt, quod exſpectans exſpectavi, deſiderio deſideravi. Ablatum eſt meum periculum. Quid? reſpondet in faciem, qui me non vult, quomodo poſſum regere gregem? Euge non timeo revocantem amplius Papam, nec triſtia ferentem Metropolitæ* (Moguntini) *inmitis epiſtolam. Qui paganicis antebac operibus in fugam me excitaverunt, ecce palam verbis, nolumus te, dicunt.* E quibus jam longe aliam hiſtoriam, quam nos Hageeius ac paſſim noſtri Polonique docuerint, poſtremi diſceſſus S. Adalberti diſcimus. Unum hic porro animadvertendum: Pluribus jam argumentis alias probavimus Biographum alterum, cujus verba poſtrema retulimus, fuiſſe S. Brunonem Bonifacium Comitem Querfurtenſem, olim conſodalem in ſcholis Magdeburgenſibus S. Adalberti, is cum nomen ſuum nuſpiam prodidit, ac proinde hactenus paſſim incognitus fuit, etiam ſuperioribus verbis (cum tanto elogio Boleslaum Polonum extulit, *Patremque Servorum Dei* appellavit) ſe ſe luculenter hujus vitæ authorem prodidit. Nam teſtatur Ditmarus eum acceptiſſimum fuiſſe Boleslao Polonorum Duci, ab eodemque multis muneribus donatum; cujus verba ſunt: *Multa a Bolizlavo, ceterisque divitibus bona ſuſcepit, quæ mox eccleſiis, ac familiaribus ſuis & pauperibus, nihil ſibi retinendo, diviſit.* *Ditmarus l. 6 p. 398*

VI. Jam poſtremo, quod ad anni hujus hiſtoriam ſpectat, fatum Papatis Radlæ ſeu Anaſtaſii, cœnobiique ſui Brzevnovienſis iſthic expediendum. Ex Biographo altero mox ſupra legimus eum coram adfuiſſe obſeſſumque cum fratribus S. Adalberti in urbe Lubicz, hic enim ille oppugnatione preſſis fratribus *conſilium dedit, ut parum valentia arma dimitterent.* Fortuito nempe funeſtæ iſtius ſcenæ ſpectator factus, eodemque periculo involutus, cum quaqua demum ratione ad familiariſſimam ſibi Slawnikianam urbem domumque inviſerat. Nihil quidem in eum acerbius animadverſum fuiſſe legitur, at quoniam mox hau-

datus Biographus a capta urbe cæsisque quatuor S. Adalberti fratribus dicit: *miserabili exilio familiæ distractæ, bona in manus inimicorum cuncta cesserunt*, fatum pene simile omnes & singulos tetigit, qui Slawnikianis ipsique S. Adalberto seu cognatione, seu clientela, seu familiaritate aliqua juncti erant, adeo ut nec Brzevnovienses Religiosi, a S. Adalberto potissimum Roma adducti, immunes ab ipsa persecutione perstiterint. Huc enim pertinet, quod crebro memoratus Codex MS. Trebonensis de Monachis cœnobium Brzevnovienſe deferentibus refert: *Supradicti*, inquit, *duodecim S. Fratres, qui in monasterio Brevnovienſi per S. Pontificem* (Adalbertum) *locati fuerant, orbati patre ac pastore: relinquentes monasterium pro arctioris vitæ studio heremitoria in diversis partibus adierunt, & omnes laudabilem & sanctam vitam ducentes ad convivium cæleste pervenerunt.* Hinc recte Reverendissimus Bonaventura Pitter: *Non diu in hoc loco* (Brewnovii) *mansum fuit, quin hi primi incolæ, & eis aliunde adsociati servi Dei in varias silvas atque heremos . . . dilapsi.* Hos inter fuisse etiam Anastasium Abbatem (passim a Biographo *Radla & Papatem* appellatum) perquam testatum est. Nam is seu metu persecutionis Bohemiam hoc ipso adhuc anno deseruit, seu plane deserere jussus est, cum alter Biographus anni sequentis principio datam in Hungariam ad eum ex Polonia a S. Adalberto epistolam proferat. Quare errant passim catalogi Abbatum Brzewnovienſium, qui ei 10 annos regiminis impertiuntur, cum ne quidem quartum compleviſſe certum sit. Anastasium autem ex Bohemia cum pluribus Brzewnovienſibus monachis ad Hungariam veniſſe, constans est omnium pene historicorum Hungaricorum sententia, quæ satis limpido fonte, relatis scilicet Chartuitii antiquissimi Hungariæ scriptoris nititur. Ejus verba sunt: *Multi presbyteri & Clerici Sancti spiritus gratia compuncti relictis sedibus suis Christi causa peregrini esse voluere. Abbates & monachi nihil proprii habere cupientes sub tam religioso Principe statuerunt ad sui instituti præscriptum venire, in quibus fuit Astricus Abbas* (eum mox infra aliter Anastasium appellatum fuisse infra idem Chartuitius affirmat) *cum discipulis suis, e quibus Bonifacius loco patris postea Abbas creatus, & a beato Rege in inferiores Hungariæ partes causa prædicationis missus in vertice gladio percussus, etsi supervixit, non est martyrii corona frustratus.* Præter hunc Bonifacium etiam doctissimus Vir Sczentivani *Benedictum, Matthæum, Christinum & Joannem* inter discipulos Anastasii, quique S. Adalbertum in Hungariam secuti sint, de nomine refert. Sed minus sinceram in eo notitiam asse-

In vita S. Gunsberi p. 136.

apud Schwandtner T. I. pag. 417.

ad 19 Martii & 12 Nov.

cu-

entus est Chartuitius, cum Anastasium mortuo jam Geiza patre S. Stephani in Hungariam advenisse credidit. Vixit præsente adhuc anno imo sequentis initio Geiza, ut suo loco ostendemus. Quare etiam recte Stephanus Rex Hung. in diplomate suo Anno 1001 dato dicit, monasterium S. Martini in monte Pannoniæ (quod idem Anastasius cœpit condere, & cujus primus Abbas fuit) *a genitore nostro inceptum* fuisse; scilicet venientem hujus anni exitu aut sequentis principio cum monachis suis quibusque Brevnovienſibus Anastasium liberaliter excepit Geiza, atque cum Tatense monasterium, multo ante isthic ab Anastasio ipso fundatum tantum advenarum monachorum numerum capere procul dubio haud posset, nec decens videretur, ut Anastasius Abbas mox ante Brevnovii, fundatorque Tatensi Abbati subjiceretur, Geiza eidem ejusque discipulis (quod festinatio suadebat) monasteriolum quoddam assignatis annuis reditibus quoquo demum loco præparavit, quem cum paulopost mors interceperit, Stephanus dein filius id post luculentam illam patrocinio S. Martini ab hostibus obtentam victoriam in montem Pannoniæ transtulit, justoque isthic efformato monasterio Anastasium primum Abbatem constituit. Qua minime violenta explicatione optime illa conciliantur, quæ & Thuroczius, & Chartuitius & diploma Stephani Regis de eodem cœnobio Anastasioque prodidere. Sed novam litem movere nobis videtur Chartuitius mox laudato loco, qui eundem Astricum seu Anastasium alterius monasterii cognomento *Mons ferreus* insigniti conditorem & Abbatem facit. Verba illius sunt: *Porro Astricus Abbas cum suis honorifice acceptus ad radices montis ferrei cœnobium in Sancti Benedicti honorem construxit, ubi hodieque monachorum est congregatio regulari disciplina pollens, temporalium rerum copiis ex Ducis liberalitate superabundans.* An fortassis hoc ipsum primum monasteriolum *ad radices montis Ferrei* exstitit, quod hoc aut sequente anno cœpit Geiza, & e quo tandem Stephanus Anastasium cum suis discipulis in montem Sancti Martini transtulit? qui locus cum jam eremitoriis Benedictinis sacer esset, postea fortassis rursus ab aliis monachis cultus, pedetentim in justam monasterii formam transiit, atque cum Anastasius illius prima fundamenta olim jecerit, merito illi primi Abbatis prærogativa in Catalogis Abbatum monasterii hujus concessa. Nisi fortassis dicere malimus: S. Adalbertum ex itinere suo hujus anni Romano & Gallico plures monachos comitesque adduxisse in Hungariam. Nam alter Biographus claris verbis asserit, eum ex peregrinatione sua Turonensi, Floriacensi, & Parisina

Vide retro ad an. 990 p. 344 & seq.

Thurocz. Chrō. Hung. p. 95. Chartuitius p. 416. Pistor in vita S. Gunthori p. 159.

Chart. p. 417

adjutores ad ſua prælia vocaſſe, quos veroſimillime in Hungaria reliquit; cum ex utroque Biographo teſtatum ſit, eum nonniſi germanum fratrem ſuum *Gaudentium*, alterumque *Benedictum* una in Poloniam & dein Pruſſiam aſſumpſiſſe. Quid ſi igitur tanto numero confluentes monachi, alii quidem cum Anaſtaſio Abbate Brevnovienſi, alii cum Sancto Adalberto, duplicem ſimul locum colere cœperunt, Brevnovienſes quidem Anaſtaſium, ut ante, Abbatem ſuum venerati, S. Adalberti Socii viæque comites ejusdem Anaſtaſii familiaris olim ſui patrisque ſpiritualis diſciplinæ crediti, utrisque, inquam, idem Anaſtaſius Abbas contigit, quod eo ſæculo minime infrequens fuiſſe cumprimis ex vita & geſtis S. Godehardi, qui ſimul pluribus cœnobiis præfuit, *liquet*. Sed id Hungariæ ſcriptoribus elucidandum definiendumque relinquimus. Nonneſcio quosdam perfricta fronte Anaſtaſium ab Aſtrico diſpeſcere, atque duos eosque diverſos Abbates facere: illum quidem in monte S. Martini, iſtum ad radices montis Ferrei, quorum ſententiam pluribus etiam ad me perſcripſit in epiſtola ſua R. P. Norbertus Ordinis noſtri ſuperior Veſprimenſis Vir rerum Theologicarum Poeticesque cognitione cumprimis clarus. Scio præcipuum iſtorum arietem eſſe, quo ſe adverſæ ſententiæ muros ſubverriſſe gloriantur, quod in Bulla Silveſtri Papæ anno 1000 data Aſtricus jam vocetur *Epiſcopus Colocenſis*, cum in Diplomate S. Stephani anno ſequente dato Anaſtaſius adhuc vocetur *Abbas*. Verum operam perdunt: antiquiora & luculentiora ſuppetunt teſtimonia, Anaſtaſium Aſtricumque unum eundemque fuiſſe, quam prudenter a quoquam negari poſſit. Certum enim eſt primo, majores noſtros latinum *Anaſtaſii* nomen non aliter quam *Aſirik* slavice reddidiſſe, quod diplomatibus aliisque veteribus documentis probatu haud difficile eſt. Secundo certum eſt, quod idem Papas Radla ſeu Anaſtaſius, qui jam tum Brevnovienſis Abbas fuit, ſub poſtremum S. Adalberti Praga diſceſſum jam *Aſtricus* appelletur a Synchrono S. Adalberti Biographo, uti ad annos 990 & 994 oſtendimus. Certum eſt tertio quod antiquiſſimus Hungariæ ſcriptor Chartuitius promiſcue Aſtrici & Anaſtaſii nomine utatur, verbisque expreſſis dicat: *Aſtricum præſulem, qui etiam Anaſtaſius dictus eſt.* Quot quantisque vetuſtatis teſtimoniis nunquam adverſæ ſententiæ patroni veriora certioraque oppoſituri ſunt. Apparens illa antilogia Bullæ Silveſtri Papæ & Diplomatis Stephani Regis facile ſalvari poteſt, ſi dicamus Aſtricum deſignatum aut plane jam conſecratum Epiſcopum ſimul fuiſſe Abbatem S. Martini & Montis Ferrei. Chartuitius certe eum jam Abbatem, jam Præſulem &

Chartuitius p. 417

Epi-

Epiſcopum vocat; ſuppetunt plura exempla & viciniſſimæ quidem eccleſiæ Ratisbonenſis, ubi Epiſcopi ſimul Abbates fuere ad S. Emeramum. Quid ſi plane Anaſtaſius a S. Adalberto gentium Prædicatore & Archiepiſcopo, uti alibi docuimus, jurisdictionem Epiſcopalem accepit, atque ſe ad Pruſſiam diſcedente, iſthic in Hungaria non quidem Colocenſis, ſed regionarius Epiſcopus conſtitutus eſt ? Nam res admodum dubia eſt, num ante annum 1000 miſſionemque Anaſtaſii Romam Hungaria jam habuerit Epiſcopos certarum ſedium, ut potius exiſtimem, Scioli cujusdam imperitia vocem *Colocenſem* ex poſteriori notitia intruſam fuiſſe in Bullam Silveſtri, quod etiam advertiſſe videtur Dlugoſſus, dum eundem Anaſtaſium *per anticipationem Epiſcopum & Archiepiſcopum Strigonienſem vocatum* contendit. Certe, cum multo poſterius ſcilicet anno 1007 idem Anaſtaſius interfuit Concilio Francofurtenſi, adhuc ſe non certæ ſedis Archiepiſcopum ſcripſit, ſed ſubſcriptio illius his verbis concepta eſt: *Anaſtaſius Ungrorum Archiepiſcopus interfui & ſubſcripſi.* Hæc cum in nullo adhuc ſcriptore Hungaro enucleata repererim: rerum S. Adalberti & Anaſtaſii illuſtrandarum cauſa primus aggreſſus ſum, lubens cui cui demum conceſſurus, ſi his luculentiora certioraque attulerit. Ceterum noviſſimus idemque præcipuus Hungariæ Hiſtoriographus Clariſſimus Vir Georgius Pray, qui critice hiſtoriam Hungariæ tractare exorſus eſt, Aſtricum minime diverſum facit ab Anaſtaſio, quod idem ſervavit Doctiſſimus Vir Joannes Severinus omnium, quod ſcio, poſtremus, qui de hoc argumento ſcripſit.

Dlugoſſus hiſt. Pol. l. 2. p. 121

Concil. Germ. T. III. p. 38.

Georg. Pray Annal. Hung. l. 1. p. 5.

Joan. Severin. in Conſpectu hiſt. Hung. l. 3 p. 93

ANNUS 997.

Clerus Paſtore ſuo per martyrium Divi Adalberti orbatus ſub præſidio Pokorzini, cui primaria ab Epiſcopo ad Divi Viti Eccleſiam erat auctoritas, (a) ſynodum coegit, deque alio Pragenſi cathedræ tempori proſpiciendo Antiſtite Ducem monuit. Boleslaus ſane in eo, quem ſuper

Synodus coacta ad eligendum ſucceſſorem S. Adalberto.

Divi

Divi Adalberti morte ad totum ſacerdotale collegium ſermonem habuit, palam profeſſus eſt: Nunquam ſe dolorem tantum ex fortunarum omnium jactura, quantum ex cæde Antiſtitis capturum fuiſſe. Hoc dies noctesque terebrare querebatur viſcerum ſuorum intima, mentemque non vano metu angere, ut ne haud pridem ad Chriſti caſtra transgreſſus populus infami defectione ad ſua idola redeat. (b) Fluctuare identidem animum ſuum, & inquirere, quem huic muneri dignum idoneumque præſtituat, nec ſe reperire; quare optionem eis relinqui, nec ſe defuturum, ut cognitæ ſubſcribat ſententiæ. Gratiſſima Synodus reſponſum id Principis accepit voluntate, deliberationemque negotii tam gravis in diem uſque tertium protulit, atque tandem unanimi ſententia rem omnem prudentiæ delectuique Imperatoris Ottonis III. permittendam eſſe cenſuit. Probatum id conſilium maxime Boleslao, extemplo miſſa legatio ad Cæſarem. (c) Et dedit is poſt multam conſultationem Capellanum ſuum Deodatum, (d) conſecrarique juſſum cum legatis retro in Bohemiam miſit, (e) ubi ſumma exſpectatione, omniumque plauſu feſtiviſſime exceptus. Hujus nomen cum abhorreret a conſuetudine linguæ Bohemicæ, inde varia viro nomina, aliis Tegdandus, aliis Theodarus, aliis Bohdalus interpretatione Slavica appellatus. (f) Epiſcopus is erat Bohemis tertius numero, gente Saxo, magnus eloquio, eruditione clarus, & quod ſumme Bohemorum amorem rapiebat, linguæ ſlavicæ apprime gnarus.

Otto III. deſignat Deodatum Capellanum ſuum epiſcopum Pragenſem.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 997.

GREGORII XV. PAPÆ AN. 2. OTTONIS III. REG. 15. IMP. 2.

BOLESLAI II. AN. 31. S. ADALBERTI EP. PRAG. 16.

(*a*) Unde Pokorzinum hunc hauſerit Hagecius, incognitum, annis abhinc quatuor Rech Præpoſitum fuiſſe, ex Anonymo Ludewigiano & Menkeniano oſtendimus.

(*b*) Boleslaum audito S. Adalberti martyrio non mediocriter conſternatum perturbatumque fuiſſe, ſumme credibile eſt, præſertim ſi cum animo ſuo expendit, ultro redire volentem a ſe repudiatum fuiſſe.

(*c*) Coſmæ verba ſunt: *Dirigit legatos ſuos ad Imperatorem tertium Ottonem, ut Boemenſi eccleſiæ ſponſum meritis dignum daret, ne grex Chriſti noviter mancipatus redeat ad priſtinos vanitatis ritus, & ad iniquos actus. Quippe profitetur non haberi in tota Boemia tunc temporis Clericum Epiſcopatu dignum.* Hæc verba poſteriora Coſmæ admiratur Clar. Aſſemanus, qui nullum in tota Bohemia dignum Epiſcopatu inventum dicere potuerit, cum Brevnovienſe cœnobium claros quosque viros habuerit. Verum ſi Coſmæ cognitus fuiſſet alter Biographus S. Adalberti, reperiſſet profecto hoc ipſo anno plures procos & amatores habuiſſe cathedram Pragenſem, ut eam plane *a multis amatoribus ſtupratam* fuiſſe criminatus ſit, quemadmodum jam anno ſuperiore ejus verba dedimus. *Coſmas ad h. a*

Aſſeman. in Calend. T. IV. p. 192

(*d*) Quemadmodum ſuperiora relatis Synchronorum minus reſpondent, ita minus verum credibileque eſt Boleslaum, Clerum, & populum juri ſuo eligendi Epiſcopi ceſſiſſe, idque in Ottonem Imperatorem transmiſiſſe, qui paſſim dein ejusmodi ſpontaneis ceſſionibus abuti, illisque præſcribere ſoliti. Profecto Thiddagum non ab Ottone delectum, ſed Boleslao præſentatum fuiſſe, ut annulo & baculo pro more illorum temporum inveſtiretur, ex Ditmaro edocemur. Nam cum is Novæ Corbejæ monachus eſſet, arteque medendi excelleret, jam circa annum 994 ex hoc monaſterio a Boleslao paralyſi perculſo evocatus eſt. Verba autem Ditmari ſunt: *Cum Wogtegus* (Adalbertus) *ex hujus mundi ca-*

Ditmarus l. 7 p. 414.

caligine ſubtraheretur (Thieddegus) *auxilio præfati Ducis* (Boleslai) *ſedem ſuam a tertio Ottone ad regendum ſuſcepit.* An Capellanus Imperatoris, ut vult Coſmas & Hagecius, aut plane Cancellarius, ut vult Anonymus Menkenianus, fuerit, nihil in veterioribus proditum invenio. Chronicon Quedlinburgenſe dicit eum tum fuiſſe Abbatem Nianburgenſem, cum Pragam aſſumtus fuit.

Apud Menken. T. III.

(*e*) Hanc conſecrationem Thieddagi ad annum ſequentem ſpectare, ibi oſtendemus.

(*f*) Ditmarus vocat Thieddegum, Coſmas Thegdagum, Annaliſta Saxo Thiedtagum, Pulkava Deodatum & Teghardum, Anonymus Menkenianus Teydagum, Æneas Silvius Deodatum, MS. vetus Catalogi Epiſc. Pragenſium Tedagum, MS*a* exemplaria Dalimili Czehadkum, aliud Tedakum, aliud Tekladum. Nos merito Annalium Corbejenſium ſcriptionem ſequimur, Thiddagumque appellabimus. Non dubium enim, Annalium iſtorum ſcriptorem, qui *Thiddagum commonachum ſuum* vocat, veram appellationem nominis ſciviſſe.

PRÆTERMISSA.

I. Poſteaquam S. Adalbertus, uti anno ſuperiore legimus, a Bohemis repulſam paſſus eſt, eique per legatos renunciatum, quod eum in Epiſcopatum recipere amplius nollent, omnem aciem mentis intendit ad converſionem gentium. Huic ſuo deſiderio unicus deeſſe videbatur viæ comes & ſocius laborum Papas Radla ſeu Anaſtaſius Abbas Brevnovienſis in Hungaria relictus, cui nempe a juventute ſua multum aſſueverat, quemque conſiliorum ſuorum ducem, patremque ſpiritualem perpetuo veneratus. Dedit igitur literas ex Polonia ad Geizæ uxorem, dedit alias ad ipſum Anaſtaſium, quibus illum ad ſe evocare conatus. Sed quandoquidem S. Bruno Bonifacius id totum ſe ex relatis Anaſtaſii comperiſſe ſcribit, ejus verba jam audiamus: *Miſerat* (S. Adalbertus) *bis diebus ad Ungarorum Seniorem magnum* (Geizam) *imo ad uxorem ſuam, quæ totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri, ipſa regebat, qua duce erat Chriſtianitas cæpta: ſed intermiſcebatur cum paganiſmo polluta religio, & cæpit deterior eſſe barbariſmo lanquidus ac tepidus Chriſtianiſmus, ad quam tunc pervenientes illinc*

Apud Matil. ſec. V. Bened. p. 869.

illinc nuncios in hæc verba epistolam misit "*Papatem meum* (scil. Anastasium) *si necessitas & usus postulat, tene. Si non, propter Deum ad me mitte eum.*" E quibus liquet, quanta consuetudine & familiaritate Geizæ ejusque uxori devinctus fuerit S. Adalbertus. Persequitur vero Biographus: *Ipsi vero* (Anastasio) *clam chartam alia mente, alia sententia misit:* "*Si potes, inquit, cum bona licentia, bene; si non, vel fuga fugiens tenta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit, Adalbertum tuum.*" *Ipse autem* (Anastasius) *venire non potuit, vel ut homo noluit. Ut enim hodie ipsum audis dicentem, quem nunc sicut sitiens anima frigidam aquam totis visceribus flagrat, & amat, ardua scandentem semper tunc fugiebat. Ipse tamen jam erat monachus, & (ut dicunt, qui tunc temporis norant) pulcher & bonus. Ex hujus ore fateor me audisse unam rem, quam satis amo: Ipsum Sanctum* (Adalbertum) *asserit loquentem: Nunquam aliquid feci propter vanam gloriam. Nam ut non pulset* (id est titillet vana gloria) *hoc est extra hominem. Utrumque tantum a me miserrimo omnium retro posuit pedem, a me minimo gentium longe fugit in æternum exsilium. Memoriam* (claudit S. Bruno Bonifacius) *vero Viri* (Radlæ seu Anastasii) *sæpe pono, cujus relatione hæc scribo, quem servum Martyris agnosci volo.*" Cum itaque Sanctus Adalbertus spe potiundi Papatis sui Anastasii frustratus fuisset:

II. de itinere ad gentes meditari cœpit, solumque Gaudentium germanum fratrem, & Benedictum laborum socium viæque comitem delegit. Hieronymus quidem Pragensis alium quoque nomine *Crescentium*, & Dlugossus *Matthæum*, *Joannem*, *Isaac*, *Christinum*; & *Barnabam* simul assumptos memorant, sed potior fides tribuenda utrique Synchrono Biographo, qui solius Gaudentii, atque Benedicti meminerunt; quod jam rursum ex priore Biographo audire libet: *Inde adversus diram barbariem, profanosque idololatras gladium prædicationis acuens & aptans, cum quibus primum, cum quibus post dimicare oporteret, animo deliberare cœpit. Utrum Liuticenses, quos Christianorum præda, miserorumque hominum damna pascunt, an Pruzzorum fines adiret. . . . Tandem alternanti potior sententia successit animo, ut quia hæc regio proxima, & nota fuerat Duci prædicto* (Boleslao Polono) *Pruziæ deos & idola iret debellaturus. Dux vero cognita voluntate ejus dat ei navem, & ipsam pro pace itineris ter deno milite armat.* E quibus liquet, quam fabulosa illa sint, quod naulo solvendo impar, isthic a nautis vapulaverit. Persequitur author: *Ipse vero primo adiit urbem Gidanic* (Gedanum

Hier. Prag. in vita S. Romualdi.

Mabill. cit. l. p. 862.

num seu Dantiscum Prussiæ emporium ad ostia Vistulæ) *quam Ducis latissima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi divina misericordia adventum ejus prosperante baptizabantur hominum multæ catervæ: ibi Missarum solemnia celebrans Patri immolat Christum, cui non post multos illos dies seipsum pro hostia fuerat oblaturus. Quidquid vero sero superfuit de eo, quod ipse, & novi baptizati communicaverunt, colligere jubet, & mundissimo panno involutum sibi servavit pro viatico deportandum.* Multa multi posteriores de Gedano rebusque isthic a S. Adalberto gestis referunt, sed quandoquidem ea ne quidem ab historico quoquam sæculi XIV aut sequentis commemorata invenimus, merito transmittimus. Ceterum cum S. Adalbertus huc navale per Vistulam iter confecerit, ante medium Martii (quo passim Vistulæ durata & alte creta glacies molliri, & liquefacta diffluere solet) vix quidem Boleslaum Polonum deseruit, unde etiam Biographus commorationem illius Gedani non multos dies martyrium illius præcessisse scribit. Gedano vero eadem navi ad barbaros vectum fuisse his docet idem Biographus: *Postera autem die*, inquit, *salutatis omnibus imponitur carinæ & pelago, & tollitur ab eorum oculis nunquam postea videndus. Hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens post paucos dies marinum litus ingreditur*, (scil. litus Sambiæ provinciæ vulgo **Samland** inter lacus Habum seu Frischefraf & Curisch, inquiunt Clar. Bollandiani) *& reversa est navis cum armato custode. Ipse autem pro præstitis beneficiis gratiam vectoribus & vectorum Domino agens, remansit ibi cum geminis fratribus, quorum alter presbyter Benedictus, alter dilectus & a puero sibi comes frater Gaudentius erat. Tunc magna fiducia Christum prædicantes intrant parvam insulam* (prope oppidum Fischhausen haud procul Regio Monte) *quæ curvo amne circumvecta formam circuli adeuntibus monstrat*. (alter Biographus adjicit: hic eos diebus aliquot commoratos) *Venientes vero* (persequitur prior) *loci possessores cum pugnis expulerunt eos, & quidam arrepto naviculæ remo adstitit Episcopo propius, & ut forte psalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter scapulas dedit* (cum dicto adjicit alter Biographus: *si non abitis, citius capite plectemini vexati duris pœnis & mortibus ingratis*). *Tum excussus manibus volat in diversa codex, & ipse extenso capite & membris jacet humo prostratus. Sed exterius afflicto corpore, quid pia mens intus ageret, risus cordis per vocis organum mox patefecit: Gratias tibi, inquit, Domine, quia etsi amplius non erit, saltem vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere merui. Transiens vero in*

aliam

ultram partem fluminis, stetit ibi Sabbato (scilicet martyrium suum præcedente). *Vespere autem facto Dominus villæ divinum heros* (heroem) *Adalbertum transduxit in villam. Congregat se undique inera vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda voce & canino rictu exspectant. Tunc S. Adalbertus, quis & unde esset, vel ob quam causam illuc veniret, interrogatus, talia e contra miti voce respondit: Sum nativitate Sclavus* (alii Codices habent *Bohemus*) *nomine Adalbertus, professione monachus, ordine quondam Episcopus, officio nunc vester Apostolus. Causa nostri itineris est vestra salus, ut relinquentes simulacra muta & surda, agnoscatis Creatorem vestrum, qui solus, & extra quem alter Deus non est, & ut credentes in nomine ejus vitam habeatis. . . . . Illi autem jam dudum indignantes, & cum clamore blasphema verba adversus eum proclamantes, mortem sibi minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fustes capiti ejus apponunt, & infrendent dire dentibus in eum: Magnum sit tibi, inquiunt, quod hucusque impune venisti, & sicut celer veditus spem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis damna creabunt. Nobis & toti regno huic, cujus nos fauces sumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi. Vos vero qui estis alterius & ignotæ legis, nisi hac nocte discedatis, in crastinum decapitabimini. Ipsa nocte naviculæ imponebuntur, & retroducti manserunt quinque dies in vico quodam.* Alter vitæ author subjicit, demum consilium fuisse S. Adalberto: ut mutarent habitum, barbam crescere admitterent, quo non agniti melius laterent, salutemque populorum operarentur. *Ergo*, inquit, *ad ferocium Lutizorum idola surda prædicationis equos flectere placuit, quorum linguam cognovit, & quos necdum visus mutata veste & habitu fallere potuit. Hoc tamen ingenio, hoc bono dolo cogitavit, aut Imperatoris filio reperire novum populum, aut longis desideriis ponere finem.* Sed jam martyrium ejus absolvamus.

III. Narratis tribus visionibus, quarum altera Romæ Joanni Canapario, altera Nilo Abbati, tertia Gaudentio fratri præsenti de martyrio S. Adalberti eodem plane tempore facta est, persequitur prior Biographus: *Jam exsurgente purpureo die cœptum iter agunt* (scil. feria sexta) *& Davidico carmine viam sibi abbreviant, & dulcis vitæ gaudium continuo appellant Christum. Inde nemora & feralia lustra linquentes, sole adscendente ad meridiem, campestria loca adierunt. Ibi fratre Gaudentio Missam celebrante Sanctus ille Monachus communicavit.* (Jam supra in Hagecium commentantes retulimus Glabri Rodulfi testimonium, qui sit: *Glaber Rodul. l. 1, c. 4.*

ait: eo loco, quo missa celebrata fuit, stetisse profanam arborem, cui quod vulgus immolaverit, excidi jussam fuisse a S. Adalberto) *Post sacram communionem pro alleviando labore itineris pauxillum obsonii accepit, & dicto versu & sequenti psalmo surgit de gramineo cæspite, & quantum jactus est lapidis vel missus sagittæ progressus loco resedit. Hic tum cœpit eum somnus, & quia diutini labore itineris fessus erat, plena cornu perfudit eum soporifera quies. Ad ultimum pausantibus cunctis affuit paganicus furor, & irruerunt super eos impetu magno, & injecerunt omnes in vincula. Sanctus vero Adalbertus stans contra Gaudentium & alium fratrem ligatum, „ Fratres, inquit, nolite contristari. Scitis, quia hæc patimur pro nomine Domini. . . . Quid enim „ fortius? quid eo pulcrius? quam dulce est pro dulcissimo Jesu fundere „ vitam. „ Prosilit ex furibundo agmine igneus Siggo* (alter Biographus hunc præ cæteris furore incensum ait, quod frater ejus nuper a Polonis, a quibus S. Adalbertus venerat, occisus fuerit) *& totis viribus ingens jaculum movens, transfixit ejus penetralia cordis. Ipse enim sacerdos idolorum, & dux conjuratæ cohortis velut ex debita prima vulnera facit. Deinde concurrunt omnes, & vulnera miscentes, iram exsaturant. Profluit purpureus sanguis per foramina utriusque lateris. Ille oculis ac manibus stat orans in cœlum. Exiit rubeus amnis divite vena, & extractæ hastæ septem ingentia vulnera pandunt. Ille vinculis solutis extendit manus in modum crucis, & suppliciter fusis precibus pro sua & persecutorum salute ad Dominum clamat. Sic illa sancta anima carcere suo evolat, sic nobile corpus protenta cruce terram occupat, sic quoque multo sanguine vitam fundens beatis sedibus & semper carissimo tandem perfruitur Christo. . . . Accurrunt undique armis dira barbaries, & nondum expleto furore auferunt corpori nobile caput, & separant exsanguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo affixerunt, & læto clamore sua scelera laudantes reversi sunt unusquisque ad proprias sedes.* Alter Biographus addit: Gaudentium & Benedictum immisericorditer vinctos a Barbaris abductos, tam corpus vero quam caput Sancti sub fida custodia servatum fuisse, quod sperarent illud grandi pecunia a Boleslao Polono redimendum, uti postea factum. Aliud exemplar hujus vitæ & Codex Ultrajectinus, quos interpolatos esse nemo dubitat, circumstantias quasque notabiliores adjungunt: *Ut ostenderet*, memorant, *Deus, cujus meriti esset tantus martyr, per* 30 *dies jussu Domini ab aquila corpus ejus custoditur, ubi nulla fera, nulla avis accedere potuit. Eam divino judicio aquilam cu-*

sto-

ſtodem diſcipuli aſpexerunt. Poſt vero infidelis turba necdum humano ſanguine ſatiata tollentes corpus ejus miſerrime dilaceratum in mare dimiſerunt. Inde vero indicio fulgidæ columnæ ſuper corpus ejus in cælum uſque porrectæ manifeſtatum eſt corpus ejus diſcipulis, & venientes cum multis Chriſtianis abſtulerunt corpus ejus & conjungentes caput corpori honorifice ſepelierunt, & dignam eccleſiam nomine ejus conſtruxerunt, ubi merita & virtutes ejus exuberant uſque ad hodiernum diem. Anonymus, quem Tomo II. MSS. noſtrorum publicavimus, etiam aliud mirabile refert: Vulturem, ſcilicet e ſacro ejus corpore digitum rapuiſſe, quem in fluvium demiſſum lucius deglutivit, lucium hunc ſe ſe ſuo ſplendore ubivis prodidiſſe, ac proinde captum a piſcatore, qui cum exemtum digitum ſacro corpori aptavit, coaluiſſe. Aliud denique etiam inſolentius narrat Hieronymus Pragenſis Ordinis Carmelitarum ſæculi XV ſcriptor in vita S. Romualdi, quem poſteriores quique ſecuti: videlicet: S. Adalberti corpus poſt martyrium ſe ſe in pedes erexiſſe, & accepto proprio capite in manus per 15 milliaria eadem qua venerat via in Poloniam rediiſſe, ac denique Gneſnæ honorificam ſepulturam inveniſſe. Quæ omnia quo magis a relatis. & ætate ſynchronorum duorum Biographorum recedunt, eo minori fide hodie a rei criticæ peritis excipiuntur. Profecto indubium eſt, quod a coævis quoque adnotatum eſt: S. Adalberti corpus poſtea pretio redemtum fuiſſe a Boleslao, certum etiam eſt eam eccleſiam, quam S. Adalberti nomine conſtructam virtutibusque ejus ſeu miraculis coruſcam memorat ſuperior author, multo poſterius a S. Ottone Epiſcopo Babenbergenſi, ſeu certe Adalberto primo Pomeraniæ Epiſcopo fuiſſe conditam, ut ex ſcriptoribus Babenbergenſibus legere eſt. Denique quod ad eam capitis geſtationem attinet, advertere Doctiſſimi Bollandiani: ejusmodi rudis plebis opiniones paſſim enatas ex veteribus picturis martyrum, qui trunco corpore manibus caput ferentes paſſim repræſentari ſoliti. Quod ad diem martyrii ſpectat, his verbis eam exprimit prior Biographus: *Paſſus eſt autem ſanctus & glorioſiſſimus martyr Chriſti Adalbertus nono Calendas Maji, imperante rerum Domino Ottone tertio, pio & clariſſimo Cæſare, feria ſexta, ſcilicet, ut qua die Dominus JEſus Chriſtus pro homine, eadem die homo ille pro Deo ſuo pateretur.* Qua ipſa feria ſexta feſtivitatem S. Georgii Martyris incidiſſe memorat alter vitæ auctor. Sed hæc jam in Hagecium commentantes expedivimus.

Acta SS. ad 23 April.

IV.

IV. Ex Cosma quidem nostro cognoscimus, quod posteaquam gens Bohemorum S. Adalbertum ad suum Episcopatum redire volentem tumido fastu repudiasset, illico Christannus Strachyquas Episcopatum Pragensem ambire cœperit, quod quidem ante martyrium accidisse lubentes admittimus, præsertim cum supra relatus Biographus claris verbis dicat, Pragensem cathedram plures procos & amasios habuisse, quos inter præcipuum fuisse Strachyquatem dubitare haud licet. Nec multum etiam repugnare velim, Strachiquatis electionem (populi suffragio, ut vult Cosmas, factam) jam hoc anno ante 23 Aprilis ac proinde ante martyrium S. Adalberti accidisse, posteaquam scilicet Boleslaus, & Bohemi comperissent, S. Adalbertum re ipsa jam ad conversionem gentium ethnicarum transiisse. At ut Strachyquas ante martyrium S. Adalberti jam annulo & pedo ab Ottone III. investitus fuerit, utque ipsum Moguntinus Archipræsul ad ritum consecrationis admiserit, nullus mihi persuadeo, multaque momenta contrarium monent. Cosmas quidem tam ambitum Strahyquatis, quam ejus electionem & consecrationem uno spiritu ante martyrium S. Adalberti enarrat, sed istud haud Cosmæ infrequens, ut diversis annis temporibusque gestarum rerum narrationem uno filo absolvat, principiisque exitus apponat, uti jam alias vidimus, & porro crebrius visuri sumus. Non multo prius, antequam S. Adalbertus transiviſſet in Prussiam, missos ab eo ex Polonia fuisse nuncios in Bohemiam, quæsitum num se in Episcopatum suscipere vellent, antea ex Biographo legimus, quo tempore Strachyquas Episcopus adhuc electus non fuit, nam vacantem adhuc tum fuisse sedem haud obscure innuit idem Biographus, dum ait eam plures procos & amatores numerare. Et profecto si S. Adalbertus comperisset (quod quidem eum aut certe Boleslaum Polonum, apud quem morabatur, latere haud potuit) a Bohemis jam alium Episcopum electum fuisse, nunquam legatos ad Bohemiam missurus fuisset quæsitum, num se vellent recipere, nec vero legati reduces celassent præcipuam causam, cur Bohemi eum amplius suscipere haud possent, cum alius Episcopus ecclesiæ Pragensi præfectus jam sit. Si itaque Strachyquas ante martyrium S. Adalberti electus fuit, non prius id factum, quam post legatorum illorum reditum, & verosimillime posteaquam Bohemis ejus transitus ad ethnicas gentes innotuisset. At ut annulo & baculo investitum ab Ottone III. denique ad consecrationem admissum dicamus a Moguntino ante Martyrium S. Adalberti, id quidem summe incredibile mihi videtur. Quis enim sibi persuadeat ab Ottone III. familiarissimo S. Adal-

ber-

berti (eo adhuc vivente) inveſtiendum fuiſſe Strachyquatem, præſertim cum eidem non incognitum fuerit, ab eodem non tam cathedram Pragenſem deſertam, quam Bohemos ipſos redire volentem nolle acceptare, indignum etiam facinus cædesque innocua fratrum eum non latuerit? Quis ſibi etiam perſuadeat Moguntinum Archipræſulem tam facile receſſurum fuiſſe a ſua ſententia, ut poſteaquam perpetuo S. Adalbertum etiam minacibus verbis (ut ſupra vidimus) ad reditum exhortatus eſt, tam facile impetui Bohemorum ceſſerit, & illo adhuc vivente alium Epiſcopum ordinaverit? Sane præter hæc plura ſuperſunt vetuſtiſſima indicia attentatam conſecrationem Strachyquatis nonniſi anno præſente poſt martyrium S. Adalberti accidiſſe. Catalogus vetus MS. Epiſcoporum Pragenſium in toties memorato Codice Stehlikiano, qui nunc in manibus meis eſt, Strachyquatem Pſeudo-Præſulem, ut eum vocat Coſmas, nonniſi martyrio S. Adalberti ſubjungit, ſic enim ille: *Strachquas, quod interpretatur horribile convivium, monachus erat, ſed non ponitur in numero Epiſcoporum, non enim intravit per oſtium, ſed aliunde.* Quod alterum eſt: conſtat anno primum ſequente in Julio Thiddagum Epiſcopum Pragenſem conſecratum fuiſſe, adeo ut ſi conſecratio Strachyquatis martyrium S. Adalberti præceſſiſſet, ſequeretur epiſcopatum Pragenſem ultra annum, imo 15 menſes vacaſſe, quod credibile vix eſt, ſi enim prius in electione Strachyquatis nulla difficultas mota ab Ottone III, & Moguntino, cur tamdiu Thiddagi ſuſpenſa fuiſſet? Veroſimillimum igitur eſt Strachyquatem non prius atque præſente anno poſt martyrium S. Adalberti ad unctionem epiſcopalem admiſſum fuiſſe, ſub qua paralyſi perculſus exſpiravit. Quæ omnia cum copioſe jam ad annum 989, quo hæc rejecit Hagecius, expediverimus, hic repetere ſuperyacaneum cenſemus.

Porro ad hiſtoriæ patriæ nexum majoremque temporum iſtorum elucidationem præter Imperatoris bellum adverſus Stodoranos & Luiticos, hoc unum ad præſentem annum ſpectare adhuc videtur, quod Geiza Dux Hungarorum pater S. Stephani, quem initio anni adhuc ſuperſtitem fuiſſe ſupra ex Biographo legimus, fatis ceſſerit, quod Chartuitius his verbis inſinuat: *Interea* (Stephanus) *crevit, accurate educatus:* (Clariſ. Vir Joannes Severini eum a Papate noſtro ſeu Anaſtaſio educatum inſtitutumque vult) *cumque jam exceſſiſſet pueritiæ metas, pater ejus congregavit Hungariæ proceres, & reliquos ordines, communicatoque cum eis conſilio illum poſt ſe regnaturum conſtituit; atque ut* apud Schwandt. ner T. I. p. 415 In conſpectu Hiſt. Hung. l. 3. p. 90

ea

ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. Deinde jam grandævus anno a Christo nato noningentesimo nonagesimo septimo vitæ hujus ærumnas cum cœlestibus gaudiis commutavit. Clarissimus Vir Mabillonius in vita SS. Zoerardi & Benedicti illius mortem sub finem anni præsentis accidisse opinatur. Nos in Necrologio Bohemico, quod habetur in margine Martyrologii MS*ti* Bibliothecæ Aug. Vindobonensis inter Codices lat. Histor. Eccleſiast. p. 14. hæc notata reperimus: *VII. Kl. Maji ⊙ Deuca Rex Ung.* quem Deucam Hungarorum Regem frustra in diversis scriptoribus Annalibusque Hungariæ quæsivimus, ut in suspicionem aliquam delapsi simus, num non idem Geiza sit? nam eundem Geizam non multum absimili nomine Ditmarus *Dejux* appellat, ut multo ante ostendimus. Quodsi igitur Deuca idem cum Dejux est, duobus diebus serius a martyrio S. Adalberti mortuus est.

Apud Mabill. sæc. VI. Bened.

ANNUS 998.

Fuere prima Thiddagi Episcopi initia quam auspicatissima, locupletata multis ad Christum accessionibus, cum Præsul salutis verbo, consummatæque virtutis exemplo, populus exacta æmulatione certaret. Utrumque promovit plurimum Boleslai pietas, qui suorum crebro auribus venerationem erga antistitem ingeminabat, dyscolos minis percellebat, ut ne inobedientia sua rursum Dei ultionem, quemadmodum sub præcessore Adalberto factum, in se exacuerent. (*a*)

Lus Thiddagi Episcopi.

Exuberabant hoc anno cumprimis auriariæ Gilovienses, unaque duntaxat fodinarum, Tobola dicta, centum millia talenta auri fundebat, (*b*) quæ potissimum liberalitas Principis in egenos erogabat. Altera parte annus hic Slavo-

Gilovium auri ferax.

scho-

ſchovium ſeu Veronam accolentibus admodum terrificus fuit. Terræ enim quaſſatio ipſos octo dies totidemque noctes continenter tenuit adeo violente, ut alibi homines inſiſtere pedibus haud poſſent, alibi hominibus oppreſſis ædificia ruerent. Pro rerum adverſo ſtatu indictæ a pio Epiſcopo ſupplicationes publicæ, aliaque pietatis opera, quæ juſtam Dei iram paulo poſt mitigarunt. (c)

Terræ motus ad Beraunam.

ANNUS JESU CHRISTI 998.

GREGORII V. PAPÆ AN. 3. OTTONIS. III. REG. 16. IMP. 3.

BOLESLAI II. AN. 32. THIDDAGI EP. PRAG. 1.

(a) Hunc verum primumque annum epiſcopatus Thiddago fuiſſe, mox infra oſtendemus. Mirumque, Hagecium denuo receſſiſſe a Chronologia Coſmæ, qui recte præſenti anno ejus conſecrationem illigaverit.

(b) De Gilovio ejusque aurariis jam egimus crebro & hac & prioribus Annalium Partibus, quas notitias unde hauſerit Hagecius, nuſpiam prodidit. Nos Coſmæ omniumque veterum noſtrorum Chronica in hoc argumento tam ſterilia reperimus, ut ante ſæculum XIII vix quidem auriſodinarum mentionem fieri compertum ſit. Ceterum *Tobolka* noſtris crumenam burſamve ſignificat. Balbinus fodinarum aliam iſthic Moſniczkam, capſulam, aliam Halerzek, obolum, aliam Sslogirz, aliam Jarowecz nuncupatam fuiſſe vult.

Balb. Dec. I. l. 1. p. 42

(c) Neque iſtud a quoquam vetuſtiore proditum invenio. In Saxonia vero præſente anno ejusmodi terræ motum accidiſſe his verbis refert Coſmas noſter & Annaliſta Saxo: *Menſe Julio terræ motus horribilis eſt factus per Saxoniam, duoque lapides igniti ex tonitruo ce-*

Coſmas e Codice Dresdenſi. Apud Menken. T. III. ad h. a. Annaliſta Saxo ad h. a.

ciderunt (hæc erat hujus ſæculi perſuaſio) *unus in ipſa civitate Magdeburgenſi, alter ultra Albiam fluvium.*

PRÆTERMISSA.

I. Thiddagum poſt repentinam Chriſtanni mortem jam anno ſuperiore exeunte veroſimillime Epiſcopum Pragenſem electum fuiſſe, nec Coſmæ nec Analiſtæ Saxoni repugnare velim, at ſimul cum utroque indubie ſtatuendum cenſeo, eum primum hoc anno conſecratum fuiſſe, non ſuperiore, ut vult Hagecius. Annum hunc indubium reddunt Annales Corbejenſes his verbis: *Anno DCCCCXCVIII. Thiddagus cœnobachus noſter ob felicem praxim medicam in Bolislao Bohemiæ Duce oſtenſam fit Epiſcopus in Praga.* Iidem Annales recte innuunt, id factum fuiſſe ſub Thiatmaro Abbate Corbejenſi, uti prodidit Ditmarus, nam ejusdem Thiatmari obitum primum ad annum 1001, cum Luitolphus Abbas præceſſor ejus (ſub quo id factum perperam contendit Balbinus) anno 990 præmortuus, jam tum clareret miraculis. Eundem annum conſecrationis rite adnotavit etiam Coſmas noſter cum Annaliſta Saxone, quorum verba ſunt: *Anno Dom. Inc. DCCCCXCVIII Nonis Julii conſecratus eſt Thegdagus, honeſte a Clero & populo Pragenſis eccleſiæ recipitur, atque cum magno gaudio ad cornu altaris Sancti Viti intbronizatur. Dux valde congratulatur, quia paſtor bonus ſuo gregi arridet, & grex lætus novo paſtori alludit.* Dies Nonarum Julii veroſimillime ad inthronizationem Thiddagi Pragæ factam, non conſecrationem (quas duas diverſorum temporum celebritates in unam eandemque diem conjecit Coſmas) referendus eſt. Cum enim hoc tempore jam more receptum fuerit, ut Epiſcoporum conſecrationes diebus Dominicis peragerentur, præſente autem anno, quo litera Dominicalis B. erat, nonæ Julii in diem Jovis inciderint, merito exiſtimandum, Thiddagum prius Moguntiæ (quo eum ab Ottone miſſum fuiſſe aſſeverat Coſmas) conſecratum, ac demum Nonis Julii Pragæ inthronizatum fuiſſe. Lupacius quidem (neſcio vero quo fonte) recte diem conſecrationis a die inthronizationis diſpeſcuit. Nam integro menſe prius ad diem Non. Junii (quæ omnino præſente anno in Dominicam incidit) Thiddagum conſecratum perhibet adjecta etiam notula: Authores quosque in die conſecrationis variare; ad ſeptimam vero Julii ſeu Nonas Julii inthronizationem reponit his verbis: *Hoc die a Clero & populo Pragenſis eccleſiæ recipitur, & cum magno gaudio ad cornu (chorum)*

Apud Leibnitium T. II. p. 302

Balb. in Epit. p. 151.

Coſmas & Annal. Saxo ad h. a.

Lupacius in Ephemeryd. ad 5 Junii.

Idem ad 7 Julii.

S.

S. Viti inthronizatur. Weleslavinus, qui itidem diversos dies consecrationis ac inthronizationis in authoribus reperisse videtur, perperam Nonas Junii ad electionem illius traxit, quod sustineri minime potest. Constat enim ex Chronologia Pagii critice exacta, Ottonem III. jam anno superiore ad compescendam Crescentii & Joannis Antipapæ tyrannidem in Italiam profectum fuisse, ibidemque in annum tertium perstitisse; qui igitur fieri potuisset, ut intra unius mensis spatium tantum iter Thiddagi in Italiam, Imperatoris exquisitio, regalium perceptio, rursum reditus Moguntiam & consecratio, denique Pragæ inthronizatio absolvi potuisset. Qua temporis elucidatione simul evanescit illa hæsitatio: qui acciderit, quod Thiddagus jam anno lapso electus primum ineunte Julio hoc anno inthronizatus, aut 5 Junii consecratus fuerit. Cum enim legatis Bohemiæ cum Thiddago in Italiam ad Imperatorem proficisci necessum fuerit, facile tot menses, occupato præsertim aliis negotiis Ottone, nec uni loco inhærente, absumi potuerunt. Constat ex Biographo S. Nili Hegumeni, aliisque, Ottonem hoc anno jam in quadragesima, quæ secunda Martii cœpit, Romæ fuisse, ubi verosimillime Thiddagus regalia accepit. Qui si temporibus istis Romæ fuit, procul dubio interfuit isthic Concilio, quod præsentibus Ottone III, Ultramontanis, Langobardorumque Ducibus & Episcopis celebratum est, & in quo inter cetera etiam actum de resuscitatione episcopatus Merseburgensis, cujus concilii quædam capitula recitantur a Baluzio, Luca d' Achery & in Conciliis Germaniæ.

Weleslavinus in Calend. ad Nonas Junii

Baluzius l. 7. p. 62. Lucas d' Achery in spic. T. I. p. 603. Concil. Germ. T. II. p. 677.

II. De Boleslai nostri gestis hoc anno altum silentium. Clarissimus quidem Vir Georgius Pray existimat verba illa Ditmari l. 8. p. 420. : *Habuit hic* (Boleslaus) *quandam urbem in confinio suimet & Ungariorum sitam, cujus erat custos Procui senior avunculus Regis Panonici a suis sedibus ab eodem antea expulsus, qui cum uxorem suam a captivitate non posset absolvere, gratuitu nepotis sui, quamvis inimici, suscepit eam ex munere* ad Boleslaum nostrum spectare, suspicaturque *Stephano aliquid armorum cum Boleslao Bohemo collimitii causa intercessisse.* Sed non advertit Vir doctissimus, Ditmaro hoc loco minime de Boleslao nostro, sed Polono sermonem esse, de cujus pacis conditionibus Budissinæ anno 1018 cum Imperatore initis, nuptiis cum Oda Marchionis Misnensis filia Zizæ celebratis, legibus, cerimoniisque Polonorum librum suum octavum exorsus erat. Ita si quid armorum collimitii causa Stephano interceſſit, id ad Boleslaum Polonum spectaverit, in cujus limitibus

Georg. Pray in Annal. Hung. P. I. p. 3.

hic Procui Stephani Regis avunculus urbem quandam tenuit. Quod quidem multo ſerius præſente anno contigiſſe ex relatis Ditmari liquet, præſertim cum Stephanum jam *Panonium Regem* vocet, quo Regis titulo necdum illum inſignitum fuiſſe indubium eſt, ut taceam Boleslaum noſtrum præmortuum, antequam coronaretur, Rexque proclamaretur. Quod ad alterum anni hujus bellum attinet, quod eundem Stephanum *cum Teutonicis* geſſiſſe idem Doctiſſimus Vir ex literis fundationis Archiabbatiæ S. Martini in monte Pannoniæ arguit, nolim exiſtimare per *Teutonicos* illos, quemadmodum etiam ſentit Thuroczius, intelligi Comites Homburgenſes, quibus jam Geiza incolatum in Hungaria terrasque circa Jaurinum conceſſerat, ſed Teutonicos orientales, ſcilicet Marchiones orientales Henricum, atque Erneſtum, qui his ipſis annis, ſicut paulo ante pater eorum Luitpoldus marchiam orientalem tam adverſus Bohemos & Moravos, quam adverſus Hungaros extendere, & ereptas, præſertim ab Hungaris, terras vindicare conniſi. Horum potentia paucos intra annos tantum excrevit, ut etiam Erneſtus Henrico Sancto mox ſub initium imperii negotium faceſſiverit. Ceterum ſi annus præſens ſincerus eſt victoriæ illius in monte Pannoniæ a Stephano Rege obtentæ, eodem adhuc aut ſequente accidit, quod Anaſtaſius cum ſuis Monachis in hunc montem translatus veri monaſterii normam cum eminentia Abbatiali auſpicatus ſit, de quo jam ſupra plura præoccupavimus.

III. Annus, quo S. Adalberti corpus ex Pruſſia ad Poloniam Gneſnamque translatum fuit, a nemine coævo paulove poſteriore proditus eſt. Poſteriores multum variant, alii enim translationem iſtam ipſi Martyrii anno illigant, alii in præſentem, alii denique in ſequentem aut plane milleſimum cum Dlugoſſo rejiciunt. Ex hiſtoria duorum conſequentium annorum teſtatum ſit, id ſi non ſuperiore, ſane anno præſente indubie accidiſſe. Nam teſte Ditmaro jam anno ſequente tot tantaque Gneſnæ apud S. Adalberti corpus patrata ſunt miracula, ut illorum fama uſque Romam pervagante, Otto Imperator excitus, reditum in Germaniam acceleraverit, atque Sancti hujus exuvias venerari conſtituerit. Si verba Ditmari in rigore accipiantur, conſentaneum eſſet: S. Adalberti corpus jam priore anno, atque illico poſt martyrium, redemtum, & proinde etiam reductum fuiſſe, nam commemorato martyrio ſubjungit: *Quod Boleslaus Miſeconis filius comperiens, data mox pe-*

Ditmar. l. 4. p. 357.

Idem ibid.

pecunia Martyris mercatur inclyta cum capite membra. Ita ut priore anno verosimillime adhuc in Trzemesno (primum quietis locum, postea Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobium) translatæ sacræ exuviæ, præsente vero anno abhinc levatæ maxima solemnitate Gnesnam inductæ fuerint. Diem Translationis in urbem Gnesnam certum habemus ad XIII Calendas seu 20 Novembris, quæ Polonis antiquo cultu ab hac ipsa translatione venerationi fuit. Ex mox allato vero Ditmari (qui tum vixit) loco manifestum fit, nulla veritate niti illam complurium Biographorum posteriorum narrationem, qui adstruunt: corpus Adalberti a cæde se erexisse, & arrepto inter brachia capite per 30 & ultra stadia in Poloniam sua sponte rediisse. Evanescit etiam illorum sententia, qui ex minus recte intellecto Helmoldi l. 1. c. 15. scripsere Boleslaum Polonum Pruthenis bellum intulisse, illudque armorum vi extorsisse. Redemptum enim fuisse, claris ille verbis perhibet. Quo pretio autem id præstitum fuerit, mira quoque inter posteriores variatio. Dlugossus memorat pactum interceſſisse Boleslao cum Pruthenis, ut tantum argenti detur, quantum corpus appenderit, appensum postea corpus tam leve repertum, *ut pene nullum habens pondus argenti exiguissimæ respondéret articulo libræ;* contra alii tam grave fuisse contendunt, ut exhausti Boleslai thesauri corpori levando nequaquam sufficerent, postea nummulos aliquos pauperis mulieris, alii annulum Ducis injectum malunt corporis totius pondus æquasse. De cujusmodi opinionibus hæc subjungunt Clarissimi Viri Bollandiani: *Antiqui memorant Gaudentium a reditu ex Prussia curasse, ut S. Adalberti corpus redimeretur, at qua ratione dicta redemptio facta fuerit, variant plerique. Aliqui asserunt annulum Ducis plus corpore ponderasse, alii parvam pecuniæ summam præponderasse, quæ singulorum glossemata sunt, & forsan a Poetis excogitata.* Similiter nihil certi ab antiquis proditum habemus, quando & quibus conditionibus Gaudentius & Benedictus comites S. Adalberti a Pruthenis ex vinculis dimissi fuerint. Dlugossus quidem, qui præter veterum fidem omnes quinque fratres, postea in Polonia a latronibus occisos, Passionis S. Adalberti socios fecit, dicit illos *injuriis & plagis variis affectos, denunciantes eis mortem, de regione sua ejiciunt & educunt.* Alii eodem cum sacro corpore pretio redemtos, alii Gaudentium cilicio cruento Sancti Fratris arrepto volunt cum Benedicto vincula rupisse, libereque rediisse, quibus non major fides atque prioribus tribuenda. Gaudentium anno

Acta SS. ad 23 Aprilis. In Præv. com. §. 2. N. 13.

Dlugossus hist. Pol. l. 2. p. 120

se-

sequente jam Gnesnæ fuisse, certiori testimonio ibidem ostendemus; Benedictum non illico se ad eremum prope Casimiriam contulisse, sed anno 1000 Ottoni III innotuisse, ab eoque S. Romualdo commendatum fuisse, ex S. Petro Damiani haud obscure conjicitur, ut suo loco dicemus.

ANNUS 999.

Dejectus morbo Boleslaus cum in horas arctius meare animam adverteret, scilicet moriendum sibi esse præsentiens, his Boleslaum filium adstante conjuge, Episcopo, nepotibus duobus Jaromiro & Udalrico, (a) denique Procerum suorum senatu supremum allocutus fertur: (b) Quanto minus æquum, ut mater lac uberaque anhelantem prolem depellat, tanto indignius est morituro patre, ut ne filium postremum salutaribus monitis præmuniat. Dei munificentiam liberalitatemque imitari, factisque exprimere, & decens & pulchrum est. Nunquam non illa largissima Dei benevolentia mortalium generi bene cupivit, & quibus gratiarum suarum ubertate in vita benedicere dignata, iisdem haud dissimilem mentem inspirare visa, ut se non solos beatos felicesque putarent, nisi eandem felicitatem communem optarent, atque in ceteros derivari gauderent; cujusmodi vota placuisse Numini, passimque impleta fuisse in divinis paginis legimus. Quid benedictionibus Noemi, Abrahæ, Isaaci, Jacobi, Mathatiæque efficacius? quibus tam prompta voluntate subscripsit divina benignitas, ut harum felicissimos eventus

Boleslaus moriturus filium salutaribus monitis præmunit

tus admirata ſit poſteritas, cognoſcatque etiam hodie, Davidem vix alia ratione, quam Samuelis votis & precationibus imperium ad ſumma evexiſſe. Scito jam primum, fili ſuaviſſime, totum me debere divinæ benevolentiæ miſericordiæque, quid quid in hanc uſque ſeram ætatem, ipſumque agonem a me proſpere per imperii mei dies actum eſt. Principatum hunc meum jam quoque tanquam divinum quoddam munus e manibus meis accipe, quem cum tibi relinquo, ſimul omnes divinæ benedictionis pacisque fructus in te non ſecus atque hæreditate tranſcriptos cupio. Supremum Numen ſimul ſupplex exoro, ut gratiæ ſuæ profundas radices in animo tuo jaciat, quæ fili niſi tibi una inſtar remi ſit, de ſalute navigii tui conclamatum eſt. Nunquam animo excidat Divinum illud effatum: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli, ſed eſto quaſi unus ex illis* Nunquam te pluris, quibus imperas, puta, memineris & nativitatis & mortalitatis omnium parem eſſe conditionem. Opera ea ſolum magni deputa, quæ cœlum, non quæ mundus magna & illuſtria æſtimat. Profunde animo tuo tanquam marmori hæc non tam monita patris, quam præcepta Dei inſculpe: nihil tam vigili oculo atque ſacratas Deo ædes tuere, quas frequens adire, & quod populo tuo exemplo ſit, iisdem cum pietate immorari ſemper tibi ſit volupe. Sacerdotium omne venerationi tibi eſto omnibus officiis percolendum, cujus ſupremum in Ducatu tuo Advocatum non ſolo nomine, ſed re ipſa adverſus omnes iniquos auſus conſtitutum noveris. Conſilio aliorum libens frequensque utere, nec unquam te ſatis tutum puta, ſi

tibi

tibi ſoli fideris. Habes in Principatu tuo complures viduas, habes pupillos, habes bene multam egentium turbam. Hi omnes filiorum filiarumque inſtar ſint, ſummum piaculum tuum eſto, ſi hos a potentioribus opprimi patiaris. Ceteris ſuum cuique jus ex æquo dices, juſtitiæ tamen rigorem quandoque miſeratione temperare non immemor eſto. Infirmiſſimum retinendæ dominationis vinculum metus eſt; cum tui, ac cumprimis ſervorum grex te amare cœperint, tum tibi tutum imperium pollicere. Sed in dominatu tria præſertim velis remisque fugias neceſſe eſt: Immodicam præter jus dilatandi regni cupiditatem, indignam Principe avaritiam, (c) crebram monetæ variationem. Jam Carolus Magnus geſtis & nomine clariſſimus Imperator filio Philippo (d) regnum traditurus hoc omnium poſtremum vigilantiæ illius commendavit; ut ne in regno ſuo ſubdola & prava taxatio ponderis aut monetæ fieret. Nulla enim peſtis, aut hoſtis deprædatio, ignisve tam exitioſa regnis ſunt, atque monetæ adulteratio, qua emunguntur, & ad egeſtatem proturbantur cives, proculcatur æquitas, omni pernicioſæ licentiæ feneſtra aperitur. (e) Enim vero ſi inter vates locus mihi concedendus eſt, longe proſpicio animo ſucceſſores quosque meos, quos iniquos exactores magis prædonesque populi, quam Principes appellare liceat. Hi projecta omni conſcientia, verecundiaque ac Dei timore poſtpoſito, bis terve in annos ſingulos monetam mutando in præcipitium agent populum, (ee) quo indigno auſu tam nobilem Dei gratia meaque virtute & regni hujus divitiis partum Principatum, quem ego ad urbem uſque

Cra-

Bolestaus. I.

Boleslaus. II.

UNIV. OF MICH.

Cracoviam montesque Tatros protuli, peſſumibunt. (f) Hæc ſi tu fili chariſſime conſtanter ob oculos poſita habueris, ac cumprimis timore Domini animum imbueris: certum puta, orbis fines dilatando tuo imperio anguſtos futuros. Plura dicturus erat, niſi loquentis verba exhalans anima intercepiſſet. *Moritur.* Mortuus itaque Boleslaus 7 Februarii (g) præſentis anni. *Ejus laus.* Vir, quaqua demum parte eum ſpectes, vere magnus, quem ante omnia pietas virtusque illuſtrem fecit. Re bellica uti ſumme clarus ac perpetuo felix, ita nunquam pacis aſpernator, uti in rebus juſtitiæ ſeverus, ita cum res ferebat, miſericors & lenis, quo nomine illum etiam poſteritas honoravit. *Laus conjugis Hemmæ.* Sociam thori morumque habuit Hemmam nobiliſſimo prognatam genere, (h) quæ ea inter ceteras præcipua virtute pollebat, ut in egenos eſſet profuſiſſima. Duorum illa filiorum Boleslaum patrem fecit: (i) Wenceslaum prima ætate immitis libitina abſtulit, (k) alter Boleslaus hoc anno, ut ſupra diximus, ſupremis tabulis ſucceſſor deſignatus. Boleslaus vero nactus eſt ſepulchrum in templo Sancti Viti. (l)

Eodem porro anno Gaudentius, uti S. Adalberto adhuc viventi viſum, Gneſnenſis Archiepiſcopatus infulis condecoratus eſt. (m) Boleslaus autem ordine tertius (n) annos natus quatuor ſupra viginti protinus a morte patris Principatum adiit. Eleganti is facie atque ſtatura erat, cui Czemuslava (o) duos filios Udalricum & Jaromirum jam tunc pepererat. (p) Udalricum idiomatis germani ergo Aula Impera-

toris enutrivit, (q) Jaromirus domi ad omnes liberales artes gnaviter expolitus eſt.

ANNUS JESU CHRISTI 999.

SILVESTRI II. PAPÆ AN. 1. OTTONIS III. REG. 17. IMP. 4.

BOLESLAI III. AN. 1. THIDDAGI EP. *PRAG.* 2.

(a) Jaromirum & Udalricum non nepotes, ſed filios fuiſſe Boleslai Pii mox infra oſtendemus. Errorem iſtum Hagecius ex Coſma hauſit.

(b) Sequentia Boleslai morientis monita Hagecius ex Coſma mutuavit, quem ſubinde interpolavit, amplificavitque.

Lupacius in Ephemeryd. ad 7 Febr.

(c) Lupacius ſcribit Boleslao proverbium fuiſſe, quod poſteritas in carmen tranſtulit:

Divitiæ plebis honor eſt & gloria regis:
Non ſibi, ſed domino gravis eſt, cui ſervit egeſtas.

(d) Ita quidem Hagecius, ſed erronee, rectius Coſmas *Pipinum* appellavit.

(e) Coſmæ verba ſunt: *Certe nulla clades, nulla peſtilentia nec mortalitas, nec non hoſtes totam terram rapinis & incendiis devaſtantes magis populo Dei nocerent, quam frequens mutatio, & fraudulenta pejoratio numi.*

(ee) Alluſit ſimilibus Coſmas ad ſua tempora, quibus hanc ipſam depravationem numorum queritur, & cujus teſtes ſunt ſuperſtites hodie Ducum ſui temporis denarii, qui paulo ſupra medietatem puri argenti admixtam habent. Probiſſimam contra Boleslaum Pium e puro argento cudiſſe monetam, teſtantur denarii illius, quorum typos 8 Lectoris oculis

lis iſtimus. Eorum imagines, inſcriptiones, pondus, pretiumque excutere transmiſimus operæ noſtri P. Adaucti, qui id peculiari libro complexus eſt, ad quem amicum Lectorem remittimus.

(*f*) Annis ſuperioribus Boleslaum Pium Cracoviam ditionibus ſuis adjeciſſe jam luculenter ſupra oſtendimus, quo loco veroſimillimas enatarum inter illum & Boleslaum Polonum ſimultatum cauſas explicavimus.

(*g*) Eandem diem, ſcil. *VII. Idus Februarii* notatam reliquit Coſmas, quam dein Lupacius, Weleslavinus & Crugerius in ſua Calendaria tranſtulere. Recte præterea Coſmas triginta duos regiminis annos Boleslao eidem adſcripſit, incompletos videlicet, cum quinque menſes, octo dies deſiderati fuerint ab anno 967 Idibus Julii, quo mortuus illius pater Boleslaus Sævus.

(*h*) Hemmam ſeu Emmam (quod nomen Marignola noſter per Helenam explicat) uxorem Boleslai Pii regio prognatam fuiſſe ſanguine innuit numus ejus, qui in Numophylacio Auguſto Vindobonenſi cum inſcriptione EMMA REGINA conſervatur. Ejus typum ad annum 991 ſchedulæ profeſſionis S. Adalberti ſubjecimus, quod calcographus iſthic ſpatium excudendi nactus ſit. Eum quoque jam noſter P. Adauctus T. I. libri ſui monetarii p. 168 excuſum tradidit. Denarium autem iſtum argenteum non alterius Emmæ eſſe probat ſimillimum ſignum, quod in Boleslai Pii numis occurrit, ut conferenti utriusque denarium minime dubium videbitur. Huc accedit aliud indicium in epigraphe poſticæ partis MELNIC CIVITAS, quæ eſt civitas Bohemiæ tribus leucis Praga diſſita, in qua hic numus excuſus eſt, quæquæ olim inter dotalitias uxorum fuit tam Ducum quam poſtea Regum noſtrorum, uti jam alias docuimus, & P. Adauctus copioſe laudato loco oſtendit. Quod *Emma* ſe Reginam ſcribat, haud ætati illi, imo etiam ſuperiori inſolitum erat. Nam ut recte monet Du Freſnius *Regum filiabus olim hic titulus communis fuit.* Id ex Ariſtotele, Virgilio, Suida probat, eam appellationem etiam apud Imperatores Græcos, Regesque Franciæ obtinuiſſe pluribus documentis oſtendit, quod idem apud Mabillonium Sæc. V. in vita S. Majoli, & apud Ruinartum in præfatione legere licet. De Wratislai noſtri Regis filia Juditha poſtea moniali *Regina* quoque appellata luculentum exſtat munimentum apud Wipponem in vita Con-

Marignola T. II. MSS Bob. ined. p. 159. & 165

Du Freſne in Gloſſario voce Regina

radi Salici. Sed jam intricatior quæstio oritur, cujus nam Regis Emma filia fuerit. Fabricius putavit *hanc Hemmam seu Hemmildem filiam Ridagi Comitis Merſeburgenſis & Marchionis Miſniæ.* At jam recte advertit Cl. Schwarzius in Coſmam noſtrum commentans, ſine auctoritate ſcribenti Fabricio non magnam fidem adhibendam eſſe, maxime quod ea, quæ Ditmarus Boleslao Polono tribuit, is perperam Boleslao noſtro adſcripſerit. Et vero ſi Schwarzius noviſſet Emmam noſtram ſe ſe *Reginam* ſcripſiſſe, validius etiam adverſus Fabricium habuiſſet argumentum, cum Marchionis Ridagi filia hunc titulum gerere nequaquam potuerit, ut taceam perperam Hemmam cum Hemmilde a Fabricio confundi. *Hemmildis* enim fuit filia Boleslai, non uxor, quanquam indubie aſſerere haud liceat: ſecundine, an tertii filia fuerit. Stranskius noſter de ea ſcribit; *Hemma ex domo Saxonica princeps ex alienigenis omnium prima.* Sed Saxones hac ætate, ſi Ottonem excipias, qui Imperator & Germanorum Rex erat, nullos Reges præterea habuere. Id indubitatum videri debet, Germano Francove ſanguine prognatam fuiſſe, quod ipſa vox *Emma* prodit Germanis Francisque uſitatiſſima. At cujus jam Regis? Præter Ottonis ſtirpem aliam Regum Burgundiæ, aliam Francorum, aliam Italicorum ex Teutonico ſanguine progenitorum hoc ſæculo deprehendimus. Ottonum trium filiam fuiſſe Emmam noſtram vix quidem credibile, quandoquidem Ottonis I. tam maſculam quam muliebrem ſobolem ſat ſuperque a Synchronis tranſcriptam accepimus. Ottoni II aut III eam adſcribere ætas Boleslai, Jarosmiri & Udalrici filiorum repugnat. Legimus quidem Adelheidem uxorem ſecundam Ottonis I ex primo matrimonio cum Lothario Rege Italico habuiſſe filiam *Emmam* nomine, ſed ea nupſit Lothario Regi Francorum, uti in Biographo Adelheidis legere eſt. Alia fuit *Emma* ſoror Hugonis Magni, ſed maritum habuit Rodulfum Regem Franciæ; alias denique facile 20 ejusdem nominis deprehendi, ſed quas aliis atque aliis nupſiſſe compertum eſt. Hac in rerum obſcuritate veroſimillimum mihi videtur Regis Francorum aut Burgundiæ filiam fuiſſe, nam Italici Reges e germano ſanguine ſubinde emortui. Et quidem ſi mentem meam aperire fas eſt, exiſtimo illam Conradi Regis Arelatenſis ſeu Burgundiæ fratris Imperatricis Adelhaidis fuiſſe filiam, qui annis abhinc ſex ſcil. anno 993 mortuus. Non inveniuntur quidem niſi duæ hujus Conradi nomine conſignatæ filiæ, altera nempe *Giſela*, quæ nupſit Henrico rixoſo Duci Bavariæ, altera *Berta* quæ in matrimonium data eſt

Odo-

Fabricius l. 3 orig. Saxon.

Stranisky Reip. Boj. c. 9.

In vita S. Mathildis apud Leibnit. T. I. p. 203.

Tom. X, & XI ſcriptor. Rer. Gallic. & Franc.

Odoni Carnotenſi, qui ut Glaber Rodulfus ait: *a patris ſui proavis obſcuræ duxit genus lineæ.* At Conrado huic plures fuiſſe filias tum ex Diplomatibus illius T. X. ſcript. rer. Gallic. & Franc. excuſis, tum aliis Francicis ſcriptoribus haud obſcure conjicitur. Quid ſi igitur Hemma quoque ejus filia fuit, quæ quod Slavo maritata fuerit, contemta, ac a Francicis ſcriptoribus indigna memoria judicata eſt? Ei conjecturæ occaſionem præbet tam arctum Henricum rixoſum Bavariæ Ducem inter & Boleslaum noſtrum initum amicitiæ vinculum, ut ejus cauſa Boleslaus tot bella ſuſcipere non refugerit, & Henricus toties quoties cæſus aut terris exutus fuit, non alibi quam apud Boleslaum noſtrum refugium quæſierit, ut haud vane illum affinitatis nexu per Giſelam vinctum fuiſſe ſuſpicemur. Sane MS. breve Ducum Auſtriæ, quod nominatum Gundelfingium in fabuloſis Auſtriæ initiis ſequitur, Henricum hunc *cognatum Ducis Bohemiæ* appellat. Conſtat etiam, ut ſupra oſtendimus, Udalricum filium Emmæ in aula Henrici Bavari educatum, nec non Emmam ipſam poſtea a filio ſuo Boleslao Bohemiæ Ducatu exturbatam in eadem Bavaria apud Giſelam aſylum cum filiis ſuis Jaromiro & Udalrico invenifſe, quæ omnia pluraque alia ſuſpicionem præbent cognationis quoddam vinculum inter Henricum Boleslaumque noſtrum interceſſiſſe, ac Giſelam veroſimillime ſororem Emmæ fuiſſe. Verum hæc omnia inter conjecturæ limites, quandoquidem certi indubitatique nihil proditum eſt. *Glaber Rodul. fus l. 3. c. 5.*

(*i*) Imo quatuor, ut mox videbitur.

(*k*) Wenceslaum hunc primogenitum fuiſſe conjicitur ex MS. Chronico mox laudato Bibliothecæ Auguſtæ Vindobonenſis. Ibi enim ad annum præſentem dicitur: *Tertius Boleslaus ſuo fratri Wenceslao mortuo ſucceſſit.* Quæ verba innuunt Wenceslaum ultra primam ætatem progreſſum fuiſſe. *Inter Cod MSS. Lat Hiſt. Eccl. N L. p. 111. & ſeq.*

(*l*) Lupacius, Weleslavinus, Crugeriusque ad emortualem diem Boleslai Hagecium ſequuntur, atque in eadem eccleſia S. Viti tumulatum ſcribunt. Sed neſcio num non major fides tribuenda ſit Ven. Chanowsky, qui ad monumentum ipſum provocat. Sic vero ille: *Sepultus in templo S. Georgii, atque ſuper ejus monumentum ara erecta eſt, in qua, prout ad Sanctorum corpora alias ſolet, ſacrificium miſſæ offertur, fuitque ibi a ſæculis pluribus nomen ejus cum titulo beati ſepulchro in-* *Lupac. Weleſl. Cruger. ad 7. Febr. In veſtig. Boh. Piæ p. 44.*

inſcriptum. At vero publica aliqua veneratione cultum fuiſſe nuſpiam ſuppetit memoria.

(*m*) Eundem annum Gaudentii ſeu Radim fratris S. Adalberti in Archiepiſcopatum Gneſnenſem evecti profert Coſmas, & auctor Chronici mox laudati MS. Aug. Bibl. Vindob., quos poſteriores omnes ſecuti. Nec vero diſputare velim Gaudentium jam præſente anno in Archiepiſcopum electum deſignatumque, quandoquidem Dlugoſſus hunc ipſum annum defigit, & anno ſequente in Quadrageſima eum jam ab Ottone III regalibus inveſtitum fuiſſe conſtat.

(*n*) *Rufi* nomen Boleslaus tertius a Synchronis quibusque obtinuit, quod nomen veroſimillime a juventute, quæ paſſim rufa *lanugine malas fuſcante*, ut canit Lucretius, decora eſſe ſolet. Non raro *rufi* veteribus appellati elegantes facie ac ſtatura, qua eundem Boleslaum excelluiſſe memorat Hagecius. Poſtea a Boleslao Polono execœcatus etiam *cœci* nomine inclaruit. Ceterum Otto III idem *Rufi* nomen hoc ipſo tempore paſſim tulit.

(*o*) Hanc Boleslai III uxorem fruſtra vel Diogenis lucerna in quoquam Hagecio vetuſtiore quæras.

(*p*) Hæc facem prælucente Coſma communis hactenus poſteriorum erat perſuaſio. Sed indubitatum eſt: Jaromirum & Udalricum filios fuiſſe Boleslai Pii, adeoque fratres germanos Boleslai III ſeu Rufi. Nec vero certiores verioresque teſtes optare licet, quam Adelboldum Trajectenſem, & Ditmarum Merſeburgenſem Epiſcopos, priori enim Jaromirus ab Henrico S. Imperatore poſtea in cuſtodiam fuit traditus, uti ad annum 1012 oſtendemus, alter Odalrico ſe converſatum fuiſſe expreſſis verbis in libris ſuis innuit. Qui iidem authores multorum poſteriorum errorem profligant, qui perperam Odalricum Jaromiro natu majorem fecerunt. Prior ait; *Mortuo Bulizlao ſeniore* (ſcil. Pio) *Boemienſi Duce, tres filii ſuperſtites ei remanſerunt. Quorum primogenitus Bulizlaus nomine adepto poſt patrem Ducatu crudelius cœpit vivere, quam terra illa pati vel vellet, vel poſſet. . . . . Ex mala ergo conſcientia concepta ſuſpicio, inſtigavit eum ad ſcelus nefandiſſimum, perduxit etiam ad facinus execrandum. Nam fratrum ſuorum unum* (ſcil. Jaromirum) *evnuchizavit, alterum* (Odalricum) *in thermis ſuffocare ten-*

Adalboldus in vita S. Henrici Imp.

tentavit. Et infra de Jaromiro: *Caſtellum illico Rex Jaromiro evnuchо, fratri cæci Bolizlavi cum ſumma benevolentia conceſſit.* Ditmarus vero compendio: *Interim Bohemiorum Dux Bolislaus Jaremirum fratrem eunuchizans, junioremque Otelricum in thermis ſuffocare cupiens una cum matre* (Hemma) *eosdem patria expulit.* Ut plura alia manifeſtiſſima hujus ætatis teſtimonia brevitatis cauſa transmittam. Videlicet Coſmæ noſtro de his tribus fratribus pauciſſima erant cognita, unde etiam in Chronico illius uſque ad Brzetislai Ducatum meros annorum hiatus eſt deprehendere, quos jam coævorum paſſim relationibus explebimus, atque hac parte mutilos multumque aberrantes Annales patrios reſtituemus. *Ditmarus l. 5 p. 370*

(*q*) Udalricum in aula Henrici Bavari educatum fuiſſe jam ſuperioribus annis docuimus.

PRÆTERMISSA.

I. Uti Boleslai II. omnis pene ætas in pietatis operibus, ac præſertim condendis fundandisque eccleſiis exacta fuit, ita jam jam morituri zelus minime defatigabatur. Nam ſub anni hujus principium pauloque ante mortem ſuam alterum monaſterium Ordinis S. Benedicti in Inſula S. Joannis (Inſulanum poſtea dictum) meditatus eſt. Hagecius, uti jam annis ſuperioribus meminimus, monaſterium hoc Brzevnovienſi antiquius facit, ſed fontem nuſpiam prodit, nec ego vetuſtiorem ipſo, qui id adſtrueret, uſpiam reperi. Id fortaſſis admitti poteſt: ante annum præſentem hic loci quædam eremitoria fuiſſe, monachosque ea quosdam ſparſim coluiſſe; at juſta monaſterii forma, præſertim Abbatiali Dignitate conſpicua, nonniſi præſente anno cœpit, ſequente conſummata. Catalogus vetuſtus MS. Ducum Bohemiæ (qui ex-*In Codice MS. Steblikiano.* puncto Czecho primum quoque Ducem Bohemiæ Premyslum recte ſtatuit) de monaſteriis a Boleslao Pio erectis loquens: primo loco Sancti Georgii, ſecundo Brevnovienſe, tertio loco Inſulanum reponit. Verba illius ſunt: *Sextus* (Chriſtianus) *Dux Bohemiæ Boleslaus Pius, filius Boleslai Sevi obiit anno Domini DCCCCLXXXXIX. Creavit primum Epiſcopum Pragenſem, & fundavit monaſteria tria: ſcilicet ad S. Georgium: & Brewnoviam: & Inſulam Ordinis S. Benedicti.* Syllabi Taxationum Ducalium Regiarumque Bohemiæ, quæ monaſteriorum annuas præſtationes Cameræ pendi ſolitas exhibent, omni loco monaſterium

Brev-

Brevnovienſe ab omni retro antiquitate primo loco inter monaſteria Ordinis S. Benedicti ſtatuunt, Inſulanum ſecundum. Et vero dubium omne tollit Ottocarus I. Rex Bohemiæ in confirmatione ſua omnium donationum ad ſua uſque tempora Inſulano cœnobio factarum Anno Incarn. Dom. MCCV. ſexto decimo Kal. Febr. expedita (quod diploma in membrana, avulſo quidem ſigillo, hodie illæſum ſupereſt in monaſterio S. Joannis Sub Rupe). In hoc diplomate origo Inſulani hujus cœnobii cum omnibus pene circumſtantiis his verbis refertur: *Gratia Dei Dux Boleslaus filius Seui Boleslai per omnia vere Katholicus amore fidei inflammatus, poſtquam multa eccleſiis Dei utilia ordinavit, ſeque viam univerſæ carnis ingreſſurum perſenſit, fervens in ſpiritu caritatis locum quendam Servis Dei per quosdam nobiles invenit, & eum in honore S. Joannis Baptiſtæ, & aliorum Sanctorum confirmari precepit, preficiens ei quendam bone vite Virum nomine Lambertum Ord. Sancti Benedicti Monachum ab Altaenſi monaſterio evocatum, vere Iſraelitam, in quo dolus non erat, quem filio ſuo tertio Boleslao ſatis induſtrio Viro, licet in valetudine corporis attactus ſolicite coram primatibus ſuis commendavit, & eum Abbatem vocari & eſſe precepit.* Et dein: *Hec ſunt ville, & alia bona, que contulit bone memorie Boleslaus Dux Wotechotii, Blaſin, cum circuitu ſilue. De familia autem has villas Sanava, Sedlce, Myechinicih, piſcatores autem Drazowichih, Trebani, Labowicyh.* Verum quanquam Boleslaus Pius monaſterium iſtud fundaverit, Abbatemque Lambertum Altahenſem monachum deſignaverit, morte tamen præventus rem penitus non confecit; nec enim Lambertus ad poſſeſſionem prius quam anno ſequente pertigit. Nam origini hujus monaſterii præfigitur in eodem diplomate Annus Dominicæ Incarnationis Milleſimus, quo omnino fundatio hæc penitus per filium Boleslaum tertium, cui id moriens pater commendaverat, completa eſt. Veroſimillime autem executio hujus fundationis per annum integrum & ultra dilata eſt, quod Boleslaus tertius ſtatim a patris obitu graviſſimo cum Polonis bello implicitus fuerit, ut mox videbitur.

II. Vix Boleslai Pii mors Boleslao Polono filioque Miſeconi innotuerat, rati illi auſpicatum ſibi illuxiſſe diem, quo veterano illo Bohemiæ leone exſtincto ſpes eſſet nuper ereptas terras vindicandi, ad opprimendum imparatum filium celeriter omne conſilium operamque contulerunt. Nec defuit tantis auſibus fortuna, nam hoc ipſo adhuc anno omnem Cracovienſem regionem cum civitate ipſa Bohemis eripuere.

puere. Compendio id refert Cosmas ad annum præsentem: *Post ejus* (Boleslai Pii) *obitum filius ejus tertius Boleslaus successit in Ducatum, sed non eisdem rerum successibus nec paternis auspiciis terminos adquisitos obtinuit. Nam Dux Polonienſis Mesko* (falsi plerique posteriores, qui Meskonem hunc patrem Boleslai Polonı arbitrati sunt jam anno 992 præmortuum; fuit hic Mesko filius Boleslai, de quo jam alias) *quo non fuit alter dolosior homo, mox urbem Krakou abstulit dolo, omnibus, quos ibi invenit, exstinctis gladio.* Similiter Dalimilus morti Boleslai Pii illico hanc Cracoviæ ereptionem subjicit. Hagecius hanc invasionem ad annum sequentem transtulit, sed perperam, spectat illa indubie ad præsentem, quandoquidem jam sequente anno in Quadragesima Boleslaus Polonus Cracoviæ Episcopum constituit, quo consilio procul dubio regionem Cracovienſem sibi suisque magis firmare intendit. Tacentibus Scriptoribus Polonis penitus de urbis hujus expugnatione, vetustiores omnes nostri cum Cosma in enarratione rerum istarum bellique cum Boleslao nostro gesti admodum jejuni sunt, locupletior his Hagecius, uti anno sequente videbimus. Dubravius, qui Hagecio nostro synchronus fuit, ereptæ urbis atque regionis causam partim minus provido, partim nimium avaro animo Boleslai III. adscribit, sic enim ille: *Non erat cordi Boleslao militia partim ut tumultuosa, dein ut sumptuosa præsertim in eroganda pecunia adstricto tenacique. Appellabat sæpius eum Præfectus Cracoviæ cum per internuncios, tum postremo per filium suum Berſomitum, ut stipendium præsidio, atque subsidia nova mitteret, quoniam non una jam calamitas accepta esset ingruentibus Polonis, sed præterea plerique militum oppressi. At ille ne arcam ære exinaniret, curaque se prægravaret, moras nectere, diemque de die trahere, donec Cracoviam, & quod in illa præsidium erat, amitteret. Sero tandem ad sua tuenda expeditionem in Slesiam sumere coactus est.*

Dalimilus hist. Bolesl. c. 33.

Dubravius l. 6 p. 43

ANNUS 1000.

Vix fama ad aures Miecizslai patris, filiique Boleslai (a) Poloniæ Ducum pertigerat, Boleslaum Pium mortales exuvias posuisse, inertemque filium subrogatum esse, præter moram collecto milite Cracovienſem regionem infestare, Bohemaque isthic posita præsidia omni parte premere occipiunt. Sukoradskio urbis Cracoviæ militiæque Præfecto undequaque arctato haud consilii aliud supererat, quam contracto omni in castrum Bohemo milite auxiliatricem manum commeatusque e Bohemia flagitare. Sed ea erat Ducis adolescentis seu somnolentia, seu magis profundendæ in expeditionem pecuniæ tenacitas, ut binos ternosve *nuncios*, summum rerum Cracovienſium periculum ingeminantes, cunctabundus exciperet, quod Polonis animos adjecit, ad urbem omni celeritate urgendam quatiendamque. (b) Krassata Sukoradskius rerum summæ anxius primis tenebris filium Brzomilum clanculum mœniis emittit, hic per medios hostes elapsus feliciter Bohemiam Principemque attingit, patris nomine summum discrimen questus, obtestatusque omnibus precibus, uti quam mox presſæ urbi succurreret. Ejus adventu evigilavit tantisper Boleslaus, senatumque coegit, sed dum morose consultat, hostis præcipiti insultu urbem capit præsidiariis omnibus ad unum cæsis. (c) Eadem fortuna fuit militis subsidiarii serius, quam res urgebat, a Boleslao missi, ut prius in hostem impegerit, quam satis sciret urbem amissam esse. Itaque & hic occidione deletus. (d)

Præfectus castri Cracoviæ a Boleslao frustra auxiliares copias petit.

Cracovia a Polonis capitur omni præsidio interemto.

Cæduntur auxiliares copiæ.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 1000.

SILVESTRI II. PAPÆ AN. 2. OTTONIS III. REG. 18. IMP. 5.

BOLESLAI III. AN. 2. THIDDAGI EPISC. PRAG. 3.

(a) Hem eundem Hagecii errorem, qui Mieczislaum annis octo præmortuum in ſcenam producit. Filius is fuit, non pater Boleslai, cui idem Oderanarum regionum Principatum conceſſerat.

(b) Coſmas, uti ſuperiore anno legimus, ſoli Miſeconi filio ereptionem urbis & quidem dolo attribuit.

(c) Hæc amplificatio ſunt eorum, quæ laconice his rhytmis expreſſerat Dalimilus: *Dalimil. c. 33*

Ten nerodi Czechom do Polan ztrawy dati
A proto Polſku Zemi y wſſy czeſt y zywot ztrati.
Polene na Czechach w Polſſtie wſſiech twrzy dobychu
A co tam Czech bylo ty wſſeczky zbichu.

Iſte (Boleslaus) *noluit Bohemis in Poloniam commeatum dare,*
Idcirco Polonam regionem, omnem gloriam & vitam amiſit.
Poloni Bohemis in Polonia omnia caſtella eripuerunt:
Et quidquid Bohemorum iſthic erat, occiderunt.

(d) Copiarum auxiliarium occidione deletarum nemo ante Hagecium meminit. Dalimili rurſum verſus ſunt:

Boleſlaw do Polan gide
A s ſwu ſſkodu s Polany u mir wnide.

Boleslaus in Poloniam proficiſcitur,
Et cum ſuo damno pacem cum Polonis init.

PRÆTERMISSA.

I. Superiore anno innuimus Ottonem III auditis Romæ prodigiis, quæ Deus per interceſſionem S. Adalberti Gneſnæ ad ſacras ejus exuvias operatus eſt, ſacro quodam inflammatum fuiſſe deſiderio, coram ejus lipſana venerandi. Nec mirum ulli videbitur Imperatorem tam difficile atque longinquum iter ſuſcepiſſe, qui amorem eum expenderit, quo S. Adalbertum vivum complexus, adeo ut Annales Hildesheimenſes Ottonem III. *venerandum fratrem digni Pontificis & Martyris Adalberti* appellent. Præſente itaque anno, ut Hildesheimenſe, Quedlinburgenſe pluraque vetuſta Chronica perhibent: Otto Roma redux peregrinationem iſtam ad Polôniam inſtituit. Et quoniam alias ſemper, ad indicandos primos fontes, Synchonorum magis, quam noſtris verbis loqui ſoliti ſumus, prius Chronici Quedlinburgenſis, tum Ditmari relatis utemur: *Tranſtenſa*, inquit Annaliſta Quedlinburgenſis, *Alpina difficultate, ut primo biſce partibus pedem inferre potuit Otto, tota ei Gallia, Francia, Suevia equeſtri & pedeſtri agmine turmatim obviam ruit, duæ etiam Imperiales germanæ ſuæ ſorores Sophia & Adelhaida cum Saxoniæ & Thuringiæ utriusque ſexus primis occurrendo unanimi gratulatione ſuſcipiunt.* Jam iter iſtud perſequitur Ditmarus: *Cum Ratisbonam veniret a Gebehardo ejusdem eccleſiæ antiſtite magnifico honore ſuſceptus eſt comitantibus ſecum Ziazone tunc patritio & Roberto oblationario* (id eſt Diacono) *cum Cardinalibus: Nullus Imperator majori unquam gloria a Roma egreditur, neque revertitur. Huic Giſlerus* (Archiepiſcopus Magdeburgenſis) *ob viam pergens gratiam ejus, quamvis non infirmam, promeruit, & comitatur. Cæſar autem ad Ticenſem perveniens urbem a ſecundo Hugone ejusdem ſedis proviſore tertio, ut decuit Imperatorem, ſuſcipitur. Deindeque recto itinere Miſnenſem tendens ad civitatem a venerabili Egedo* (Ægidio) *hujus eccleſiæ Epiſcopo & Marchione Ekkihardo, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter accipitur. Decurſis tunc Milcieni terminis huic ad Diedeſi pagum primo venienti Bolizlaus* (Polonus) *qui major laus non merito, ſed more antiquo interpretatur, parato in loco qui Ilua dicitur, ſuimet hoſpitio, multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæſar ab eodem tunc ſuſciperetur, & per ſua uſque Gneſin deduceretur, incredibile ac ineffabile eſt. Videns a longe urbem deſideratam* (Gneſnam) *nudis pedibus ſuppliciter advenit, & ab Epiſcopo ejusdem Ungero* (Poſnanienſi) *ve-*

Chron. Hildesh. & Quedlinburgenſe ad h. a.

Ditmarus l. 4. p. 357.

Du Freſne in Gloſſario voce oblationarius.

venerabiliter susceptus ecclesiam introducitur, & ad Christi gratiam sibi impetrandam martyris Christi (Adalberti) *interessio precibus lacrymis invitatur. Nec mora, fecit ibi Archiepiscopatum* (*ut spero legitime*) *sine consensu tamen præfati præsulis, cujus diœcesi omnis hæc regio subjecta est, committens eundem prædicti martyris fratri Radimo* (seu Gaudentio) *eidemque subjiciens Reinbernum sanctæ Cholbergiensis ecclesiæ Episcopum, Popponem Cracuensem* (Cracovienſem) *Joannem Wlotislaviensem, Ungero Posnaniense excepto, factoque ibi alteri sanctas in eo honorifice condidit reliquias. Perfectis tunc omnibus Imperator a præfato Duce* (Boleslao) *magnis muneribus decoratur, & quod maxime sibi placuit, trecentis militibus loricatis. Hunc abeuntem Bolizlaus comitatu usque ad Magdeburg deduxit egregio, ubi palmarum solemnia celebri apparatu peracta sunt.* Ex his jam eruitur *primo*: perperam a Dlugoſio aliisque paſſim Poloniæ hiſtoricis ante annos facile 20 erectionem Archiepiſcopatus non modo Gneſnæ, ſed etiam Cracoviæ deſignam fuiſſe, recteque ſcripſiſſe Boguphalum: cum ſolum Epiſcopatum Poſnanienſem Miſeconi I. tribuit, Archiepiſcopatus ceterorumque epiſcopatuum fundationem Boleslao, de quo hic ſermo, concedit; unde etiam recte Anonymus veteſtus Polonus, ad quem Cromerus provocat, Cracoviæ nonniſi Epiſcopum primitus conſtitutum perhibet. Ditmarus laudato loco de Ottone dicit: *Fecit ibi* (Gneſnæ) *Archiepiſcopatum, ut ſpero legitime, ſine conſenſu tamen præfati Præſulis* ſcilicet Ungeri. Author Chronici Magdeburgenſis factum iſtud Ottonis magis magisque exaggerat, cum ait: etiam ſine conſenſu Metropolitani Magdeburgenſis, cujus Archiepiſcopatui Gneſnenſis provincia ſubjecta erat, Gneſnenſem Archiepiſcopatum erectum fuiſſe. Et ſane veroſimillimum eſt, hac ſimultanea inſtitutione etiam Epiſcopatum Cracovienſem ſine omni conſenſu Epiſcopi Pragenſis Thiddagi conſtitutum fuiſſe. Nam hæc tota Cracovienſis regio ad montes uſque Tatri, fluvios Bug & Ztir fuit a Benedicto Papa & Ottone I. inter terminos Epiſcopatus Pragenſis cenſa, uti ad annum 973 vidimus. Canonum quidem & Conciliorum rigor (quem alio jam loco in medium attulimus) exigebat, ut novi Epiſcopatus non erigerentur ſine conſenſu illius Epiſcopi, ad cujus diœceſim regio novi Epiſcopatus erigendi pertinebat; at veroſimillime Silveſter Papa (ne res Eccleſiæ Chriſti ſumme ſalutaris obſtrepentibus tribus Epiſcopis duobusque Metropolitis in plures annos differretur) ad petitionem Boleslai Poloni, interceſſionemque Ottonis III. in hoc Canonum rigore diſpenſavit, ſupremoque authoritate Epiſcoporum

Cromerus l. 3. c. 2.

Apud Meibom. T. II. p. 280.

horum

horum consensum ob bonum Slavicarum ecclesiarum suppleverit. Nam Annales Hildeshemenses ad h. a. verbis expressis dicunt, id factum *licentia Romani Pontificis*, & Ditmarus eodem loco innuit, Ottonis comites fuisse duos Cardinales, interque eos legatum *Archidiaconum Romanæ Sedis*; cui procul dubio Silvester ad hos novos constituendos Episcopatus omnem supremam potestatem concesserat, quique *facto* (Gnesnæ) *altari sanctas in eo honorifice condidit reliquias*, ecclesiamque consecravit. Eruitur *secundo* ex silentio Ditmari coævi recte convinci: nec brachium nec caput S. Adalberti a Boleslao Polono Ottoni III. donatum fuisse, quod author hic commemorare nequaquam prætermisisset, præsertim cum *trecentos loricatos* Ottoni donatos tanquam maximum gratissimumque munus extollat. Sat vetusti quidem authores sunt, qui seu caput seu brachium Ottoni donatum adstruunt. Vetustus author in translatione SS. Abundii & Abundantii dicit: *Otto Rex in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati Martyris Adalberti. Qui munus ejus, insignibus auro & gemmis mire exornavit.* Ademarus Cabanensis, id paulo post reditum Ottonis ex Polonia factum fuisse innuit: *Solium*, inquit, *Caroli M. aureum Imperator Otto direxit Regi Bolislavo pro reliquiis S. Adalberti Martyris. Rex autem Bolislavus accepto dono misit Imperatori brachium de corpore ejusdem Sancti. Et Imperator gaudens illud excepit, & in honore S. Adalberti Martyris basilicam Aquisgrani construxit mirificam.* Prior translationis author

In Prodrom. antiquit. P. I. §. 94 etiam subjungit de eodem Ottone, *& ecclesiam nomini ejus* (Romæ) *inter duos pontes fabricavit*, alii dicunt brachium istud in ecclesia Sancti Bartholomæi, alii simpliciter in insula Tyberina depositum fuisse. Papeprochius ex veterioribus conatur evincere, caput S. Adalberti Aquisgranum missum fuisse. Sed quis sibi persuadeat, necdum anno tertio post martyrium elapso, quo merito de integra corporis sacri putrefactione dubitari poterat, jam seu brachium seu manum utramque a sacro corpore fuisse avulsam, laniemamque in id exercitam, aut certe caput vix plene corruptum Ottoni missum fuisse? Nihil penitus istorum sustineri potest. Nam vetustissimæ nostræ & contemporaneæ lectiones

Cosmas ad an. 1038. Breviarii de translatione S. Adalberti, nec non Cosmas proximus his temporibus testatum reliquere, adhuc post annos triginta octo, dum sub Brzetislao Duce nostro sacer tumulus Gnesnæ apertus fuisset, S. Adalbertum cum membris omnibus incorruptum inventum fuisse. Verba sunt: *Tunc Dux* (Brzetislaus) *& Episcopus* (Severus) *& pauci Comitum inspicientes vident Sanctum Dei ita vultu & habitu clarum, &*

sic

sic corpore integrum per omnia, ac si eadem die sacra missarum celebrasset solemnia. Quis igitur seu manus seu caput desideratum dicat? Profecto Ademarum Cabanensem (non Ecolismensem aut Engolismensem uti eum nominat Mabillonius) in pluribus aliis circa S. Adalbertum nostrum, Brunonemque Ungarorum Apostolum hallucinatum fuisse jam alias ostendimus, ut taceam in exemplari Chronici Ademari, quod Tomo X. rerum Gallicarum & Francicarum p. 146, alioque apud Lucam d' Acherii excusum est, priora tantum verba legi: *solium ejus aureum Imperator Otto direxit Regi Botisilano* (alibi Botisclavo) *pro reliquiis S. Adalberti*, ut procul dubio posteriora ex marginibus cujuscunque scioli interpolatoris in ipsum textum irrepserint, Ademarusque per memoratas reliquias quidquid demum seu de sacro profuso cruore, seu crinibus seu vestimentis, seu denique cilicio illo sanguine resperso, quod Gaudentius secum in Poloniam detulit, intelligere potuerit. Similiter ea, quæ de capite Aquisgranum ab Ottone allato referuntur, vix ante sæculum XV cognita fuere, ipseque Noppius fatetur caput istud per varios tumultus bellicos latuisse, cum demum anno 1475 die 1 Septembris in præsentia Friderici III. Imp. Nuncii Apostolici & aliorum Principum in ecclesia Aquisgranensi inventum, ac cum magna solemnitate levatum fuit. Ceterum dubitare minime velim Ottonem III. præsente anno, quo Aquisgrani Pentecosten celebravit, jam fundamenta jecisse ecclesiæ S. Adalberti, quam demum anno 1018 Henricus Sanctus consummavit, Collegio Canonicorum adjecto, de quo vetus Chronicon Aquisgranense ad h. a. *S. Adalberti templi quondam mœnibus exclusi, nunc iis circumsepti in rupe adjacente sacratissimus Cæsar Otto III. prima fundamenta stravit.* Nec etiam dubitare velim eundem Ottonem hoc ipso aut sequente anno alteram in S. Adalberti honorem ecclesiam Romæ molitum, de qua supra laudatus Auctor Translationis SS. Abundii & Abundantii aliique Itali scriptores, quemadmodum & tertiam hoc annorum confinio a Stephano Ungarorum Rege Strigonii in Metropolitana sede excitatam fuisse tradit Dubravius noster passimque Historici Hungariæ, ut quartam præteream quam Klatoviæ erectam fuisse scribit Berghauerus.

Dubravius l. 6. p. 41.

In Protom. Pœnit. p. 3.

II. Erecto Cracoviensi Episcopatu Pragensis Præsul Thiddagus magnam partem diœcesis suæ amisit, scilicet complures hodiernæ superioris Silesiæ terras, tum omnem Cracoviensem regionem usque ad montes Tatri fluviosque Bug & Ztir. Non minorem pene jacturam passus

ex

ex terris Hungariæ, quæ præsente quoque anno proprios Episcopos, Sedemque Metropolitanam accepere. Et quidem Ditmarus scribit ab Ottone III exstimulatum Stephanum Regem Hungariæ, *ut in Regno suo episcopales cathedras faceret*, quod reipsa hoc anno exsecutus est. Nam misit Anastasium Abbatem S. Martini (alioquin ex profectionibus suis cum S. Adalberto Romæ atque in Italia cognitum) ad Silvestrum Papam id ipsum sollicitatum. Et vero tam felix fuit legationis ab Anastasio susceptæ exitus, ut non modo Archiepiscopatum Episcopatusque erigendi licentiam a Pontifice impetraverit, sed & regiam coronam regisque nomen Stephano attulerit. Bullæ, quæ apud plerosque Hungariæ scriptores, & novissime Doct. Georgium Pray excusa est, verba sunt: *Quare gloriose fili cuncta a nobis & sede Apostolica expostulata, diadema nomenque regium, Strigoniensem metropolim, & reliquos Episcopatus de omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate, præmonente atque ita jubente eodem omnipotente Deo cum Apostolica & nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, & impertimur.* Nec vero sine præmio discessit Anastasius Abbas, nam qui a Stephano Rege pro cathedra Colocensi designatus erat, mox Romæ consecratus Episcopi Colocensis dignitate nobilitatus rediit. Nam in eadem Bulla Papa eum jam nominat *carissimum confratrem nostrum Astricum* (Anastasium) *venerabilem Colocensem Episcopum.* Et quidem causæ, quæ permovere Romanum Pontificem, ut tam celeriter tot tantaque ab eo impetrata sint, minime celatæ sunt in hac Bulla: *primo* scilicet immensum gaudium, quod Silvester universaque Christi ecclesia ex Hungarorum gente Christo imbuta, tantisque rei Christianæ in Hungaria progressibus conceperat. *Secundo* zelus & pietas Stephani ab ipso Deo, ut scribit Pontifex, commendata, tum reverentia ejus erga sedem Apostolicam liberalitasque, qua *B. Petro Apostolorum Principi regnum ac gentem, cunctaque ac seipsum per legatos & literas perpetuum obtulit.* Denique divinum quoddam monitum & ostentum factum Silvestro, cum ait: *Omnipotens Deus diadema, quod Duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandavit.* Ditmarus hoc in negotio plurimum Stephano Ottonis gratiam profuisse præterea memorat, *Imperatoris*, inquit, *gratia gener Henrici Ducis Bawariorum Waic* (Stephanus) *in regno suo episcopales cathedras faciens coronam & benedictionem accepit.* Tot tantaque gravissima argumenta summi Pontificis, favorque Imperatoris silentium omnino imposuere Thiddago nostro, ut de ereptis suæ diœcesi

Ditmarus l. 4 p. 360.

In Anal. Hung. P. 1. l. 1. p. 8.

cesi regionibus litem Stephano, Episcopisque illius movere haud auderet.

III. Silent hoc anno Chronica omnia de gestis Boleslai nostri: nec meminerunt eum Ottoni Roma reducì, seu Ratisbonæ, seu Zizæ, seu Misniæ tam vicinis Bohemiæ locis & urbibus homagium præstitisse, nec vero solemnitatem Paschalem Magdeburgi (cui tamen Boleslaus Polonus interfuit) nec Pentecostalia festa Aquisgrani celebrata adiisse, quæ profecto conjecturam haud levem præbent, Boleslaum nostrum propensionem illam Ottonis erga Ducem Polonorum, mutuaque amicitiæ officia limis oculis aspexisse. Quid autem egerit, nuspiam proditum, id solum meminit Dalimilus: post ereptam regionem Cracovienſem pacis consilia eum iniisse, profectumque ad Poloniam pacem cum suo damno Boleslao Polono obtulisse, quod omnino anno præsente factum est; scilicet prudens prospexerat, si in arma rueret, non sibi negotium cum uno Polono Duce, sed Imperatore, omnibusque Germaniæ Principibus, ac fortassis etiam Stephano Hungariæ Rege futurum, quos, ut supra vidimus, quidam amicitiæ nexus colligaverat, & quibus procul dubio omnibus Boleslaus exosus factus, quod non nescirent, eum præcipuum authorem fuisse exturbati ex Bohemia S. Adalberti, atque tam crudeliter ab ethnicis interempti. Pacem igitur Boleslaus a Polono consecutus commendatam sibi a moriente patre Insulani monasterii fundationem explevit; nam hunc ipsum annum monasterii hujus ad finem perducti defigit supra allatum Ottocari Regis diploma, ex quo jam ea, quæ superiore anno abrupimus, quæque ad præsentem spectant, suppleamus, verba sunt: *Igitur glorioso Duce Boleslao ex hac luce subtracto filius ejus tertius Boleslaus paterni precepti non immemor predictum Abbatem* (Lambertum) *piis moribus ornatum tunc temporis Episcopo Theadago commendavit, & in sui præsentia, prout pater postulaverat, eum ordinari precepit, atque loci ipsius situm & amplitudinem in sui curam suscepit, & ut post statuit, omnium bonorum inceptor, & stabilitor per semitam justitiæ ardenter cucurrit, & ne quis tam boni propositi a diabolo deceptus destructor in futurum existeret, Pragensis ecclesiæ Præsulem adiit, hoc ipsum perpetuo anathemate cum Juda & ejus sequacibus innodandum esse peciit, cunctis tum presentibus ac clamantibus: Amen.* Monasterii hujus diplomata complura supersunt, quæ suis locis indicare non intermittemus. Conservavit etiam Archivum Cœnobii S. Joannis Sub Rupe (cujus loci Abbas hodie est Insulani istius monasterii Ab-

Dalimilus hist. Bolesl. c. 33

batem ſcribit) quasdam e ſæculo XIV monumentorum reliquias, quas ante plures annos inſpeximus, excerpſimusque. Sed præ cæteris nomen meretur Chronicon MS. Inſulanum, quod hodie exſtare etiam crebro mihi aſſirmare ſolitus Reverendiſſimus piæ memoriæ Prælatus Rayhradenſis Bonaventura Pitter, quanquam id videre aut inſpicere nunquam mihi conceſſum fuerit.

Quod præterea ad anni hujus hiſtoriam pertinet: memorat Joan. Jac. a Weingarten ipſo hoc anno Micro Pragæ ad fluvium Moldavam conditam fuiſſe eccleſiam S. Joannis Baptiſtæ, quod Viri iſtius fidei concedendum, cum Syndicus hujus urbis fuerit, ac veroſimiliter ex tabulario curiæ hæc hauſiſſe videatur. Contra aſſentiri minime poſſumus Poſthumis Crugerii Sacris Pulveribus, qui anno præſenti cruentum cum ethnicis bellum illigant. *Poſt quinquennium* (ibi dicitur) *ſub annum* 1000 *quia ad publicam profeſſionem fidei urgebantur multo numero ſuſpecti quidam de idolorum cultu idque armis Henrici Sancti Cæſaris Boleslao Pio fœderati, eruperunt ſcilicet in apertum bellum, ac arma corripientes palam reſtiterunt. Fuiſſe rem Chriſtianam in acie periculoſa Helmoldus ſcriptor affirmat. Et vero, ut id credatur, SS. Martyres Adrianus & Georgius perſuadent, quia adſpectabiles in prælio Henricum in Albo monte cœlesti auxilio adjuverunt. Fractæ tum vires fuerunt Gentilium ex integro. Omnes ad obſequium Chriſto exhibendum accurrerunt. Melchior Goldaſtus ex ſupra citato auctore in Commentariis de Regno Bohemiæ.* Sed quot hic pene verba, tot peccata hiſtorica; Boleslai Pii imperium cum Henrici Sancti imperio nunquam conincidit, prior præſentem annum vivendo non attigit, alter Imperiale nomen necdum conſecutus. Nec vero iſta alioquin omnium oculis patentia confutatione digna cenſuiſſem, niſi Crugerius ad Helmoldum & Goldaſtum provocaſſet, quorum uterque ne quidem de hac Albomontana pugna ſomniavit. Apud Helmoldum cum ea de re ne verbum quidem repereris, Goldaſtus poſt annum demum 1004 id ſolum narrat ex Nonnoſo Presbytero: quod Henricus Imperator contra Poloniam, Bohemiam, ceterasque adjacentes Sclavorum regiones expeditionem movens *in loco Walbech gladium S. Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi ſervabatur, acceperit, ſeque eo accinxerit.* Hem quanta confidentia, veteriorumque ſubleſto teſtimonio ſubinde fœdentur hiſtoriæ!

Im Fürſten Spiegel *pag.* 129

Cruger. S. Pulveres ad 9 Novemb. p. 59.

De Regno Boh. l. 2. c. 4. §. 6.

AN-

ANNUS 1001.

Ottoni III. Imperatori cumprimis probo æquoque uxor erat morum diſſimillimorum in omnem libidinem profuſa, quæ ſui ſuæque dignitatis & officii oblita cujusdam Comitis pudicitiam ſollicitare auſa eſt, (a) nec quibus quibus demum blanditiarum promiſſorumque artibus ad libidinem provocare neglexit. Sed cum virum integerrimum fidei, quam Cæſari conjugique ſuæ deberet, non immemorem fruſtra tentaſſet, furioſos illa amores in nihilo mitius vertit odium, innoxium Comitem invaſorem auguſtalis thori criminata. Exhorruit piiſſimus Cæſar ad flagitii nomen, facinorisque indignitate ſupra modum commotus inauditum Comitem in vincula conjici, atque ſecuri percuti jubet. Damnato ſummi beneficii loco tantilla mora conceſſa, qua ſupremum conjugi ſuæ loqui ac valedicere fas eſſet. Et vero brevi ſermone omnem rei ſeriem terrore pene exanimatæ conſorti detegit, obteſtatus per conjugalem fidem, per ſalutem communium liberorum, ne dubitaret igniti ferri examine innocentiam ſuam probare Cæſari. Nihil a fida uxore prætermiſſum, præſtolata ipſa tantisper dum pro more Cæſar pupillorum viduarumque cauſas cognoſceret, impetrato ad tribunal acceſſu audacter quærit ex Cæſare: quo ſupplicio dignum deputet, qui hominem innoxium præter cauſam capitis damnaſſet? reſpondente Ottone, capitis itidem reum eſſe: Atqui, inquit illa, tu ipſe es Judex ille, qui conjugis tuæ ad-

Ottonis III. uxor fruſtra ſollicitasquendam Comitem ad libidinem.

Vaſre eundem invaſorem auguſtalis thori criminatur.

Inauditus Comes capitis damnatur.

ulteræ lenociniis illectus indicta causa hunc innoxium virum condemnasti, idemque mihi carissimum conjugem, pupillis patrem, reipublicæ civem bonum infami morte sustulisti, id quod ego per candens ferrum parata cœlo terræque palam facere huc adveni. Annuit Imperator, omnibusque, quæ illa ætate juris rigor præcipiebat, rite peractis lascivam Imperatricem adesse jubet, ut se se pari ignis examine perpurget, quæ ardoris impatiens ferrum contingere refugit. Tum vero audax accusatrix occultam mantello protrahens mariti cervicem, atque pro concione cruentam adhuc ostentans altum vociferatur: Vindictam exposcere innocuum caput. Exterritus non mediocriter hujus tragicæ scenæ obtutu Cæsar permisit se mulieris potestati professus culpam, & si ipsa ita vellet, mortem non recusans. At vero Principes Comitesque, qui e latere Imperatoris erant, primum decem dierum, his transmissis aliorum octo dierum inducias ab æquitatem implorante muliere exposcunt, denique causam ad sacerdotum cognitionem sententiamque transmittunt. Litis is exitus fuit: Imperatrix manifesta sceleris viva terræ defoditur, (b) vita Imperatoris quatuor castris redemta, quæ viduæ liberisque illius extradita. Hæc in hodiernum diem *castra Cyliæ* nomen ferunt. (c)

Comitis conjux ferri iguiti examine probat innocentiam mariti.

Imperatrix viva terræ defoditur.

Eodem anno cum fama ad Ottonem quoque pertigisset: Sanctum Adalbertum multis Gnesnæ claresceré miraculis, peregrinationem regio comitatu in Poloniam adornat. Venientem Boleslaus Chabry Mieczislai filius omnibus officiis Imperatoria Majestate dignis excepit. Deductus ad sacras exu-

Otto III Gnesnam peregrinatur venerandas exuvias S. Adalberti.

exuvias Imperator poſtquam pro pietate ſua cor quantum quantum in preces profudiſſet, ſoluto voto pretioſa anathemata ſacro tumulo appendit. Tum in palatio Boleslai lautiſſime habitus eſt. Nec deſiderari in ſe paſſus eſt Boleslaus ullum liberalitatis genus, qui apertis theſauris ſuis magnum auri argentique pondus, & quid quid rarum pretioſumque æſtimabatur, dono obtulit. (d) In ſtuporem raptus Cæſar tanta munificentia, ex viæ comitibus conſilium expoſcit, quam vicem tam liberali Boleslai animo rependeret? ex quibus cum præterea intellexiſſet infimum quemque Imperialis comitatus regiam prorſus liberalitatem expertum, decrevit Boleslaum poſterosque Regia corona nomineque decorandos. Factum itaque eſt, ut dies inſequens multo memorabilior genti Polonæ illuceſceret: Nam Boleslaus in eccleſia Metropolitana Gneſnæ præſentibus Gaudentio Archiepiſcopo omnique Regni nobilitate in Regem unctus eſt. (e)

Idem annus Silveſtrum ordine ſecundum Pontificem maximum ſuſtulit, (f) qui gente Gallus Gerberti nomine cognitus erat. (g)

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 1001

SILVESTRI II. PAPÆ AN. 3. OTTONIS. III. REG. 19. IMP. 6.

BOLESLAI III. AN. 3. THIDDAGI EP. PRAG. 4.

(*a*) Hiſtoriæ patriæ rimas alieno Romanoque cemento obducere conatus præſente anno Hagecius duas inſulſiſſimas de laſciva Ottonis III conjuge item Silveſtro Papa adduxit fabulas, quibus merito abſtinere debuiſſet, ingenueque hunc Annalium patriorum hiatum confiteri. Fabulæ iſtæ Hagecio vetuſtiorem authorem habent, nam & in Godefrido Viterbienſi & Kranzio reperiuntur. Uterque conjugem Ottonis Mariam appellat, Aragoniæ Principis filiam fuiſſe, remque in Italia accidiſſe memorat.

(*b*) Primus Godefridus Viterbienſis, quod conſtat, hanc pudendam narrationem carmine cecinit, quem poſtea Kranzius l. 4, Hiſt. Sax. c. 26. aliique ſecuti. Hodie vero nemo emunctioris naris hiſtoricus eſt, qui fabulam non agnoſcat, hiſtoriisque expungendam moneat, cum inter cetera perquam teſtatum ſit Ottonem III. celibem deceſſiſſe ex hac vita. Conſtat quidem ab eo Joannem Placentinum & Bernvardum Wirciburgenſem Epiſcopos, demum Gerbertum poſtea factum Romanum Pontificem, denique Arnulphum Mediolanenſem Archiantiſtitem Conſtantinopolin miſſos legatos, qui ſibi filiam Conſtantini Orientis Imperatoris in uxorem peterent. Sed dum poſtremus rem omnem feliciter confeciſſet, ut ſcribit Arnulphus: *Imperator primo juventutis in flore defungitur.*

Arnulphus l. 1 geſt. Mediol. c. 12.

(*c*) Viterbienſis & Kranzius tantum trium caſtrorum meminerunt. Hagecius ea vernacule Hradowé; Cyle appellata ait, ſcil caſtra hodierni Comitatus Cillejenſis in Ducatu Styriæ inter Dravum & Savum, e qua domo erat Barbara Sigiſmundi Imp. uxor.

(*d*) Hanc peregrinationem Ottonis ad annum priorem ſpectare jam ibidem oſtendimus in Prætermiſſis, quo loco illam ex veterioribus illuſtravimus.

(*e*)

(*e*) Hic quidem omnium fere Polonorum hiſtoricorum de regia dignitate in Poloniam per Ottonem III. tradu&ta (ſi Anonymum Archidiaconum Gneznenſem excipias) plauſus eſt. Sed præterquam, ut ſuperiore anno vidimus, altiſſimum hac de re apud Ditmarum aliosque coævos ſit ſilentium, jam Baronius ex Petro Damiani Synchrono oſtendit Boleslaum hunc necdum ſub Henrico Sancto Imperatore gaviſum regio nomine. Conatus Stanislaus Lubienskius Baronium refellere vetuſto Boleslai Chobry epitaphio, ſed re&te advertit Clar. Pagius * hoc epitaphium longe poſt Boleslai Chobry mortem poſitum fuiſſe. Et profe&to manifeſtum eſt ex Wippone Synchrono in vita Conradi Salici Imp. Boleslaum Polonum adhuc poſt 24 annos ſub Conradi annum primum imperii regium nomen affe&taſſe. Quod etiam teſtatur Chronicon Quedlinburgenſe his verbis: *Bolislavo Dux Poloniæ obitu Henrici Imperatoris Auguſti comperto, elatus animo, viſceretenus ſuperbiæ veneno perfunditur adeo, ut un&am etiam ſibi imponi coronam temere ſit uſurpatus. Quam animi ſui præſumptionis audaciam divina mox ſubſecuta eſt ultio, in brevi namque triſtem mortis ſententiam compulſus ſubire.* Eadem querela eſt Ottonis Friſingenſis, & Annaliſtæ Saxonis de Miſecone Boleslai hujus filio, qui ajunt: *Miſeconem patrem imitatum, & contra Romanum imperium regale ſibi nomen uſurpaſſe.* Quæ omnia docent: Polonos ſcriptores Chronologiæ vitio laborare, & facile 25 annis hanc in Poloniam tradu&tam dignitatem præoccupaſſe. Id tamen negari vix quidem poteſt, hanc regiam dignitatem jam anno ſuperiore Boleslaum Chobry apud ſedem Pontificiam quæſiviſſe, eoque rem perdu&tam fuiſſe, ut illi diadema a Silveſtro Papa pararetur, quod demum Stephano Hungariæ Principi tranſmiſit, uti ex verbis Bullæ ſuperius prolatis liquet.

Apud Somersberg T. II. p. 79.

Baron. in Annal. eccleſ. ad an. 1000 n 14

Lubiensky in ſerie Epiſcop. Plocenſium.

* *Pagius in critica Baronii ad an. 1000 n. 5.*

Chron. Quedlingburg. ad an. 1025.

Otto Friſing. c. 28. p. 152.

Annal. Saxo ad an. 1030

(*f*) Silveſter nonniſi anno abhinc altero deceſſit: id oſtendit etiam hodie ſuperſtes illius Romæ epitaphium, in cujus fine legitur: *Obiit anno Dominicæ Incarnationis M. III. Indict. I. M. Maji D. XII.*

(*g*) Merito prætermittimus hic inſulſiſſimam, pridemque omnium criticorum calculo damnatam fabulam de Silveſtri magicis artibus, quibus, pa&ta etiam dæmoni pro mercede anima, ad Apoſtolicæ ſedis culmen eve&us. Hanc multa verborum ambage hic tranſcribit in vernaculis ſuis Annalibus Hagecius, exitum tamen, quem multo acerbiorem anteambulones ſui deſcripſerunt, mitigavit aliquantum ex Engelhuſio,

cum

cum memorat: eum tumultu in Capella S. Crucis in Hierosolymis Romæ per nigros spiritus concitato compunctum, publice suum crimen confessum, detestatum, atque veræ pœnitentiæ signa dedisse. Cui exe-
Baronius ad an. 999 n. 3. & seq. crandæ fabulæ jam Clar. Baronius omnium Synchronorum silentium opposuit, ostenditque hanc detestabilem calumniam primum post annos octoginta sub Henrico Imp. Schismatico (qui se se Gregorio VII opposuerat) inventam a quodam Bennone, qui se Cardinalem Archipresbyterum falso venditarat. Merito proinde eandem ejusdem furfuris atque Joannæ Papissæ judicat, vel ideo maxime, quod Sergius Silvestri successor eidem Romæ in Lateranensi ecclesia tam honorificum, hodiedum exstans, epitaphium posuerit, *quod quovis magni nominis Romano Pontifice plane dignum sit.* Et vero declarant quædam fragmenta operum Silvestri epistolæque illius Virum eloquentissimum, & Romana facundia præter morem istius sæculi expolitum fuisse. Hic cum præterea in Mathematicis, Astrologicisque scientiis ad stuporem illius ætatis excelluerit, a rudioribus passim pro Nicromanta habitus est. Nam idem est Gerbertus (perperam illum Hagecius Gilbertum vocavit) de quo Ditmarus Syn-
Ditmar. l. 6. p. 399. chronus: *Optime callebat astrorum cursus discernere & contemporales suos variæ artis noticia superare. Hic tandem a finibus suis* (scil. Rhemensi Archiepiscopatu) *expulsus Ottonem petiit Imperatorem, & cum eo diu conversatus in Magdaburg horologium fecit, illud recte constituens, considerata per fistulam quadam stella nauturum duce.* Ejus acta copiosissime cum vere elegantibus epistolis exposita habentur Tomo X. rerum Gallicarum & Francicarum scriptorum.

PRÆTERMISSA.

Boleslaum III. Bohemiæ Ducem degenerem fuisse filium, moribusque patri pio dissimillimum jam supra ex Cosma ostendimus. Dalimilus,
Dalimil. hist. Boleslav. c. 37. quem posteriores omnes secuti, summo vitio illi dat avaritiam. Adel-
Adelboldus in vita S. Henr. Imp. p. 440. boldus Synchronus crudelitatis eum imprimis damnat, hancque finistrorum suorum fatorum originem causamque præcipuam fuisse scribit. Et quidem, uti ex rerum temporumque combinatione hauritur, ad hunc annum pertinent, quæ de illo laudato loco narrat, nam sequente anno jam Ducatu suo exutum, illique Wladibogium substitutum fuisse, extra omnem controversiam est. Verba sunt Adelboldi: *Mortuo Bulizlao seniore* (scil. Pio) *Boemiensi Duce primogenitus* (imo maximus natu inter superstites filios) *Bulizlaus nomine adepto post patrem Ducatu crudelius*

cæpit

cæpit vivere, quam terra illa pati vel vellet, vel posset. Indigenis igitur illum pro animæ crudelitate execrantibus, timere cæpit, ne a fratrum suorum aliquo, Pragensibus id instigantibus, extruderetur. Ex mala ergo conscientia concepta suspicio instigavit eum ad scelus nefandissimum, perduxit etiam ad facinus execrandum: Nam fratrum suorum unum (Jaromirum) *evnuchizavit, alterum* (Udalricum) *in thermis suffocare tentavit. At illi, unus evnuchus, alter semivivus, in Bavariam a paterna hereditate exclusi fugerunt.* Ditmarus, qui eadem pene narrat, etiam matrem Hemmam simul in Bavariam exactam tradit, cujus verba sunt: *Interim Bohæmiorum Dux Bolislaus, quia potestas consortis & successoris est semper pavida, Jaremirum fratrem evnuchizans, junioremque Otelricum in thermis suffocare cupiens, una cum matre eosdem patria expulit, solusque vice basilisci noxii regnans, populumque ineffabiliter constrinxit.* Nec vero Thiddagus Episcopus Pragensis immunis vexatione, exilioque pœna perstitit, nam hujus triennii periodo, qua imperium tenebat Boleslaus Rufus, crebrius ab eo patria sede que sua exturbatus est, verosimillime quod severioribus quibusque modis eum a sævitia retrahere, atque ad saniora consilia perducere conaretur. Id ex ejusdem Ditmari verbis cognoscimus: *Thieddegus*, inquit, *a sede sua post mortem Bolizlavi senioris ab æquivoco ejus & filio sæpe expulsus, toties a Marchione Ekkihardo reducitur, & magnas patitur injurias.* Dixi: *hujus triennii periodo.* Nam certum est Ekkihardum hunc Marchionem Misniæ jam anno sequente II. Kal. Maji occisum fuisse, ut proinde Thiddagi exilia ad hunc quoque & superiorem annum spectent, quibus toties reductus ab Ekkihardo Boleslai nostri familiarissimo, ut idem Ditmarus laudato loco innuit. Porro cum Adelbol-dus dicat Jaromirum & Udalricum *paterna hereditate fuisse exclusos*, imo alio loco testetur: *quod Boleslaus Jaromirum fratrem in consortio Principatus parem habere noluerit*: Ditmarus etiam exturbato utroque fratre de Boleslao dicat: *quod jam solus vice basilisci noxii regnaverit*, manifeste eruitur (quod alioquin consentaneum est, ut credatur) Boleslaum Pium Jaromiro & Udalrico filiis testamento peculiares regiones Ducatusque in Bohemia concessisse; quanquam quæ regiones istæ Ducatusve fuerint, ne vestigium quidem veteriores posteritati transcripserint. Si Paprocio nostro historiam urbium Bohemiæ scribenti, alterique Stranskio concedenda fides, haud obscure conjicitur Udalrico Klatoviensem regionem hereditate paterna obvenisse; nam uterque memorat jam anno superiore ab hoc ipso Udalrico permissum Klatoviensi-

Ditmarus l. 5 p. 370.

Idem l. 7. pag. 414.

Idem l. 5. pag. 366 & Necrologium Fuldense apud Leibnitium T. III. p. 766.

Paprocius in urbibus p. 225. Stranisky Reip. Boj. p. 67.

bus, ut locum muris vallisque cingerent, ab eodemque urbis nomine immunitatibusque civicis donatum. Reliqua quæ Paprocius ex Joanne Klatovskio de eodem Udalrico refert, merito inter fabulas rejicienda esse autumo, quale illud est; Udalricum visu inter cives Schachidis tabula civium nonneminem ad lusum provocasse, bisque victum in rei memoriam urbi Schachidis tabulam pro armis & insigni dedisse. Cum nemini rei criticæ perito incognitum sit, urbium uti sigilla ita etiam arma posterius enata esse, quorum omnium prima, quotquot hodie supersunt, vix alias imagines referunt, quam quoddam murorum turriumque indicium cum Dei Sanctive, cui primarium urbis templum aut ipsa urbs dedicata erat, simulacro.

ANNUS 1002.

Imbres continui.

Non secus atque ruptis cataractis cœli annus hic, ac cumprimis æstas imbribus continuis terriculosa fuit. Nam & inundationes Albis Moldavæque crebræ, & segetes humore nimio ante maturitatem in agris putruere. Inde evenit, ut frugum inopia, mortalium complurium fames ipsaque mors consecuta sit.

Hactenus mos obtinuit, ut quodam quasi hereditatis jure ad Imperiale ascenderetur solium, filiique patribus Imperatoribus demortuis succederent. Et vero habenæ Imperii id temporis penes Ottonem III. erant, qui veritus, si improlis discederet, ne competitorum factiones, ortaque ambitione bella civilia Germaniam funestis cladibus pessumdarent, consilium iniit designandi ex numero Principum electores aliquos, penes quos posthac summa potestas esset creandi Romani Imperatoris. Placuit omnibus sapientissimum atque in lon-

longum proſpiciens Ottonis judicium, delecti non multo poſt tres numero Principes ex ordine eccleſiaſtico, totidem ex Politico poſthac cum filiis ſucceſſoribusque ſuis Electorum Imperialium nomine atque auctoritate gaviſuri. Primæ delatæ Archiantiſtiti Moguntino cum Archi-Cancellarii per omnem Germaniam dignitate, hunc excepit Archiepiſcopus Trevirenſis provinciis omnibus inter Lombardiam & Gallias Archi-Cancellarius datus, tertius numero delectus Archi-Præſul Colonienſis cum Archi-Cancellarii per Italiam prærogativa. Ab his deſcenſum ad Principum Politicorum nominationem: Archidapiferi Imperiale munus Palatino Rheni, Archimareſcalli Duci Saxoniæ, Archi-Camerarii denique Marchioni Brandeburgiæ collatum. (a) His ſex poſt intervallum bis centum octoginta octo annorum Rudolphi Cæſaris diplomate acceſſit Elector ſeptimus Bohemus, quod ad annum 1290 quære. (b) Quibus ita conſtitutis Otto Ottonis II. filius, cum imperaſſet annis duo de viginti, vitam exuit. (c)

Otto conſtituit Electores & Archiofficiales Imperii.

Otto III. moritur.

Eodem anno Boleslaus Chabry Polonorum Rex nuperno Cracoviæ ſpolio turgidus in Sileſiam, quatenus juris Bohemici fuit, arma intulit quaquaverſum populando omnia. Bohemo Duci ſua tuendi vindicandique nec defuiſſet poteſtas nec animus, niſi ſumma tenacitas, ſumtuumque in expeditiones profundendorum ratio meticuloſum reddidiſſet. (d) Sub hæc adſunt ex Polonia legati, nunciantes regem ſuum ineundæ pacis percupidum conventurum illico de omnibus, ſi Bohemiæ Principi loco aliquo Cracoviæ vicino negotium

Polonus vaſtat Sileſiam.

Offert pacem, conficere placuerit. At Boleslao Bohemó & itineris moleſtiæ, & impendia gravia viſa, quodque cunctationis caput erat, Polono fidere auſus non eſt. Fluctuantem Ducem proditorie Wrſſovecii conſiliis hortatibusque ſuis urgent, atque idipſum adverſus ſeniorum Procerumque ſententiam perſuadent. (e) Princeps tempeſtatem aliquam velut e ſpecula proſpectans, antequam ſe ſe itineri accinxiſſet, Magiſtratibus filium Jaromirum commendat, atque ſi præter ſpem ſibi quidpiam accideret, ſucceſſorem nominandum decernit. (f) Neque tamen ſine milite, eoque ab armis & animis delectiſſimo ad Poloniam profectus eſt. Ad Czarnicium (g) oppidum poſtquam appulit, oratores ſuos ad Polonum præmiſit Cracoviam, literas quibus itineris vitæque ſuæ ſecuritati cautum iretur, expetitum. Et impetravere extemplo legati, quæ cupiebant, & ipſe Polonus Rex tertio die aderat Czarnicii omni amoris ſimulatione omnibusque honoribus ex compoſito Bohemiæ Principem proſecutus. Actitatis biduo bona cum gratia rebus Polonus haud quieſcit prius, quam Bohemo iter Cracoviam uſque perſuaſiſſet. Regio prorſus ſumtu ibidem exceptus habitusque, cum laute hilariterque convivatur, a regiis ſatellitibus capitur, vincitur, inque obſcurum carcerem detruditur. Acerbius fuit comitum ſuorum fatum, qui nequicquam regis fidem hoſpitiique ſacroſancti & inviolabilis jura implorantes extemplo jugulati, ſolis Wrſſoveciis hujus ſeditionis authoribus ex eo tumultu impune relictis. (b) Sub idem tempus appellunt literæ Wrſſoveciorum ex Bohemia, & Kochani, ex eadem ſtirpe inter Bohemos dynaſtas po-

Boleslaus Bohemus ad Poloniam proficiſcitur.

Capitur a Polono.

potentiſſimi tragœdiæque iſtius actoris primarii, Polonum etiam atque etiam hortatæ, ſi ſuæ regnique ſui ſaluti poſthac proſpectum vellet, ne Principem Bohemiæ ſanum, membrisque integris redire ſuſtineret. Hæ literæ maturaverunt ſupplicium Boleslai: nam productus tertio die in œcum Cracovienſis palatii verberibus etiam (indignum facinus!) adhibitis coactus eſt admotas candentes laminas irremiſſe aſpicere, dum oculi miſero effluerent partim, partim exſiccarentur. (i) Cœcatus cum paucis comitibus in Bohemiam remittitur, diuque cœcitati ſuæ ſuperſtes fuit. (k)

Excœcatur Wrſſoveciorū artibus.

ANNUS JESU CHRISTI 1002

SILVESTRI II. PAPÆ AN. 4. HENRICI II. REG. AN. 1.

WLADIBOGI DUC. BOH. AN. 1. THIDDAGI EP. PRAG. 5.

(a) Hæc quidem pene omnium a ſæculi XIII exitu Hiſtoricorum erat perſuaſio ſeptemviratum non quidem a Silveſtro II, ſed Gregorio V. & Ottone III. fuiſſe inſtitutum, penes quem & ſuprema Imperii eſſent officia, & ſumma poteſtas creandi Imperatoris. At nemo pene hodie eruditorum dubitat, ſæculis etiam duobus poſterius Electorum ſeptenarium numerum, uti & Archiofficiorum hereditarium munus cœpiſſe. Noviſſime Duellius veteri illi ſententiæ novum dare viſus fulcimentum, cum ſigillum plumbeum Ottonis III. Imp. ex literis primæ fundationis eccleſiæ Canon. Regul. ad S. Andream prope Traſenam in inferiore Auſtria de Anno 998 produxit, in cujus poſtica parte hæc epigraphe legitur: *Renovatio Imperii Romanorum.* Quam renovationem Imperii Romanorum non alio quam ad reformationem electionis per ſeptemviros cœptæ ſpectare contendit. Sed præterquam quod hæc renovatio Imperii ad quamcunque reformationem referri, ipſamque co-

Miſcellaneorū T. I. p. 429 & T. II. p. 394

ro-

ronationem Ottonis III. in Romanum Imperatorem innuere potuerit, cum facile duodecim annorum intervallo Romanum Imperium capite & Rectore caruerit, id perquam cujusque oculis manifestum redditur: Ottonis sigillum a Duellio productum dissimillimum esse aliis ejusdem Imperatoris sigillis, quæ a Mabillonio, Abbate Gotvicensi, aliisque rei diplomatariæ peritis proferuntur describunturve. Sigilli enim Duelliani ornatus & elegantia ætatem, artificemque pluribus sæculis posteriorem ostentat, quam rude istud in re sculptoria statuariaque sæculum ne-
Chron. Gotvic. l. 2. p. 213. quaquam assecutum est. Et quidem doctissimus Abbas Gotvicensis ob aliam præterea rationem idem diploma sigillumque in dubium vocat, quod barbatum Ottonem præsentet, qui vix ætatis annum *18* compleverat. Id omnium certissimum est, ut synchronæ testantur *historiæ*, hoc integro & sequenti adhuc sæculo ad electionem Imperatoris præter illos ab Hagecio sex commemoratos concurrisse etiam alios Principes, Marchiones Comitesque, immo etiam Episcopos & Abbates, ut senarium illum seu septenarium electorum numerum nonnunquam ter quaterve superaverint. Falluntur igitur cum Engelhusio sectatores *illius*, qui jam anno præsente Henricum II. nonnisi ab his septemviris *electum* scripserunt, cujusce rei adversum plane Adelboldi coævi in ejus vita prostat testimonium. In electione Conradi Salici, qui fuit successor Henrici II., referuntur de nomine 12 Electores de Clero, octo Duces cum Udalrico Duce nostro a Wippone aliisque Synchronis. Multo post adhuc in electione Lotharii adfuere Episcopi decem, Abbates 24. ex provinciis Bavariæ, Sueviæ, Franconiæ, Saxoniæque ut Anonymus
Apud Pezium T. I. p. 570. coævus apud Pezium, & Otto Frisingensis testatur. Fridericum anno
Otto Frising. l. 7. c. 17. 1152 per universos *Principes Teutoniæ & Barones Italiæ* electum fuisse omnia synchrona Chronica historiæque memorant. Henricus VI.
Apud Ludevig. MSS. Reliqu. T. XI. p. 588. adhuc anno 1193 in diplomate suo apud Ludevigium agnoscit, laudatque Archiepiscopi Magdeburgensis suffragium, quod sibi patrique suo in electione Imperiali dederat. Imo post Henrici hujus mortem Ottotonem IV. a diversis Ducibus, Episcopis, & Abbatibus, uti & æmulum Imperii Philippum ab altera Principum, Episcoporum Abbatumque factione electum fuisse constat ex literis authenticis, quas produ-
Baronius ad an. 996. n. 57. cit Baronius, ut cum talpis cœcutiat necesse sit, qui septemviratum Electorum ab Ottone III inductum fuisse sibi persuadeat. Si quis authorum omnium discrepantes sententias cum suis momentis cognoscere cupit, legat elegans opusculum Joannis Guilielmi Jani sub titulo: *Judicia eruditorum de origine Electorum.*

(b)

(*b*) Minus memorem adhibuit animum Hagecius, cum anno primum 1290 Bohemum ſeptimum numero Electoribus adſcriptum ex diplomate Rudolphi, quod ipſe ad annum illum refert, aſſeverat. In hoc enim expreſſis verbis legitur: *Hæc vero jura pincernatus & electoratus nedum dicto Regi* (Wenceslao) *& ſuis heredibus didicimus competere, ſed etiam ſuis progenitoribus abavis, atavis, proavis, avis pure pleniſſime competebant.* Ipſe etiam Hagecius ad annum 1212 Friderici II diploma excuſum dedit, quo is ſe ab Ottocaro Rege Boh. electum profitetur. Bohemum ſub principium erecti ſeptemviratus ſtatim inter Archiofficiales locum obtinuiſſe, paſſim communis omnium eſt ſententia, eſtque jam a ſæculi XII fine notum illud a Martino Polono prolatum carmen:

Martinus Polonus in Chronico.

Moguntinenſis, Trevirenſis, Colonienſis
Quilibet Imperii eſt Cancellarius horum.
Eſt Palatinus Dapifer, Dux (Saxoniæ) *portitor enſis*
Marchio (Brandeburgiæ) *Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.*
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſæcula ſummum.

In hoc uno quædam difficultas pluribus viſa, quod tam Speculum Saxonicum, quam Albertus Stadenſis (quem locum quidem in Annales Alberti Stadenſis poſterius intruſum fuiſſe contendit Clar. Vir Henricus Schütz) Bohemum quidem pincernam conſtituat, ſed, *quia non eſt Teutonicus*, Electorem eſſe neget. Sed non adverterunt quique, quod ſpeculum Saxonicum, ipſeque Albertus Stadenſis (ſi tamen ejus dicta ſunt) loquatur de temporibus Wenceslai I. Regis Bohemiæ, cui, cum nec patre nec matre Teutonica (quod Jus vetus Teutonicum præcipit) eſſet editus, abjudicata eſt anno 1231 Electoralis dignitas, ejusque loco Dux Bavariæ pro Electore cœpit haberi, donec tandem filius ejus Przemyslaus II. Ottocarus Rex Boh. jam matre Teutonica ſcil. Cunigunde Philippi Cæſaris filia genitus electoralem dignitatem vindicavit. De quo copioſius videri poteſt Hiſtoriophilus in primo ſuo Examine Critico p. 36 & ſeq.

In Commentario Critico de ſcriptis & ſcriptoribus Hiſt. p. 53.

(*c*) Hæc quidem minime hoc anno ab Ottone conſtitui potuere, qui jam primo menſe hujus anni mortuus, nec vero hoc aut ſuperiore anno in Germania fuit, quemadmodum id iſthic accidiſſe ratus Hagecius. Mortuus eſt autem Romæ X. Kal. Februarii *febre & Italico morbo,*

bo, ut ajunt Annales Hildeshemenſes, ſeu *puſtulis* (quas hodie paſſim variolas dicimus) ut vult Ditmarus, vel denique *veneno infectus a Creſcentii uxore vidua* ut vult Ademarus Cabanenſis p. 170. Reinerus in vita S. Wolboldonis aliique corpus ejus magno periculo ex Italia in Germaniam tranſvectum, & inteſtinis in Baſilica S. Afræ relictis, Aquisgrani in medio eccleſiæ S. Mariæ ſepultum ſcribunt.

(*d*) Hæc ſi præſente anno acta ſunt, principio ſubque ver accidere debuerunt, nam poſtea Boleslaum Rufum Ducatu ſuo Bohemiaque exturbatum oſtendemus, contra Boleslaum Polonum in Marchiam Budiſſinenſem, Miſnenſemque irrupiſſe.

(*e*) Wrſſovecios præcipuos authores fuiſſe, quod Boleslaus *III.* Ducatu & dein oculis privatus fuerit, anno ſequente dicemus.

(*f*) Hæc ex Coſma nimium quantum amplificavit Hagecius, cujus hic ipſe error eſt, quod Jaromirus illi pro filio Boleslai III. habitus ſit.

(*g*) Eſt veroſimillime hodiernum Czarnovicz in Oppolienſi Principatu trans Oderam haud procul ab ipſa urbe Oppolia diſſitum.

(*h*) Coſmas ait: *ſuos omnes alios trucidant, alios obtruncant alios carceri tradunt.*

(*i*) Facinus hoc tanquam omnium ſumme barbarum multa verbo-
Balb. in Epit. p. 153. rum ambage execratur Balbinus. Excœcationem vero iſtam anno ſequente accidiſſe ibidem oſtendemus, quo loco longe alia hiſtoria, rerumque ſeries ex coævis, qui Coſmæ incogniti erant, proferetur.

(*k*) Anno 1037 defunctum memorat Coſmas. Stranskius duos
Coſmas ad an. 1037 ſupra octoginta annos eum ætatem produxiſſe ſcribit.

PRÆTERMISSA.

I. Ottone III. anno præſente Romæ 23 Januarii præter omnium opinionem primo pene juventutis flore demortuo, ſcena nova in Germania ipſaque Bohemia aperta eſt. Quinque præcipuos Imperii can-

candidatos numerat Adelboldus S. Henrici Biographus: scil. Bennonem Ducem Saxoniæ & Theodoricum, qui tamen heroica virtute Imperialem dignitatem contempsere seu verius neglexere, Henricum Ducem Bavariæ rixosi filium, denique Herimannum Ducem Sueviæ, & Ekkhardum Marchionem Thuringiæ & Misniæ. Postremi istius partes amplexus Boleslaus noster amicitiæ vinculo pridem junctus, atque ut Ekkhardo ad perficienda cœpta sua nec consilio nec opera deesset, spe obtinendæ Imperatoriæ dignitatis miles ejus factus est, sic enim de Ekkardo Ditmarus: *Bojemorum Ducem Bolizlaum, qui cognominatur Rufus, ad militem sibi blandiciis ac minis adipiscitur.* E quibus jam liquet Boleslaum III. adhuc anno præsente post vulgatam in Germania Ottonis tertii mortem Ducatui Bohemiæ præfuisse. Brevi vero Ekkardi conatus in auras abiere, nam quamquam in conventu Werlæ ac Frolæ nullum non moveret lapidem, ut suffragia complura aucuparetur, quibus turgidus sese Hildesheimii pro Rege gessit, tamen aliorum invidiam incurrit, qui eum Paderbornam minime intrare passi, eoque crevit adversariorum suorum odium, ut ultima Aprilis Polithia Sigefrido Comite interfectus fuerit, quo simul omnis concepta spes Boleslai Rufi in puteum cecidit. Is casus, Ekkardique mors Boleslao Polono incredibile offudit gaudium, ac præter moram expedito milite omnes Marchiæ orientalis terras, quibus Ekkardus præfuit, occupavit, causatus hæc Henrici Ducis Bavariæ causa & licentia fieri. *Mox*, inquit Ditmarus citato loco, *collecto exercitu omnem Geronis Comitis Marcham citra Albim jacentem, tum Budissinam civitatem cum omnibus appertinentiis comprehendit, Strelam urbem invadit, atque Misnia urbe eidem tradita omnes regionis illius terminos usque ad Elstrum fluvium præoccupavit, præsidiisque suis muniit.* Cum intellexisset Boleslaus noster, incubare limitibus suis terrisque Polonum, provinciarumque aliarum Principes ad partes Henrici Ducis Bavariæ inclinare, temonem & ipse vertit, quod rursum his verbis Ditmarus innuit: *Alter autem Bolizlaus Bojemorum provisor cognomento Russus, & impietatis auctor immensæ* (videlicet adversus fratres suos) *antiquo more jam paululum refrenato Duci aspiravit Henrico.* Perrupit tandem eo suffragiis, præcipue Principum Rhenanorum, Henricus, ut VIII. Idus Junii Rex nominatus, unctusque fuerit. Mense sequente Julio *Thuringi & Saxones* (quibus se Boleslaus Polonus sociavit) *in festivitate S. Jacobi*, inquit Adelboldus, *Regi occurrunt, acclamatum suscipiunt, visa S. Henrici collaudant, collaudato manus singuli per ordinem reddunt, redditis ma-*

Ditmarus l. 5 p. 366.

Ditmarus eis. l.

Ditmarus ibid. p. 367.

Adelboldus in vita S. Henrici

ribus fidem suam per sacramenta promittunt, fide promissa regem coronant, coronatum in solio locant, locatum debita gratulatione veneran-

Goldastus de Regno Boh. l. 2 c. 4. §. 1. Jordanus in Archi. Pinc. c. 5. p. 70

tur. Multum vero erravit Goldastus & Jordanus, qui eundem locum Adelboldi seu similimum Ditmari referentes per Boleslaum isthic nude sine adjecto commemoratum Boleslaum nostrum Rufumve interpretati sunt, quem iisdem Comitiis Merseburgi interfuisse, & Henrico fidem suam per sacramentum obstrinxisse scribunt. Non erat is Boleslaus Bohemorum, sed Polonorum Dux, quem verbis expressis nominat Annalista Saxo. Idem testatur Chronicon Quedlinburgense & Chronographus Saxo de hoc ipso Merseburgensi conventu loquens his verbis: *Sed & Bolislavonem Poloniæ Ducem occurrisse, & regis gratiam sibi supplicasse fœdere pacis promisso reperiunt.* Idipsum ex posterioribus Adelboldi verbis clare eruitur; subjungit enim: *His strenue peractis Bulislaus inde discedens ab ipsa die, qua fidem promiserat, & promissam sacramento firmaverat, perversa meditari, & meditata prout potuit, cœpit machinari. Ipse enim & Hezelo* (Marchio orientalis Francorum) *collocutione invicem habita alter alterius venenatis consiliis tactus, uterque cœpit, quod utrumque male finisse puduit.* Quæ omnia, uti annis consequentibus videbimus, ad Boleslaum Polonum spectant. Cur autem Boleslaus noster, qui Henrico, ut inquit Ditmarus, aspirare visus, nuspiam Henrico occurrerit, nec ad hæc ipsa Comitia Merseburgi in Julio celebrata advenerit, ut novum Regem salutaret, facilis ratio ex combinatione mensium sequentium reddi potest. Constat namque hoc adhuc anno Boleslaum nostrum exauctoratum fuisse, ipsique jam mense Novembri substitutum Ducem Wladibogium, ut procul dubio hoc ipso jam tempore pridem gliscens populi Bohemi seditio adversus eum in flammas eruperit, ipseque sat superque habuerit se suaque domi tueri; tempestati tamen postremum cedere coactus, uti mox videbitur.

Annalista Saxo ad h. a. Chron. Quedl. ad h. a. Chronographus Saxo ad h. a.

II. Exasperavit mox sub imperii sui exordia Boleslaus Rufus Bohemorum animos, cum torpore suo & cunctatione omnem Cracoviensem regionem cum plerisque transoderanis terris amisit. Subinde *crudelius* (ut Adelboldus ait) *cœpit vivere, quam terra illa* (Bohema) *pati vel vellet vel posset, atque populum ineffabiliter constrinxit, & absque omni lege pietatis tractavit*, ut loquitur Ditmarus. Magis magisque gentis universæ in se inflammavit odium, cum Jaromirum fratrum alterum evnuchizavit, alterum Udalricum in thermis suffocari, matrem vero in exilium abire jussit. Denique procul dubio postremum præ-

sente

sente anno furorem omnium incendit, sibique exitium paravit socordia & timiditate sua, cum invasam Budissinam regionem & urbem (quæ Bohemiæ portio fuit) nec ut decuit, tuitus est; nec a Polono vindicavit. Itaque inquit Ditmarus: *Populus pondus illati facinoris diutius ferre non valens Wolodowejum* (Wladibogium) *qui potestas exercitus interpretatur, a Polenia clam vocans adversus aspidem venenatam absque omni legis pietate suos tractantem, hunc in sedem basiliski illius, id est Bolizlai, dejecto eo, consanguinitatis linea & pietatis affectu unanimiter electum collocavit.* Wladibogius hac ratione communi Bohemorum suffragio, exauctorato Boleslao, in Ducatum evectus haud solio suo firmius fulcrum se inventurum ratus est, quam si Henrici Regis Germaniæ, recens electi, gratiam aucuparetur. Itaque Ditmarus subjungit: *Potiori usus consilio ad Regem* (Henricum) *Ratisbonæ adhuc commorantem proficiscens cum humili subjectione & fideli promissione hunc in Dominum eligit, & quæ postulavit ab eo in beneficium acquisivit, & habitus in omnibus caritative revertitur cum bona pace.* Adelboldus id in Novembri festoque S. Martini factum fuisse his verbis docet: Henricus *Regensburg S. Martini solemnia celebrans Blademario cuidam Sclavo Ducatum Boemicensem largitur, & ut ceteris acceptabilior existat, illum plus justo verbis & rebus honorat.* Uterque author innuere videtur Wladibogium (seu ut alter terminatione familiari nominum propriorum germanicorum in *ar Wladimarium* vocat) ab Henrico Ducatum Bohemiæ in beneficium ejusque largitione accepisse: sed hanc germanorum scriptorum jactantiam jam alias observavere Viri quique eruditi, quod ad Majestatis Regiæ ostentationem arroganter falsoque Regibus Germaniæ jus & auctoritatem Duces quosque finitimos instituendi, Ducatus provinciasque nusquam illis subjectas elargiendi concesserint, qui ex amico accessu & salutatione Ducum nostrorum aliorumque, quam passim recens electis Regibus humanitatis ergo exhibere soliti, nescio quæ vincula subjectionis servitutisque procuderunt. At Wladibogio Ducatum Bohemiæ minime ab Henrico concessum fuisse, testis ipse est Ditmarus supra relatus, qui eum a populo Bohemo *clam* ex Polonia, seu hodierna Silesia *vocatum, unaniniter electum in sedem* Ducalem *collocatum* scribit. Sane si hoc ipso anno (ut idem Adelboldus memorat) Heziloni Orientalium Francorum Marchioni Ducatum Bavariæ petenti respondit Henricus: *Exspectet, ut in Bavariam redeam, ubi si illum elegerint, eligo & laudo, si renuerint, renuo. Legem habent, & Ducem eligendi potestatem ex lege tenent, hanc nedum ego frangam, quicunque fran-*

Ditmarus l. 6. p. 370.

Idem ibid.

In vita S. Henrici apud Leibn. T. III. p. 434

Adelbold. ibid.

gere tentaverit, me inimicum habebit. Si, inquam, Bajoariis, quibus hactenus Reges Germaniæ Duces dare soliti, tantam auctoritatem jusque eligendi esse agnovit Henricus, quis Goldasto aliisque Bohemomastigibus assentiatur, genti Bohemæ, Slavicæ, liberrimæ, nulli subjectionis vinculo obnoxiæ a Regibus Germaniæ pro arbitrio impositos Duces fuisse? Quod res est dicam: Wladibogius iste Dux noster gente Polonus primus fuit, qui quodammodo fenestram aperuit posteriorum quorumque, qui seu Ducatum Bohemiæ ambiebant, seu non satis firmi solio consistebant, ausibus, ut quoties pene ob factiones, æmulorumque pluralitatem ad Ducatum pertingere desperarent, quoties occupato Ducatu se non satis tutos crederent, aut plane auctoritate *omni exutos* viderent, ad Reges Germaniæ Imperatoresque confugerent, *eis se se* submitterent, ab eis etiam precario Ducatum in beneficium acciperent, cum superiores omnes Duces nostri, quemadmodum alias crebro ostendimus, novis electis Regibus Germaniæ non modo non homagium præstiterint, sed vel ipsum tributum annuum a Carolo M. constitutum pendere adversati sint, donec vi armorum cladibusque ad *id* denuo præstandum coacti. Inde est, quod ab hoc Henrico II. Imperatores nonnulli jus sibi in Bohemiam arrogare ausi, adeo ut etiam bellis lacessere occiperent Duces quosque nostros sub eorum imperii principia, nisi se se in illorum curiis conventibusque sisterent, se se eis submitterent, ac quandoque etiam Ducatum ex manibus illorum acciperent. Cui quidem violentæ prætensioni perpetuo obstitere legitimi Duces nostri, universaque gens Bohema, extremum excidium quam istiusmodi servitutem præeligens, quemadmodum legatorum Bohemiæ ad Henricum III. Imp. plena libertatis verba jam alias ex Cosma nostro attulimus. Hæc, inquam, Wladibogii Ducis submissio occasionem quibusque Chronicis præbuit, ut Bohemiam statim sub primos annos Henrici II. subjugatam, ejusque imperio subjectam scribant, cum tamen hæc subjectio vix quidem consensu gentis facta fuerit, quam, uti Ditmarus memorat, paulo post pœnituit, quod Jaromirum Odalricumque Wladibogio huic postposuerit. Quæ fortassis ea ipsa causa est, quod Wladibogius iste in omnibus Chronicis nostris prætermissus fuerit, nec fere uspiam in numero Ducum nostrorum census. Wladibogii autem maxime intererat, gratiam & præsidium Henrici implorare, cum non nescius esset duos legitimos Ducatus heredes Jaromirum & Udalricum præteritos fuisse, non ignarus esset Udalricum in Henrici aula educatum, utrumque cum matre exulem asylum apud eundem quæsivisse, adeo ut

Goldastus de Regno Boh. l. 3. c. 14.

Monachus Hamerslebensis in compendio Henricorum & Chron. Stederburg.

sine

ſine Henrici protectione merito agnoſceret Ducatum ſuum haud firmo pede perſtaturum. Atque ut jam enodemus, quisnam hic Wladibogius fuerit: veroſimillime credendum Boleslai Poloni fratrem germanum ex Miſecone & Daubravca fuiſſe, cum enim Ditmarus dicat eum *conſanguinitatis lineæ affectu unaniniter electum* a Bohemis, nec vero de Polona linea conſanguinitatis alia conſtet, quam quæ per Daubravcam inducta eſt, accedentibus aliis momentis ſupra prolatis vix quidem aliud conjicere fas eſt, quam eum Boleslai Poloni fratrem ex Daubravca fuiſſe, ut enim filium ſtatuamus, vix ætatis, temporis hiſtoriæque ratio admittit. Ultro quidem profitemur apud omnes Polonos ſcriptores de Miſeconis filio, qui nomen Wladibogii tuliſſet, altum eſſe ſilentium, neque ab ipſo Ditmaro præter Boleslaum & Suentepulcum alios nominari, ſed plures, quam unum Boleslao ex Daubravca fuiſſe fratres ipſe Ditmarus, ut mox videbitur, claris verbis innuit, Et quid mirum Polonos ſcriptores id ignoraſſe, quandoquidem nec id quidem eis cognitum fuit, quod hoc anno & tempore Bohemi ex Polonorum gente Ducem Wladibogium habuerint? Quæ ipſa Wladibogii memoria periiſſet procul dubio in hiſtoria patria Polonaque, niſi eam Ditmarus & Adelboldus conſervaſſet. Nam eum etiam omnes hiſtorici Bohemi a Coſma ordiendo prætermiſerunt, ſi unum Catalogum MS. veterum Ducum noſtrorum, qui in Codice Stehlikiano habetur excipias, in quo Wladibogius rite inter Boleslaum & Jaromirum his verbis notatus reperitur: *Octavus* (Chriſtianus) *Dux Wladimoy, de quo nichil boni legitur.* Wladibogium igitur unum ex illis Boleslai Chabry fratribus deputamus, quos ille poſt mortem Meficonis patris una cum noverca regno exturbavit, de quo iſta Ditmarus: *Boleslaus noverca & fratribus expulſis excæcatisque familiaribus ſuis Odilieno & Pribuvojo regnum plurimis dividendum vulpina calliditate cantraxit in unum, atque ut tantum ſolus dominaret, jus & fas omne poſtpoſuit.* Hic, ut ante præoccupavimus, a Boleslao II. cognato pro dignitate exceptus, inque aula illius enutritus veroſimillime quasdam Poloniæ ſeu hodiernæ Sileſiæ terras ab eo impetravit, unde præſente anno a Bohemis evocatus, unanimi ſuffragio in Ducale ſolium collocatus eſt. Quid autem cauſæ fuerit, quod Bohemi legitimos heredes Jaromirum & Udalricum præterierint, huncque alienigenam elegerint, quis Oedipum agat, quandoquidem ejusce rei nequidem certum indicium veteres reliquere? Si ariolari fas eſt, veroſimillime Wrſloveciorum (qui hac ætate Comitum potentiſſimi erant) odium illis maxime obfuit, nam

uxius-

utriusque hoſtes fuiſſe infenſiſſimos, priorisque vitæ inſidiatos, alteri plane ſagitta venenata mortem intuliſſe, poſterioribus annis innoteſcet. Sane hos ipſos Wrſſovecios primarios actores fuiſſe hujus anni tragœdiæ exauctorationisque Boleslai III ex anni ſequentis hiſtoria manifeſtum fit, cum ille reſtitutus in Ducatum ſuum illico omne odium in Wrſſovecvios expleverit, adeo ut generum ſuum ex eadem gente manu ſua obtruncaverit. Quod Bohemi vero Wladibogium Polonum fratrem Boleslai unanimi ſuffragio delegerint, procul dubio hoc ſuo facto Boleslaum Polonum placare illiusque gratiam venari ſtuduerunt, ut Wladibogius noviter electus certum in eo haberet armorum præſidium, ſi Boleslaus, Jaromirus Udalricusve ſeu Henrici Imperatoris ſeu cujuscunque finitimi Principis patrocinium exciviſſet, & fortaſſis ſe ſe ſpe lactabant, ut ereptæ nuper Bohemiæ regiones ab eodem reſtituantur. Sed ad Boleslaum noſtrum redeamus.

III. Cum ſcena iſta ageretur, atque ad ſeditionem prolapſo omni populo Bohemo Wladibogius in Ducem expeteretur, Boleslao Rufo ab omnibus ipſisque ſuis militibus deſerto haud aliud ſupererat, quam fuga ſalutem quærere. Quod rurſum ex his Ditmari verbis diſcimus: *Bolislaus, quæ ſola via fugæ patuit, ad Henricum Marchionem, qui proximus ei tunc fuerat, confugiens, propter illatas ſibi injurias captus eſt.* Marchio iſte Henricus ſeu Hezilo non fuit Marchio orientalis ſeu hodiernæ Auſtriæ Leopoldi filius, ut perperam veteriores quique Bernardus Noricus, Haſelbachius, Arenbekius, Suntheimius, Cuſpinianus, Bonfinius & Chronographus Mellicenſis ſenſere, ſed Marchio Francorum orientalium Comes de Swinfort dictus, quem Ditmarus l. 5. Bertholdi amitæque ſuæ filium vocat. Is ipſus, inquam, qui vix datis ſacramentis ab Henrico cum Boleslao Polono defecit, cujusque filiam Juditham poſtea Brzetislaus Dux Boh. e monaſterio rapuit, & matrimonio ſibi junxit. Ad quem Henrici hoſtem cum fugerit Boleslaus Rufus, hinc ſcribit Adelboldus *eum cum ambobus Boleslavonibus Polanico ſcilicet & Boemico infideliter ab Henrico Rege defeciſſe.* Recte autem hic Henricus Marchio *proximus* Boleslao Bohemo dictus fuit a Ditmaro, marchia enim illius hodiernæ regioni Egranæ erat finitima, ut procul dubio limitum ergo quæpiam controverſiæ inter eum & Henricum enatæ ſint. Nam maxime poſt Boleslai II. mortem, filio Rufo rempublicam negligentius tractante, Marchiones Franciæ orientalis, Nordgavienſes, orientales Auſtriæ, Ducesque Bavariæ limites ſuos

Ditmarus l. 5. p. 370.

Vide Sigismundi Calles Annal. Auſtr. l. 5. p. 300.

Adelboldus l. c. p. 522.

in

in regiones Bohemiæ Moraviæque, ac cumprimis ſaltum Bohemicum, quod terrarum ſpatiis eſſet ampliſſimus, protendere cœperunt. Reperti etiam eremitæ, monachique Bavariæ atque Franciæ, qui hic primum eremitoria ingreſſi, paulo poſt ea in monaſteria transformarunt, non ſine magno Ducatus Bohemiæ diſpendio. Nam cum ex Bavarorum Francorumve monaſteriis eſſent, occupatas per ſe excultasque regiones Bavariæ Franciæque Ducibus vindicare, Bohemum imperium ſubterfugere, atque ab iisdem in beneficium accipere ſoliti ſunt. Quidam quanquam Ducum noſtrorum Ordinumque bona gratia ſe ſe iſthic ſtabiliverint, temporum curſu ſeu bellorum tumultibus ſeu ſomnolentia & oblivione, maxime quod ſua paſſim chartis imperialibus confirmari aſſueverint, hinc factum ut Imperatoribus arma in manus darent, illique jure quodam quæſito terras ejusmodi Bohemis non ſemel diſputaverint, quas ut magis magisque ſibi redderent obnoxias, iſthic caſtra, prædia, oppidaque excitarunt. Multas profecto ditiones ſaltu in hoc Bohemico poſterioribus temporibus partim emerunt, partim reluerunt Reges noſtri Ottocarus I., Wenceslaus II., Joannes, & Carolus IV., quæ ſæculo adhuc X. inter limites Bohemorum, propriæque iſtius gentis fuerunt. Ut autem jam vel quibusdam exemplis teſtatum faciam hoc ipſo tempore, præſertim per ſaltus Bohemici occupationem limites Bohemiæ fuiſſe arctatos: ſcribit Wolfherus de S. Godehardo Altahenſis monaſterii Abbate: *Qui & in monte quodam, qui Helingeresberg dicitur, caſtellum firmum, & in eo eccleſiam pulcherrimam in honorem Sanctæ Matris Chriſti Mariæ, in cujus ſpeciale ſervimen futurus erat, cum condecenti ædificio conſtruxit, & circumquaque maxime tamen in ſaltu Bohemico, qui eidem provinciæ proxime aſtat, ad triginta & amplius manſos labore tantum manuum cum fratribus apoſtolico exemplo ſilvis & vepribus erutis ad uſum utilitatis informavit.* Sic magnus tractus hujus nemoris Bohemici ſimillimo facto abreptus, in quo S. Guntherus primitus eremiticam ducere vitam ſilvasque exſtirpare cœpit, quem inter limites Bohemiæ cenſum fuiſſe indubie conſtat, cum tamen paulo poſt Altahenſes eum ſibi privilegiis ab Imperatoribus confirmari quæſiverint, obtinuerintque. Imo leguntur quæque diplomata tam Henrici II. Imp. quam ſucceſſorum, in quibus Epiſcopis, monaſteriis, Comitibusque finitimis Bohemiæ *omne jus & utilitas, quæ contra Bohemos conquiri poteſt*, pleniſſime conceditur, quemadmodum iisdem verbis adhuc Henricus IV. Eigilberto Epiſcopo Patavienſi poſt annos facile 50 dedit. Quot quantisque auſibus, præſertim minus vigilantibus

Wolfherus in vita S. Godehardi.

Apud Oefel. T. I. p. 708.

Du-

Ducibus noſtris, quantum limitibus Bohemiæ abreptum fuerit, quis non videt. Maximum autem limites Moravici per irruptionem Polonorum ſequente anno factam detrimentum acceperunt. Nam licet Boleslaus Polonus vix integro lapſo anno Ducatu Bohemiæ iterum fuiſſet exutus terrisque exturbatus, tamen Poloni Moraviam retinuerunt, nec toto Jaromiri imperio illa recuperari potuit, donec tandem Odalrico fortuna benignior arriſit, qui eam Bohemiæ rurſum vindicavit, atque in ejus rei memoriam numum excudi fecit, quem ſuo loco producturi ſumus. Hoc igitur ſtatu Moraviæ, dum Poloni alienam regionem uſurparent, & ſat ſuperque haberent, ut eam adverſus Bohemos tuerentur, minus habitatas & per Hungaros pridem vaſtatas meridionales terras Moraviæ neglexere, quas habitandi excolendique liberum Germanis aditum reliquere, in has Marchiones orientales ſubinde jurisdictionem omnem exercere cœperunt, ut hac ratione poſt paucos annos legantur uſque ad Thejam confluentemque illius cum Morava ſe ſe hac parte explicuiſſe, progreſſuri etiam ulterius, niſi poſtea Brzetislaus conſtitutus Marchio Moraviæ eos intra limites continuiſſet, quædam etiam ademiſſet.

ANNUS 1003

Jaromirus in ſolium Ducale evehitur.

Univerſa Bohemorum gens indicto Wiſſehradi per Boleslaum cœcum, magiſtratusque die Jaromirum Ducem eligunt, electum in ſolium extollunt, officiisque & ritibus, qui Ducibus Bohemiæ adhuc proprii erant, proſequuntur. (a)

Erant eo tempore Wrſſovecii nobilitate generis & opum affluentia omnium ſpectatiſſimi, poſteri enim erant cujusdam Comitis Wrſs, qui olim Czechi Lechique peregrinationis comes e Croatia in Bohemiam advenerat. Idem ille Wrſs Co-

Comes auream naſſam, quæ Slavico idiomate idem nomen notat, in campo cæruleo pro armis generisque inſignibus gerebat. (b) Divitiæ ex plurimarum regionum caſtrorumque acceſſione copioſaque ſobole perpetuo auctæ eo arrogantiam poſterorum hujus gentis incenderunt, ut felicitati ſuæ haud aliquid deeſſe putarent, quam Ducale nomen, totiusque terræ principatum, quem cum primis ſtirpis ſuæ capiti Kochano evenire cupiebant, quod tamen haud aliter quam exſtincta Przimislæa progenie ſe conſecuturos ſperabant.

Wrſſovecio-rum potentia et arrogantia.

Ambiunt Ducale nomen.

Diei, cujusdam diluculo aderat ex condicto in Principis palatio Wrſſoveciorum non minima manus Jaromirum ſpe malaciæ, quam ortus diei illius pollicebatur, ad venationem invitans, nec quievit prius, quam id optimo nihilque male ſuſpicanti Duci perſuaderet. Prodiit ergo Jaromirus in vicinos ſaltus contra Mizam fluvium miſtus Wrſſoveciorum globo duntaxat duobus venationum magiſtris Howora atque Hrziwecz ſtipatus. Conjugi Jaromiri nomine Strziskæ domi adhuc in lecto relictæ interea per ſomnium ſpecies imminentium rerum cœlitus oſtenſa eſt. (c) Viſum ei nempe S. Joannem lecto ſuo adſtantem intueri, admonentemque de ſummo mariti periculo ac præcipientem præter moram quinquaginta armatos in vicum Hesko expediret, (d) offenſuros iſthic certos indices ad ipſum uſque Principem. Expergefacta ſimulque exterrita Strziska paruit extemplo cœleſti viſo. Interea diſtracta per ſilvas venatoria turba Wrſſovecii perpetuo latus Jaromiri cinxere quæritantes illum in locum ſolitarium pellicere. Perductum tandem in montem Weliz violenter

Jaromirum ad venationem pelliciunt.

equo deturbant, veſtibusque nudatum humi ſupinum furcillis affigunt, mox in equos ſublati contemtim nec præter periculum tranſiliunt. (e) Optimus Princeps omnis conſilii vacuus Dei Divique Joannis opem voce contenta implorat, quæ riſu excepere blaſphemi homines, nec Dei nec Divorum ope e manibus ſuis eruendum reponentes. (f) Saltando tandem inſultandoque feſſi vincula laxant, ſublimemque erigunt. Sub hæc fortuito adfuit venatorum Magiſter Howora, qui ex longinquo nudum Ducem aſpiciens mox calcaribus admotis ad præcipitem curſum exagitavit equum circumſpiciens undique Domino ſuo auxilium. Et hem caſu incidit in expeditum Praga militem, qui alligatis in proximo vico equis Jaromirum per ſaltus pedes quæſierat, (g) His obiter edoctis & quo loco res Jaromiri eſſent, & qua acceleratione opus eſſet, ſtimulo fuit ut ſe in pedes cojicerent, equoque præcurrentem ſequerentur, ubi conſpectum eorum ſubterfugerit, illac curſum intenderent, unde venatorii ſui cornu ſonum venire intelligerent. Interea Wrſſovecii infelicem Principem arbori alligaverant, certatim jacula in miſerum contorquentes, ſed ea tela vana abiere Viro quodam, quem Jaromirus clare ſuis ipſe oculis aſpexit, mortiferas arundines arcente, pallioque excipiente. (h) Howora ad bacchantium clamorem & inconditos jubilos propius incaute adequitans a Wrſſoveciis circumfuſus captusque eſt, moxque metu, ne prodantur, Hrziweczio alteri venationum Magiſtro perduellisque facinoris complici in poteſtatem traditus, atque ut arbori ſublime appenderetur juſſus eſt. Howora intentato ſup-

Equo deturbāt ludibrio habent

Howore de liberando Jaromiro ſollicitudo.

S. Joannis præſidio a ſagittarum impetu defenditur Jaromirus.

Howore intentatur ſupplicii a Wrſſoveciis.

pli-

plicio haud multum ſe ſe opponens hoc unum orat: veniam facerent, quod unum ei ſemper in deliciis fuiſſe ajebat, bis terve venatorio cornu ſuo ſe ſe ad ſupplicium leviter ferendum animare. Riſu petitioni ſubſcriptum ab omnibus. Vix primum tubulo ſuo cantum cienti laqueus injicitur, quercumque aſcendere cogitur, aſcendenti Wrſſovecii opem ferunt cum monito ne buccinationes conceſſas tardaret. Altera igitur præſtita ad compatrem ſuum ſimulque carnificem Hrziweczium verſus eidem ſuprema voluntate uxorem & liberos commendat. (i) Altius aſcendenti inclamat Kochan Wrſſovecius ediceret cum veritate (niſi jaculum ſuum corpore mallet excipere) quo haud multo ante equo ſuo feſtinaſſet? Howora quibus artibus poterat feſtinationem ſuam perpurgabat. (k) At vero inſtat Hrziwecz, ut tandem tertium poſtremumque buccinet, verum deliberatores ſuos circumquaque explorans infelix venationum Ducalium Præfectus perpetuo tardavit moræque moram nexuit non ignorans cunctatione ſalutem ſuam Jaromirique pendere; ſub hæc adſunt buccinæ ſonitum inſecuti Pragenſes, inſultu in Wrſſovecios facto diſpergunt hoſtilem manum captis numero tredecim, reliquos veſtigio perſequuntur. Hrziweczius conſternatione e quercu præceps lapſus, crus fregit, quem cum deferre Pragam haud valerent: perſuadebant Howoræ, ut compatri ſuo idem beneficium impenderet, quod ſibi conferre meditabatur; itaque in eadem quercu, ex qua pendere jam jam debuit Howora carnifici ſuo ipſe gulam fregit. (l) Kochanus omnis ſceleris author elapſus ſub prærupto ſaxo ſe

cunctatione ſua ſalutem ſibi & Principi parat.

Wrſſovecii diſperguntur liberatur Jaromirus.

Hrziwecz laqueo appenditur.

ferarum latibulis arborumque racemis texit. (m) Sed præcipua Pragenſium militum cura erat de Jaromiro, ſi viveret, aut quo loco conſiſteret. Nec mora deductis in montem oſtendit Principem ſeminecem quercui implexum culicum, tabanorum, crabronumque aculeis & morſibus miſere compunctum depaſtumque, quem illico arctiſſimis vinculis ſolvunt. (n) Iter retro aggreſſis una fuit fidelitatis Howoræ prædicatio, meritorumque ac præmiorum penſitatio. Multa illi promiſſa, ſed majora etiam promiſſis præbuit Ducalis liberalitas, nam prædiis optimis Kublovio, Braumio, Trubinio, Hudliczioque eum renumeratus eſt. (o) Ingreſſus deinde Jaromiri in urbem triumpho ſimillimus fuit: multitudo infinita civium obviam cum plauſu effuſorum, læta omnium acclamatio, cultusque officia haud majora eſſe poterant, quam ſi ab inferis Principem ſuum recepiſſent. (oo)

Howoræ laus & præmium.

Triumphabundus Pragæ excipitur Jaromirus

Jaromirus ut gratum animum ſuum magis magisque teſtatum faceret, præconum voce non modo venerationem Howoræ a populo deferendam eſſe juſſit, ſed & Dominorum Bohemiæ ordine cenſendum ſecundasque illi cum progenie poſt Principem partes concedendas eſſe decrevit. Quod denique ſtirpi ejus perpetuæ ſimul memoriæ atque honori eſſet, Ducalis Venatoris præfecturam, quæ hactenus penes prædium Stebna erat, eidem poſterisque ſempiternum tranſcripſit. (p) Nec iſthic quievit liberalis Jaromiri animus: nam haud multo transmiſſo tempore coram ſenatu omni identidem Howoræ non ſecus ac conſervatoris vitæ Principatusque ſui ſumma prædicare merita conſiliumque exquirere, quid

Howoram Dominorum ordine cenſes primum.

quid præterea emolumenti decorisque illi posterisque ejus adjiciendum esset ? Et vero bene cupiebant omnes viro fide tanta erga Principem conspicuo, omniumque una sententia erat: Imperiali etiam immunitate ac nobilitate dignissimum esse. (q) Missus igitur præter moram cum legatione Ratisbonam ad nuper electum Henricum II. Cæsarem, qui pensatis Viri meritis eum primo nobilitatis gradu decoravit, datis augustalibus literis, ut ei posterisque pro gentilitio insigni liceret uti duobus nigris quercinis ramis decussatis in campo aureo, quorum uterque ramus quinque nodos ostentaret. (r)

Posthæc Jaromirus inauspicatam quercum supplicii sui instrumentum a radice evelli jussit substituta in locum ejus ara, quam templo Divi Joannis Baptistæ nomini sacro monasterioque Ordinis S. Benedicti sepsit. Monasterium istud nomine S. Joannis in Weliz multum celebre uti ab eodem Duce ita successoribus plurimis prædiis ac immunitatibus donatum fuit. (s) Stetit usque ad Wenceslaum Caroli IV filium, sub quo Hussitarum furore eversum est. (t) Quod ad Wrssovecios attinet: educti illi in pratum Borzina, sententia Primorum jugula sua carnificis securi præbere jussi Kochano eminus clanculum ringente, minas vindictamque spirante.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI 1003

JOANNIS XVIII. PAPÆ AN. 1. HENRICI II. REG. 2.

BOLESLAI III. *iterum* AN. 4. THIDDAGI EPISC. PRAG. 6.
BoleslaiPoloni uſurpatoris 1.

(*a*) Jaromirus hoc anno ad Principatum necdum pertigit, præfuit enim adhuc Wladibogius, quo demortuo rediere quidem in Bohemiam Jaromirus & Udalricus, ſed ope Boleslai Poloni extemplo a Boleslao Rufo ejecti ſunt, qui cum non multo poſt ab eodem Polono ſimulatione amicitiæ fraudulenter excœcatus fuiſſet, Polonus univerſam Bohemiam Moraviamque exercitu inundavit, ſibique ſubjecit. Quæ omnia in Prætermiſſis coævorum teſtimoniis illuſtrabuntur.

(*b*) De origine gentis hujus ejusque clypeo, jam copioſe crebriusque alias & cumprimis P. II. p. 147 item 192 egimus, ubi ſimul oſtendimus clypeorum gentilitiorum rationem temporibus iſtis minime reſpondere. Nec vero id uſpiam a veteribus proditum, quæ pene una recentiorum vox eſt, Wrſſovecios maſculo Ducum Bohemiæ ſanguine ſatos fuiſſe. Coſmæ ſolum Wrſſovecios conſpirantes inducentis verba ſunt: *Homuncio* (Jaromirus) *alga vilior, qui ſuper nos debet eſſe major & dominus vocari. An non invenitur inter nos melior, qui & dignior ſit dominari?* Id certum in tanta æſtimatione habitam hanc ſtirpem, ut Duces noſtri minime refugerent eis in matrimonium filias ſuas dare, quemadmodum & hoc ipſo anno Boleslai tertii filiam Wrſſovecio nuptam fuiſſe ex Ditmaro conſtat, ut paulo poſt in Prætermiſſis referemus.

(*c*) Hoc cœleſte oſtentum ſomniumque primus omnium compendio retulit Pulkava ad annum 1000. Nominis vero Strziskæ inventor primus eſt, quod conſtat, Hagecius.

(*d*) Is vicus veroſimillimum hodiernum Hiskow eſt ſupra Beraunam ad fluvium Miſam a ruderibus Monaſterii Weliz haud longe remotum.

(*e*)

(*e*) Hæc ex Cosma hausit Hagecius, cujus verba sunt: *Capiunt Dominum suum & crudeliter ligant, atque nudum & resupinum per brachia & pedes ligneis clavis affigunt humi, & saltant, saltu ludentes militari, saltantes in equis trans corpus sui heri.* Cosmas l. 2. ad an. 999.

(*f*) Pulkava id factum scribit: *ob magnæ devotionis ardorem, & reverentiam*, quibus a pueritia sua Sanctum Joannem Baptistam summopere studuerat honorare.

(*g*) Cosmas qui primus omnium hanc tragœdiam Jaromiri laconice posteritati transcripserat, uti de somnio uxoris silet, ita contra ait: *Hovora velociter currens Pragam, quod factum fuerat, Ducis nunciat amicis, & eadem hora deducit eos ad turpe bravium sine mora.* Idem ibid.

(*h*) De hoc nihil rursum Cosmas, primum vero vibratorum in Jaromirum telorum, uti & repentini a S. Joanne lati auxilii prolatorem Dalimilum reperio. Dalimil. c. 34.

(*i*) Et hujus narrationis primus author est Dalimilus.

(*k*) Horum Hagecio vetustiorem non invenio.

(*l*) Numerus captivorum, uti & Hrziweczii in furcam acti narratio eundem Hagecium primum fontem habet.

(*m*) Cosmas de omnibus Wrssoveciis insultu Pragensium conterritis dicit: *Diffugiunt, ut vespertiliones per silvarum latebras.*

(*n*) Crugerius hanc scenam ad VIII. Junii probabiliter lusam fuisse autumat, ac proinde totam narrationem diei isti illigavit. Sed quæ rationes probabilitatis suæ fuerint, nuspiam prodidit. Cruger. in suc. Pulv. ad 8. Junii.

(*o*) Cosmas hanc narrationem innexuit quidem anno 999 sed verbis claris testatur id post excœcationem Boleslai Rufi, adeoque serius hoc anno accidisse.

(oo) Hæc univerſa narratio comice magis, quam vere hiſtoriceque deducta eſt, quæ veroſimillime Dramatis more concinnata pro genio illorum ſæculorum e quibusquibus demum ſcholis Benedictinis Bohemiæ prodiit. Nam Coſmas ſimpliciter ait: *ſolventes eum & vehiculo ponentes deferunt Wiſſegrad urbem.*

(p) Coſmæ ſolum verba ſunt: *ut quam ipſe Hovora, tam ejus proles poſtera ſit inter nobiles & ingenuos in æternum & ultra. Inſuper dant ei dignitatem venatoriam, quæ pertinet ad curtem Sthecznam, quam ex tunc & uſque modo per generationes ejus poſſident nepotes.*

(q) His ſubjicit noſter P. Victorinus: "Howora Berkiani ſtemmatis, & reliquorum a quercu denominatorum communis parens cum ſuis poſteris in ſupremum venationum Præfectum & primum a Principe Bohemiæ dominum cum ſuis poſteris auctoritate Cæſarea ſublimatus, familiam ſuam adeo amplam atque honoratam reddidit, ut ejus progenies præter Berkarum ſtirpem in tres principes lineas diviſa, nempe Dominorum de Lippa, Ronow, & Lichtenburg (uti ad annum 1130 notabimus) non modo præcipuas regni dignitates & gubernia, ipſumque, ut vocaut, Mareſcallatum hereditario jure obtinuerit, verum etiam felicibus connubiis in Principum & Regum Bohemiæ cognationem ſuo tempore ſe ſe inſinuarit. Sed hæc tam late diffuſa Hovoreorum ſimul & Berkarum domus temporum bellorumque viciſſitudine penitus defecit in Illuſtriſſimo & Excell. D. Franciſco Antonio Berka S.R.I. Comite Hovora de Duba & Lippa: qui a prima ætate Aulæ Cæſareæ obſequiis adhibitus, in Hiſpaniam primum recens nati Archiducis Auſtriæ Joſephi Romanorum poſtea Imperatoris nuncius, deinde obſeſſa a Turcis Vienna ad omnes Imperii Electores & Principes laboranti urbi ſuppetias rogatum, quin & ad omnes Italiæ Principes, ad Sueciæ, Daniæque Reges, in Holandiam item tractandæ pacis & fœderum cauſa, ad Rempublicam demum Venetam Orator ablegatus, cum ſupra decies centena millia de ſuis facultatibus, ſexque & viginti annos publicis illis impendiſſet expeditionibus, pluribus autem annis Imperatori ab intimis fuiſſet conſiliis regnique Bohemiæ Mareſcallus (quem dignitatis apicem trecentos quadraginta propemodum annos Berkiani Lippæique tenuere) tot tantisque pro Domus Auſtriacæ Regnique Bohemi felicitate laboribus

„ bus functus Viennæ mortalitatem exuit die 24 menſis Aprilis An. „ 1706 æt. annorum unde ſexaginta nullo ex Catholicis ſuperſtite hu- „ jus nobiliſſimæ ſtirpis herede. Jablonæ in RR. PP. Prædicatorum „ templo, quod ipſe regia pene magnificentia ædificarat, ſepultus, cum „ ſepulchro omnem ſuam ſecum proſapiam intulliſſet. Hic eſt nobiliſ- „ ſimus ille Mecœnas, qui teſtamento cavit, uti in præſentes Hagecii „ Annales ſumptus fierent. „ Quæ tamen pia ejus voluntas invanum abiit. Cum enim poſſeſſiones illius fortunæque ad alias agnatas familias tranſiiſſent, nemoque Hagecio in latinum transferendo diu manum adjeciſſet, P. Victorinus haud par amplius inventus ut hæc ultima ſua voluntas etiam tabulis regiis roborata ad effectum perduceretur. Ceterum qui de Hovoræa familia plura legere cupit, adeat Diadogum Paprocii in Dominorum ordine, item Beklerum, qui de hac ſtirpe peculiarem hiſtoriam ſcripſit.

(r) Hæc omnia fuſius proſecutus eſt laudato loco Paprocius, ſed nemini hodie rei criticæ perito perſuaſurus eſt eam clypei gentilitii, hujus normam coloresque recte ab hac ætate & ſæculo jam repeti, minus Duces noſtros ſuorum nobilitatem ab Imperatoribus precario & per legationes quæſiiſſe, qui in his erogandis non modo jure abſoluto gaudebant, ſed etiam Bohemam nobilitatem Imperiali illuſtriorem intra limites Ducatus ſui perpetuo manu tenuere. Nam etiam Principes, Comitesque Imperii quoties ſe ſe in poſſeſſiones Bohemiæ immiſerant, non alia prærogativa erant conſpicui, quam ea, quam eis Ordo ſeu Equeſtris ſeu Dominorum a capta poſſeſſione in Comitiis concedebat. De quo jam alias plura diſſeruimus.

(s) An Weliz in juſtam monaſterii formam unquam tranſierit, præſertim an jam a Jaromiro cœptum conditumque fuerit minus credibile: Vocatur adhuc in diplomate Ottocari regis Bohemiæ dato anno 1205: *Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ in Veliz ſuffraganea* ſcil. cœnobii Inſulani ſeu Oſtrovienſis. Quin in eodem diplomate, quod omnes donationes a prima memoria monaſterio Inſulano factas recenſet, adhuc ſub Brzetislao, qui Bohemiæ ab anno 1037 præfuit, nominatur ſolum Capella. Sic enim ibi: *Circuitum quoque ſilve, que dicitur Zaton & capellam beati Johannis Baptiſte cum omnibus ad eam pertinentibus*, quam eandem Brzetislaus cœnobio Inſulano donavit. Ita ut quidem *Pitter in vita S. Gunthari p. 152.* *Ibidem pag. 153*

hæc eccleſia in memoriam rei a Jaromiro condi potuerit, at incolas Ordinis S. Benedicti ex Inſulano cœnobio quosdam poſterius accepit. Unde recte Reverendiſſimus Pitter: *An Velix verum fuerit monaſterium, ut quidam aſſerunt, res multum anceps eſt. Aliud enim fuit eccleſia & reſidentia, aliud monaſterium.* Præpoſituræ nomine nonniſi locus notatus reperitur in antiquioribus. Et Balbinus hæc refert: *ſcribit Pulkawa ſuo tempore* (ſcil. exeunte ſæculo XIV. & nonniſi quinquaginta annis ante devaſtationem hujus loci) *non plures quam duos in Velix vixiſſe Religioſos Viros.* Sed ad quale Pulkawæ exemplar provocet Balbinus cum ignorantiſſimis ſcio: Nam hujus binarii numeri mentionem non invenio in ſincero Pulkawæ MS., quod proxime typis excuſurus ſum, in quo hæc plane contraria verba leguntur: *Et plures degunt* (Velizii) *Monachi ſub regula S. Benedicti*, quæ eadem verba habentur in interpolato Pulkawæ exemplari a Ludewigio & Menkenio edito per capita diſpertito, quod tamen intendiſſe videtur Balbinus, cum ad ejusdem c. 28. provocet, quo ſuperiora verba referuntur. Et vero cum ex Pulkava aliisque monumentis conſtet ſæculo XIV. hunc locum Præpoſituræ nomen tuliſſe, credibile eſt præter Præpoſitum plures Monachos Inſulanos iſthic coluiſſe. Non memini tamen Præpoſituræ hujus quodpiam diploma, aut Præpoſitum nomine relatum unquam in oculos meos incidiſſe.

Idem ibid.

Balbinus in Ep. p. 155.

Balbin. in Auct. hiſt. S. Mentis p. 9.

(*t*) Balbinus de ruderibus hujus loci ſacri hæc refert: *Velix in monte arduo locus uno ab arce, quam Tocznik dicunt, milliari Rakownicium verſus exſtat in altiſſimis ſilvis. Hodie ignoraretur nomenque amiſiſſet ſuum, niſi pauculorum in ea vicinia ſenum retineret memoria.* Adfert præterea eodem Auctario I. Chronographicum, quod, ut ibidem ait: Welizenſibus parietibus inſcripſit antiquitas: *boC LoCo e CbrIstIanIs CzeCbIæ prInCIpIbVs VIII. ſerVata eſt VIta, qVo faCInore perkæIs LIppæIsqVe proCerIbVs nobILItas parta eſt.* E quibus parietibus hoc Chronographicum exſcripſerit Balbinus, cum paulo ante teſtatus ſit locum ruderibus obſitum pene ſuo ævo ignoratum nomenque amiſſurum fuiſſe, tantundem ſcio. Ante Huſſitica tempora appoſitum fuiſſe vix mihi quidem perſuadeo, quo num Chronographicorum uſus fuerit, res admodum dubia. Annus certe 1003, quem Chronographicum iſtud indicat, & qui ex Hagecio hauſtus eſt, aperte falſus eſt, ut taceam Jaromirum non numero *octavum* ſed *nonum* e Ducibus Chri-

Boleslaus. III.
Wladiboius.

UNIV.



Christianis Bohemiæ fuisse, quemadmodum jam ante ex Stehlikiano Codice de Wladibogio, qui rite isthic *octavus* adstruitur, ostendimus. Simile Chronographicum posterius effinxit Crugerius, quod *muro illius veteris Welizensis templi adscribit*, quodque apud illum legi potest. *Crugerius ad Sunii p. 47.*

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno Wladibogium Bohemiæ Ducem demortuum fuisse narrat Adelboldus his verbis: *Interea Bladeimarius* (Wladibogius) *Dux Boemiensis moritur.* Mortem autem illius ante quadragesimam accidisse ex posterius referendis manifestum fit. Nam juxta prodita Ditmari jam Boleslaus III. tum in Ducatum Bohemiæ restitutus fuit. Cum Codex Stehlikianus sæpe laudatus ait: *de eo nihil boni legitur.* Ditmarus vitium quoddam potandi in eo prodit, ait enim: *de quo* (Wladibogio) *rem unam incredibilem dico, sed non alicui Christiano imitabilem, quod hic nunquam sine potu unam horam perdurare valuerit.* Ex quo ipso conjicitur: Wladibogium hunc Boleslai Poloni fratrem non filium fuisse; ex temporum enim combinatione liquet, illum, si filius fuisset, vix ætate annum 15 æquaturum fuisse præsertim cum Miseconem primogenitum fuisse constet; Quantulæ ætati vix quidem ejusmodi potandi pruritus concedi potest, ut taceam imperio Bohemo haud satis idoneam futuram fuisse. Hæc autem attulimus, ut sinceri historici partes tuiti videamur, cum etiam ea, quæ in aliquod dedecus Ducum nostrorum vergunt, minime transilimus. Quanquam, cum is gente Polonus fuerit, Polonorum interfit, eum ab hac macula vindicare aut perpurgare. Ceterum ut jam supra memoravi: Wladibogius iste omnibus patriis nostris scriptoribus usque ad Weleslavinum ignoratus fuit, cui ipsi præter nomen vix aliud fuit cognitum, nam fraterne an filius Boleslai III fuerit a nemine vetereriore annotatum fuisse scribit. Balbinus ex Adelboldo & Ditmaro jam majorem ejus cognitionem innuit, quanquam in pluribus falsus, ut mox infra referemus. Idem Balbinus laudato loco scribit: *Crugerius* (quo loco id scribat Crugerius me latet) *ei uxorem appesuit Wladibogkam, qua authoritate nescio, suspicor hoc nomen ex Wladibojo marito fictum esse.* Qua in re minime dissentio Balbino, nam Crugerii in rebus ejusmodi fingendi libertas non uno loco prodita est.

Adelboldus in vita S. Henrici ad h. a.

Weleslavinus in Calend. in Boleslao III. Balbin. in Dec. 1. l. 7. c. 17.

II. Quemadmodum altiſſimum inter primos vetuſtosque patrios hiſtoricos de Wladibogio ſilentium, ita illis penitus incognitum erat Boleslaum III. ante excœcationem ſuam Ducatu ſuo privatum extorremque patria fuiſſe. Hagecius, quod ſcio, primus e noſtris mentionem facit Ditmari in Catalogo Authorum Annalibus ſuis præmiſſo, ſed idem ſimul haud lectoribus obſcurum reliquit Ditmarum a ſe nunquam lectum fuiſſe, in hoc enim notitiam Wladibogii, ibi exauctorationem reſtitutionemque Boleslaii III. in Ducatum, ibi centena alia, quæ prioribus annis ex Ditmaro retulimus, inveniſſet. Et vero neque Balbinus unquam, quod plurimis manifeſtisque indiciis proditum eſt, Ditmarum & Adelboldum, ad quos tamen provocat, in fonte legit. Plura ille ex iis omnino adfert, ſed haud alia, quam quæ ex Fabricio & Goldaſto excerpſit, quorum uterque cum non raro cogitatus ſuos, ne dicam figmenta, veterum verbis immiſcuerit, poſterior etiam ea ſolum excerpere ſolitus, quæ ad inflammandum Ferdinandi Imp. adverſus Bohemos odium facere videbantur, quid mirum Balbinum ſæpe hæſitare *de temporibus* hiſtoriisque confuſis, queri, germaneque confiteri ſe modum ad conciliandum, aut viam e labiryntho emergendi non invenire, quam una ei Ditmari & Adelboldi lectio (quorum poſterior cumprimis vitam S. Henrici Chronologice ſcribit) aperuiſſet. In eodem itaque Adelboldo atque Ditmaro expeditam Chronologiam inveniſſet Boleslai III., Wladibogii, & Jaromiri, de qua multum laudato loco & in Epitome ſua his verbis queritur: *Triginta iſti anni* (ſcil. ab anno 1000) *multum Bohemicos Annales meditantibus parient confuſionem.* Non ille Wladibogii imperium Boleslai III. excœcationi præmiſiſſet, non illum fratrem Boleslai, Jaromiri, & Udalrici feciſſet, nec denique ibidem ſcripſiſſet: *Ego exiſtimo Bohemiæ Principatu depulſum Boleslaum III. Wladibojo ceſſiſſe, in Miſnia tamen aliqua loca (quæ alioqui tunc ad Bohemiæ Principes ſpectabant) retinuiſſe.* Legiſſet, inquam, poſt mortem Wladibogii primum excœcatum Boleslaum III, eum gente Polonum fuiſſe, Boleslaum exulem prius ad Henricum Marchionem orientalem, demum Boleslaum Polonum confugiſſe, a quo, expulſis Jaromiro & Udalrico, in Principatum reſtitutus eſt. Jam vero, quæ mortem Wladibogii ſubſecuta ſunt, quæque ad hunc ipſum annum ſpectant, a Ditmaro & Adelboldo denuo mutuemus: *Mortuo* (inquit Ditmarus) *interea Duce Wlodeweio* (Wladibogio) *fratres prædicti* (Jaromirus & Udalricus) *una cum matre* (Emma) *expulſi a Bohemenſibus pœnitentia du-*

Ibid. in Notis & in Epit. p. 157.

Ditmarus l. 5. p. 371.

ductis revocantur. Morabantur hoc medio tempore Jaromirus & Udalricus cum matre ſua in Bavaria, ut ante ex Ditmaro legimus, an in aula Henrici Imperatoris (qui Wladibogium in Principatu Bohemiæ confirmaverat) etiamnum perſtiterint, nihil a veteribus proditum, patrocinium eorundem non depoſuiſſe Henricum ex eo liquet, quod Jaromirus præſente anno iterum expulſus non alibi quam apud eum refugium quæſierit, ejusdemque ope anno ſequente in Ducatum reſtitutus ſit. Unde etiam Adelboldus de eodem Henrico inquit, quod hac Boleslai Ducatus recuperatione, eo quod Jaromiro faverit, minime contentus fuerit. Verba illius ſunt: *Illo* (Wladibogio) *mortuo Bulizlavus Bulizlavi* (Pii) *filius Bulizlavo Meſeconis filio in ſocietatem conſpirationis adſcito, Ducatum* (Bohemiæ) *contra Regis* (Henrici) *voluntatem tenere tentabat.* Adelbold. in vita S. Henrici apud Leibnit. T. I. p. 440. Ante igitur, atque veroſimillime jam ſub principium anni hujus accidit, quod Boleslaus III. exul Dux Bohemiæ ex captivitate Henrici Marchionis orientalis dimiſſus ad Boleslaum Polonum confugerit, quod rurſum ex Ditmaro ita ſcribente diſcimus: *Poſtmodum quia boſpes* (Boleslaus III.) *eo advenerat, dimiſſus, ad æquivocum ſuum amitæque filium* (Boleslaum Polonum) *in ſceleribus comparem, licet facultatibus diſparem, vitæ duntaxat amore perrexit.* Ditmarus ibid. p. 379 Eo miſeriarum delapſus Boleslaus noſter, ut apud hoſtem ſuum infenſiſſimum, qui ei Cracovienſem regionem terrasque complures hodiernæ Sileſiæ eripuerat, *vitæ duntaxat amore* aſylum quærere coactus ſit. Quæ profecto uti & eodem anno conſecuta cœcitas procul dubio divinæ vindictæ fuere tanto opere exagitati S. Adalberti, uti in ejus geſtis præmonuimus. Sed ad Jaromirum revertamur.

III. Jaromirum a morte Wladibogii cum fratre Udalrico & matre a Bohemis revocatum in ſolium Ducale collocatum fuiſſe eique Ducatus habenas conceſſas non obſcure ex Ditmaro conjicitur, qui anno ſequente, dum armato milite rediiſſet Boleslaumque Polonum exturbaſſet, dicit illum *in priſtinos honores reſtitutum.* Udalrico ſimul priores ſuprema voluntate patris deſignatas terras conceſſas fuiſſe, vix dubitare quidem licet. Sed breviſſimum quale quale demum utriusque fuit regimen: nam jam in Quadrageſima hujus anni Boleslaum III. rurſum expulſis illis ſuprema gaviſum poteſtate ex mox ſubjiciendis Ditmari verbis liquet, cui profecto uni tot patrias memorias, quæ procul dubio periiſſent, debet gens noſtra. Ditmari autem verba ſunt: *Quos* Idem p. 371. (Ja-

(Jaromirum & Udalricum) *Bolislaus Poleniorum rector collecto undique exercitu petens, iterum expulit, æquivocumque ſuum exulem* (Boleslaum Rufum) *priſtinis honoribus præfecit, ſeque domum latentibus inſidiis ſuis alta mentis intentione recepit. Sciebat enim nepotem ſuum* (ſcil. eundem Boleslaum Rufum) *ſe nimis vindicaturum in fautoribus ſuæ expulſionis, ſperans ſe tunc meliori occaſione forſan* (in Bohemiæ Principatum) *introducendum. Quod & ita accidit: Enim vero cum Boleslaus Bobæmenſis cerneret populum ſuum execrando ritui deditum, in maxima ſecuritate conſtitutum, impietatem ſuam ad confringenda fœdera pacis, quam ſacramentis firmaverat, in tantum armavit, ut collectis in unam domum coram ſe cunctis optimatibus, primo generum ſuum, gladio in caput ejus merſo, ipſe occideret, ceterosque inermes in ipſa ſancta Quadrageſima vir ſanguinum & doloſus, nec ſibi conceſſos unquam dignus dimidiare dies, cum ſuæ malitiæ fautoribus interficeret.* Quis gener Boleslai fautoresque illi expulſionis ſuæ anno ſuperiore commemoratæ fuerint, ex Coſma noſtro & Anonymo MS. Bibliothecæ Cæſareæ Vindob. ſæpius laudato diſcimus. Uterque enim ad hunc annum verba iſta adjicit: *Hic inter, ecti ſunt Wrſovici.* Quæ clare convincunt non alium Boleslai generum fuiſſe quam Wrſſovecium, cognationemque integram hoc ſæculo potentiſſimam præcipuos turbarum iſtarum incentores, eamque primam inter tres a S. Adalberto prædictas, fuiſſe plagam, quam Deus juſta ultione in hanc ſtirpem immiſit. Diſcimus denique Boleslaum jam pridem matrimonio junctum fuiſſe, cum filiam Wrſſovecio locatam habuerit, cujus tamen nominis peculiaris hic gener fuerit, cujus filia, cujus etiam conjux ſua, apud veteriores nuſpiam proditum invenio. Hagecius noſter, ut ſupra vidimus uxorem Boleslai III. vocat Czemislavam, Weleslavinus paulo contractius aliter Czeminam, ſed uterque ſine tabulis. Fabricius, ut refert Balbinus, tres uxores Boleslao III. tribuit: primam Hemmildem Ridachi Comitis Merſeburgenſis filiam, quam repudiavit, & ex hac genitam fuiſſe ait Hemmildem uxorem Marchionis Miſnenſis. Alteram Ungaram, quam etiam neglexit, tertiam Dobromiri filiam, e qua Miſeconem & Dobromirum filios, filiasque tres ſuſtulit. Sed oppido ſomnolenter lectus a Fabricio Ditmarus, ad quem provocat; nam is tres has uxores nempe Ridagi Marchionis filiam, Ungaram, aliamque tertiam Wlodomiri Ruſſorum Regis filiam Boleslao Polono, non Bohemo, tribuit. Similiter Miſeco & Dobromirus filii Boleslai III. ſeu Rufi penitus commentitii ſunt, & in cere-

Coſmas & Anonymus Bibl. Cæſ. adh. a.

Fabricius l. 3. orig. Sax. Balbin Epit. p. 156.

rebro Fabricii geniti. Nec majore fortaſſis fide nititur Hemmildis Boleslai ejusdem filia & Hermanni Comitis Rochlicenſis uxor. Meminit quidem ejusdem Hemmildis Sagittarius in Diſſertat. de Rochlicio, aitque Hermannum ex ea nullam ſuſtuliſſe prolem, ſed ad fontem haud alium quam Reuſnerum, qui id ipſum ex Fabricio hauſerat, provocat. Profecto alia, quæ paulo ante de eodem Beleslao III. Sagittarius narrat, Chronologiæ haud reſpondent, quale illud eſt: quod Ægidius Miſnenſis Epiſcopus ab Henrico II. Imp. ad Boleslaum noſtrum legatus miſſus ſit petitum Geronis Marchionis Luſatiæ cadaver in Bohemia occiſi, cum bellum iſtud in Polonia geſtum ſit, ibidemque Gero Marchio occiſus, imo multo poſterius hæc mors Geronis acciderit, poſteaquam pridem Boleslaus Rufus excœcatus, & Ducatus Bohemiæ habenis privatus fuit, ut alia prætermittam. Sed jam quod malum jugulo ſuo Wrſſoveciorum interfectione conciliaverit Boleslaus, ex eodem Ditmaro & Adelboldo audiamus.

Apud Menken. T. II. p. 759

IV. Adelboldus eam ferocitatem, quam Boleslaus in Wrſſovecios Optimatesque ſuos exeruit, penitus conticuit, ac proinde veram cauſam repetitæ ſuæ exauctorationis prætermiſit. Poſtquam enim narraſſet Wladibogio mortuo Boleslaum Rufum denuo Ducatum Bohemiæ Boleslai Poloni conſpiratione obtinuiſſe, ſubjungit: *Inter illos ergo duos Bulizlavos ſit amicitia ficta, ſit ſocietas ſubdola, ſæpe alter ab altero invitatur, ſæpe alterius ſumptibus jucunde convivantur, latente tamen igni ſub cinere. Tandem Bulizlaus Meſeconis filius jucunditatem Pragæ, & amœnitatem Boemiæ promiſſæ præponit amicitiæ, & ut nepote ſuo* (Boleslao Rufo) *qualibet ratione ejecto, tantæ terræ Principatu potiri poſſit, fraudum ſuarum intima ſcrutatur. Invitat eum ad convivia, & diverſa præbet ciborum genera, amara demum propinaturus pocula. Satiatum enim illum militibus ſuis commiſit, & ut eductus excæcaretur, oculorum nutibus ad ſimilia edoctis innuit Implentur impietatis juſſa, & committuntur iniquitatis opera. Sic qui fratrem eunuchizavit, a conſanguineo & ſocio ſuo deductus periit, quique fratrem in conſortio Principatus parem habere noluit, per ſupplicium paſſionis factus eſt ſuppar, & inutilior.* At vero Ditmarus verbis expreſſis ait Boleslaum hac Wrſſoveciorum cæde reliquorum Optimatum odium in ſe concitaſſe, adeo ut metu perculſi, ne ſibi ſimilia acciderent, Boleslai Poloni protectionem per nuncios efflagitaverint. Verba illius ſunt: *Ob hoc*

Adelbold. ibid. p. 445.

Ditmarus l. 5. p. 371

hoc (scil. Optimatum interfectionem) *residuus populus multum formidans ad Boleslaum Polenum nuncios clanculum misit, qui perpetrati facinoris magnitudinem edicerent, & futuri timoris ereptionem ab eo poscerent. His libenter auditis, mox per legatum fidelem hunc ad colloquium cominus in arce quadam ad tractanda eum eo quædam necessaria communis utilitatis cum paucis ad se postulat venire. Huic junior* (Rufus) *Bolislaus illico consentiens ad dictum locum* (urbem Krakou fuisse scribit Cosmas) *perrexit, caritativeque ab eo primo susceptus, in sequenti nocte erutis sibi oculis, ne unquam in suos tale quid perpetraret, vel amplius ibidem regnare valuisset, ab ejus familiaribus est prohibitus, exilioque longo deputatus est.* Cosmas noster, quod idem innuit mox memoratus Adelboldus *inter prandendum* id accidisse memorat, qui insuper addit: *Suos omnes alios trucidant, alios obtruncant, alios carceri tradunt.* Jam vero omnia hæc Boleslaum Polonum fraudulenter egisse, ut dominationem Bohemiæ consequeretur, tam Adelboldus quam Ditmarus monent. Prior enim ait: *Bolislaus* (Polonus) *infidelitatis venenum ex propriæ iniquitatis fonte potatum in contrarietatem Regis evomere nititur. Nam Pragam, quæ caput est Boemiæ, per pecuniæ deceptiones per falsas promissiones, per astutissimas fraudes invadit, Milzuviam quoque Saxoniæ & Poloniæ interjacentem Marchiam* (eam Ekkihardus Marchio Orientalis postremis Ottonis III. imperii annis sibi subjecerat) *insidiis, quibus edoctus erat, suæ infelicitati subjicit* Tanta autem in his usus celeritate Polonus, ut altero ab excœcatione die illico exercitum in Boheniam versusque Pragam deduxerit, quod his denuo verbis tradit Ditmarus: *Insequenti igitur die ad Pragam velociter properans ab incolis semper de nova dominatione gaudentibus introducitur, communiterque in Dominum laudatur. Accrescente igitur ibi seculari potentia attollitur infrenatæ mentis multo major solito contumacia.* Quæ tot tantæque mutationes scilicet mors Wladibogii, revocatio Jaromiri & Udalrici, eorundem depulsio, Boleslai III. in Principatum restitutio, rursus ejusdem exauctoratio & excœcatio, Boleslai Poloni Bohemici Ducatus usurpatio adhuc ante Pascha anni præsentis contigere. Nam uti ex Ditmaro & Adelboldo mox infra referemus, ea jam Henrico II. Pascha Quedlinburgi celebranti cognita erant. Sed reliqua hujus anni, quæ ad Boleslaum usurpatorem Bohemiæ spectant, persequamur.

Cosmas ad an. 999.

loco cit.

Adelboldus p. 435.

pag. 440

Ditmarus c. l. p. 371.

V.

V. Diximus anno ſuperiore, Wladibogium ſuo homagio & ſubjectione, quam Ratisbonæ Henrico II. præſtitit, feneſtram aperuiſſe non modo poſterioribus quibusque noſtris, qui ſeu Principatum ambiebant, ſeu non ſatis firmo pede in ſolio conſtiterant, ſed etiam occaſionem cauſamque præbuiſſe ſucceſſoribus Germaniæ Regibus Imperatoribusque, ut hoc peculiare Wladibogii alienigenæ minimeque heredis Bohemiæ factum in jus & prætenſionem poſthac pertraxerint, ipſaque vi armorum deinceps ejusmodi homagium & ſubjectionem a poſterioribus Ducibus noſtris expopoſcerint. Id Henricum a Boleslao III. in Principatum reſtituto exegiſſe, ante ex Adelboldo manifeſtum reddidimus, cum ait Boleslaum eundem *contra Henrici voluntatem Bohemiam tenuiſſe*. Id ipſum a Boleslao Polono, qui hoc anno invaſit Ducatum, expoſcebat, ut paulo infra ex eodem Adelboldo & Ditmaro demonſtrabimus. E qua præſertim poſteriore prætenſione manifeſtum fit: Reges Germaniæ Imperatoresque non tam æquitatem cauſæ, & quo jure quis Principatum Bohemiæ petat, poſſideatve, penſi habuiſſe, quam id unum ſolumque, ut quis quis demum Ducis Bohemiæ juribus gaudere, inoffenſusque ab Imperatoribus perſtare voluerit, ſe ſe Regum Germaniæ vaſallum profiteatur, quem quisquis ſe ſemel profeſſus eſt, patrociniū & tutamen contra legitimos etiam heredes juſtiſſimosque poſſeſſores non raro conſecutus eſt. Non abſimile fuit factum Henrici II. præſente anno: nam quanquam Jaromirum legitimum heredem Bohemiæ penes ſe habuerit, quanquam iniquitas Boleslai Poloni, quam omnes ſynchroni Germani ſcriptores nigerrimo carbone depingunt, Henrico incognita non fuerit, tamen præterito Jaromiro & Udalrico eidem Polono Bohemiam confirmare, eumque Ducem agnoſcere paratus erat, modo ſi is eidem ſe ſubjecerit, ab eoque Principatum non ſecus atque in beneficium acceperit. Ejusce rei luculentiſſimi teſtes ſunt toties laudatus Adelboldus & Ditmarus, utriusque verba ad corroborandam rem hic apponere juvat. Prior ait: *Quod* (ſcil. invaſio Bohemiæ a Polono facta) *cum Regi nunciatum eſſet, non inflammabatur, non ſtomachabatur, non ad vindictam repentinis motibus animabatur, ſed notitiam dictæ invaſionis diſſimulans, mandavit ei* (Boleslao Polono) *per legatos ſapientes & eloquentes, ut terram ſuam, quæ noviter Principe erat viduata, non invaderet, quam ſi vellet, cum gratia ſua & dono voluntario acquirere poſſet.* Et Ditmarus: *Hæc omnia Rex dictante fama comperiens boneſta gravitate animi patientis tulit, ſuis duntaxat imputans* pec-

Adelboldus p. 436.

Ditmarus l. 8 p. 371.

peccatis, quicquid in regno ſuis temporibus incommoditatis accidit. Itaque quod opportunum tunc ſibi maxime videbatur, diſſimulatis omnibus, quæ ei acciderant, nuncios ad Bolislaum miſit, mandans ei, ſi terram nuper a ſe occupatam de ſua gratia, ut jus antiquum poſſit retinere, ſibique in omnibus fideliter vellet ſervire, ſe ejus voluntati in his aſſentire; ſin alias ſe armis illi velle contraire. Nihil his territus, nihil motus Boleslaus Polonus, ſed fretus ſuis armis, & procul dubio non ignorans ſuperiores Duces Bohemiæ nunquam Principatum in beneficium, deque manu Germaniæ Regis accipere ſolitos, contempſit legationem, uti verbis pene iisdem prodit uterque author: *Hujusmodi legationem Bulizlaus audiens infelix mandata ſprevit dulcia, amara quandoque paſſurus verba. Quadrageſima finita Rex Quinteleborg Paſcha celebrat & Bulizlai violentiam ut ſapiens ſcienter ignorat.* Hac igitur mente comperta Henrici Polonus ea omnia vafer & ſedulo circumſpexit, quæ ſibi ad firmandum Bohemiæ Ducatum conducere videbantur, ante omnia cum imminentem ſibi ab Henrico tempeſtatem animo proſpiceret, *Dominio taliter* (inquit Adelboldus) *adepto turgidus per loca regio exercitui pervia caſtella firmiſſima munit.* Ea inter caſtella præcipuum fuiſſe Satecium (qua parte paſſim Saxonum exercitus in Bohemiam irrumpere ſoliti) ex anni ſequentis hiſtoria teſtatum fiet. Et vero circumſpexit etiam Boleslaus Polonus armorum ſocios: non ignoravit Hezilonem ſeu Henricum Marchionem orientalem Franciæ, finitimum jam ſuum, æmulum fuiſſe Henrici II. in imperio, ſciebat recruduiſſe ejus nuper vulnera, cum ſe præterito Ducatus Bavariæ Reginæ fratri traditus eſt. Hunc igitur ſibi familiariter in ſocietatem adlegit, quod Henrico Regi minime tectum manſit. Nam dies Rogationum in Merſeburg agens id jam comperit, ut uterque author memorat: *Poſthæc in diebus Rogationum Meresburg moratur, ibique eidem Bulizlai & Hezelonis contumacia renunciatur. Ipſe credere diſſimulans inde deceſſit, & ad celebrandam Pentecoſten Halberſtete venit. Deinde in Bavariam tendit, ſcire volens, an quæ de Hezelone dicebantur, vera eſſent? Quo cum perveniſſet, & Hezelonis furorem circa loca ſibi finitima irrationabiliter accenſum comperiſſet, ac Bulizlai adjutorio illum fretum eſſe noviſſet, Bulizlao talionem in futura reſervans, a ſinu regni ſui inſitæ peſtis radicem primum exſtirpare decrevit, ut interioribus quieti & paci reſtitutis exteriores inquietationes facilius poſtmodum exſtingueret.* Id ubi advertit, præſenſitque Hezilo, ante omnia auxiliares copias petiit, impe-

Adelboldus ibidem.

Idem p. 440

Ibid.

petravitque ex Bohemia a Boleslao Polono, tum unum ei erat ſtudium, ut complures in partes ſuas pertraheret. Nec conatum fefellit eventus; nam & Erneſtum cognatum ſuum Comitem Oſterrichiæ & ipſum fratrem Henrici II. Brunonem Auguſtanum Epiſcopum in perduellionem pellexit, quod idem Adelboldus his verbis narrat: *Interea & Erneſtio* (Erneſtus) *eidem rebellioni adjungitur nulla læſione coactus, ſed vel juventutis fervore, vel per eum commoda ſua amplificare quærentium ſuggeſtione ſeductus. Dominus Bruno etiam frater Regis Henrici & Epiſcopus aſſociatur ætate juvenis, & per juventutem ad ſeducendum facilis. Et hoc infidelium erat gloriatio, quod in partibus ſuis fratrem Regis habebant.* Ea autem erat Henrici II. in his prudentia, ut eos primum, quos minus valentes cognoverat, quique in viſcera regni ſui graſſabantur, petendos arbitraretur, his humiliatis ſpe certa fretus, Boleslaum quoque Polonum compeſcendum. Itaque Ditmarus l. 5. p. 372.

VI. Infirmiſſimum omnium aggreſſus Erneſtum Auſtriæ Marchionem, atque ut Ditmarus ait: *Familiares ſuos undique ſecum colligens intrante Auguſto bona præfati Comitis* (Erneſti) *invadendo vaſtavit, eumque ubicunque extra urbem potuit, invitum latitare compulit.* Ab Erneſto arma convertit in Hezilonem, ſed favit fortuna Hezilonis militi, quod omnem theſaurum Regis in via interceperit, verba Ditmari ſunt: *Venienti autem tunc Regi ad locum qui Hatberesburg dicitur, omnem theſaurum ſuum ſe præcedentem Maganus Comitis* (Hezilonis) *prædicti miles cum ſuis corripit, actumque intra illos dividens ad Amardelam civitatem lætus revertitur.* Theſaurum ſuum vindicaturus Henricus adverſus Amardelam ſeu Mertelam, ut vocat Adelboldus, copias movet. *In primo igitur impetu Mertula diruitur, & Hezelonis milites in ea capti per interceſſionem Principum ſani & ſalvi permittuntur abire. Sclavi autem a Buzislao in adjutorium miſſi in ſervitutem exercitui diſtribuuntur.* Abhinc Henricus exercitum direxit adverſus caſtella Hezilonis, *quæ capi poſſe nec Hezelo timebat, nec aliorum quisquam credebat.* Itaque *Rex Cruſinam obſedit, ubi uxor Hezelonis ac filii erant, & quæque illi chariora eſſe poterant. . . . Tandem a Rege Cruſina* (Creuſſen) *capitur, diruitur, incenditur. . . . . Hezelo captam eſſe Cruſinam audiens, ad quandam ſuam munitionem, quæ Erana* (Crana Cranach) *vocabatur, fugiendo pervenit. . . . Sed nec illic ſpem reſiſtendi regiæ iræ habens eandem munitionem idem ipſe* Ditmarus p. 372. Ibid. Adelbold. pag. 336. Ibid.

succendit. Supererat adhuc Hezilonis avita ſedes & munitiſſimum caſtrum *Swinfurdum*; eo Henricus Wirczeburgenſis Epiſcopus & Erkanboldus Fuldenſis Abbas cum copiis miſſus, ut illud quoque incenderent ac diruerent, quod mater Hezilonis Heila precibus ſuis ægre ab interitu ſalvavit. Rebus adeo deſperatis: *Hezilo ad Bohemiæ tunc invaſorem Bolizlavum cum Domino Brunone reſiduisque fautoribus conceſſit*, addit Adelboldus: *& quod cuique eſt graviſſimum, quaſi mendicus alieno pane vivere diſcit.* Sub hæc minime ſeriatus Boleslaus Bohemiæ uſurpator, ſed ex Milzavia, quam ab eo direptam fuiſſe jam ante meminimus, copias ſuas per Budiſſinenſem & Niſenum pagum ad Albim u que expliçavit, Miſnenſem urbem Henrico eripere meditatus. Id cum copioſe perſecutus ſit Ditmarus, pertinearque ad hiſtoriam patriam, ejus denuo verbis reddere libet: *Dum Rex Cruſin poſſedit, Bolizlavus eum in aliquo lædere ſumo opere niſus, clam exercitum collegit, & per nuncios ſuimet Guncelinum fratrem* (Guncelinus is erat frater Ekkardi Marchionis Miſnenſis, qui Henrico hanc Marchiam ſervaverat) *hortatur, ut memor firmæ promiſſionis urbem Miſnenſem ſuæ redderet ditioni, amicitiamque renovaret priſtinam. Ille autem ſciens iſtius ingreſſu a gratia Regis, & a domino tali ſe penitus excluſum iri, mandatis talibus reſpondit: „ Omnia quæ præter hæc a me expetis frater, libenter impendo, „ & ſi unquam hæc faciendi opportunitas accidit, non recuſo. Sunt „ mecum ſenioris mei* (Henrici) *ſatellites, qui talia non patiuntur, & „ ſi hoc publicatur, vita mea cum omnibus, quæ poſſideo periclitatur.„ Hac ligatione accepta Bolizlavus internuncios cuſtodiri & legionem ad Albim properare juſſit. Hic qualitatem vadorum ſecreto perquirens, mane facto ipſe ſubſequitur, & ad Strelam civitatem* (tribus milliaribus infra Miſniam urbem ſitam) *quia ſuæ dos erat filiæ, demandat, ut nec ſibi quicquam timerent, neque cum clamore aliquo illato convicinos de hac re certos efficerent. Nec mora exercitus juſſu Ducis in quatuor dividitur, & ad Cir in caſtellum veſpere convenire præcipitur. Duæ autem phalanges præmiſſæ, ne ſui aliquam a Marchione moleſtiam paterentur, providere ſtudebant. Totus hic pagus, qui Glomaci dicitur, optime tunc excultus in una hac die, igne, gladio, & habitatoris eductione flebiliter deſolatur.* Subjungit, tandem quantum vafer & cautus alias Boleslaus a Mogilinis iſthic probe deluſus fuerit. Henricus autem anno præſente adverſus Boleslaum Polonum Bohemiamque nullam expeditionem ſuſcepit, ſed cum Hezilonis proprietatem omnem, ut ait

Ditmar. ibid.

Idem p. 373.

Dit-

Ditmarus, vaſtaſſet, & cum beneficio late aliis diviſiſſet, ad Baveberg dimiſit exercitum, Nativitatemque Dominæ genitricis ſolennibus celebravit gaudiis, demum primum ex venatione per Franciam ad Saxoniam rediens, *proxima hieme indixit ſuam ad Milzieni expeditionem* contra Boleslaum Invaſorem Bohemiæ; quæ cum ad annum ſequentem ſpectet, eodemque Jaromirus auſpicetur Ducatum ſuum, eo illam remittimus, hisque quartam Partem Annalium noſtrorum abſolvimus. *Ditmar. ibid. p. 373*

A. M. P. I.

I N-

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Abodritos debellat Otto cum Boleslao 106.

Abraham Ep. Friſing. adhæret Henrico Duci Bav. 233. coronam regiam ei imponit 234. 237. ſubjicit ſe Ottoni, capitur 238.

Adalbertus Ep. Paſſav. moritur 193. Salisburg. 330.

Adalb. Ep. ad Ruſſiam mittitur, tranſit Bohemiam, confirmat puerum Woytiech 125. 184. redit ex Ruſſia 130. fit Archiep. Magdeb. 181. conſecrat ſuos Suffraganeos 189. ad eum mittitur puer Woytiech, ſecundo eum confirmat 205. moritur 277.

Adalbertus *Sanctus Ep. Prag.* naſcitur 111. 206. puer per miraculum ſanatur, devovetur a parentibus 115. confirmatur 125. 184. 187. ejus levitas puerilis emendata 131. regia ſtirpe progenitus 202. mittitur Magdeburgum imbuendus literis 204. 205. ſecundo confirmatur 205. ejus profectus in pietate & literis 270. 271. redit ex ſcholis Magdeburgo 183. 278. quo ordine inſignitus redierit ib. 278. Morte Ditmari percellitur 285. 286. eligitur in Epiſcopum Prag. 183. 186. 187. 284. 286. 287. inveſtiendus mittitur Veronam ad Imperatorem 184. 187. conſecratur 284. 285. 292. 293. 294. conſecrat Proſſecæ templum 191. 192. impetrat reunionem epiſcopatus Moraviæ cum Prag. 294 295. 296. conſecrat eccleſiam in Scharka 197. 198. Klatovienſes baptiſmo abluit 198. 199. Libicii eccleſiam dedicat 200. vapulat a paganis 201. ſuadet mitiora Boleslao 209. deſerit Bohemiam 231. Hieroſolymam peregrinationem meditatur 264. 265. 351. venit Caſſinum ib. Valelucam 352. redit Romam, fit monachus 353. ejus pietas, miracula & laus 250. 252. 324. 325. 326. 418. 357. 358. profeſſionem emittit 358. 359. non fuit ex S. Romualdi diſciplina 360. pro eo legatio Romam mittitur 241 248. 249. 367. redit 250. 272. 273. 276. 293. in viridi monte benedictionem impertitur Bohemiæ 250. hymni veteris auctor 251. ſecum adducit monachos S. Bened. 369. meditatur monaſterium Brevnovienſe 372. 373. intereſt ejus dedicationi 365. 366. 368. 375. confundator illius 376. 377. per magnam partem Hungariæ & Poloniæ epiſcopus 228. baptizat Stephanum Hung. Regem 304. 305. 306. 307. 308. condit eccleſias 307. peregrinatur, vapulat a nautis 257. execrationes illius confutantur 259. Iterum deſerit Bohemiam 263. 279. 317. 318. 337. cauſæ diſceſſus 338. 386. 387. 398. redit Romam 322. 323. 338. 389. abſente variæ calamitates 339. anathema in coctores cereviſiæ 340. excommunicat Wrſſovecios 337. Papatem deſiderat viæ comitem 388. 389. pro Brewnovio bullam impetrat 391. 392. S. Gerardo & Majolo Abbati in Italia congreſſus 294. Sacris operatur coram Pontifice, bilocatur, Libiczii fratribus parentat 266. 267. 268. 269. 270. parentat matri 319. Denuo a Bohemis repetitur 408. reditum ejus urget Otto III. & Willigiſus Archiep. 414. inducias obtinet 415. oſtenditur illi divinitus cædes fratrum ſuorum 409. 418. redit in Germaniam ad Ottonem, nuncios mittit in Boh. quæſitum num ſe recipere velint. 416. Coram Ottone Paſchale officium peragit, donatur ab eo paramentis 300. 301. 302. 416. 417. varias peregrinationes ſuſcipit 418. iter ingreditur in Bohemiam 419. mulctat auditu petulantiam paſtoris ſibi in aures buccinantis 272. 273. comperit cædem fratrum ſuorum 423 tranſit in Hungariam 342. 343. 423. 424. in Poloniam movet, denuo ex Bohemis quærit, num ſe velint recipere 424. ſcribit Geizæ & Papati Radlæ, quem ad ſe evocat 432. concedit ad converſionem gentium 341. ad Pruſſiam 433. Dantiſcum, ad Sambiam 434. percutitur remo 410. 412. 435. inſurgunt in eum idololatræ, Luiticiorum converſionem meditatur, e manibus Gaudentii S. communionem ſuſcipit 435. lanceis confoditur 411. 412. 436. annus verus martyrii 412. 413. varia miracula circa

circa corpus, redimitur pretio 437. 444. 445. defertur Gneſnam 445. exuvias veneratur Otto Imp. 461. an caput ſeu brachium dono acceperit Otto 462. eccleſiæ in honorem ejus ædificatæ 463. Fuit Archiepiſcopus gentium 402. 403. 415. Ejus pater ſpiritualis & nutritius Papas Radla 344. 345. 346. 347. ejus fratres pacem & ſecuritatem a Boleslao impetrant 419. interficiuntur 262. 268 419. 420. tantum quatuor numero interfecti 421. an habendi pro martyribus 422.

Adelheidis ſoror Ottonis III. abducitur ab Henr. Bav. 302.

Ædiculæ in Denariis Boh. quid notent 38.

Ægidius Miſnenſis Ep. 333. 360. 460. 503.

Æſic Bellidux Ottonis I. cædit Boleslaum, cæditur ab illo 4. 7.

Æſtus ingens 324

Agapitus Papa Laureacenſi Epiſcopo noviter jurisdictionem concedit in Moraviam 39. 61.

Albertinus fons Milavezii 276.

Alemannia *vide Suevia.*

Alexii S. & Bonifacii cœnobium Romæ 264. 272 353. in eo Græci & Latini 274.

Alſatiam invadunt Hungari 8.

Anaſtaſius *vide Radla.*

Anathematis vetus ritus 378.

Angelus vexillum Ottonis 100.

Aprugnæi proceres 265.

Aquila nigra clypeus Boh. mutatur in caldarium 137. 141.

Aquilejam eripit Hungaris Henr. Dux Bav. 65 66.

Aquisgrani electus Otto I. 6.

Archi-Camerarius Marchio Brandeburg. 475. 479.

Archi Cancellarius Germaniæ Moguntinus 475. Italiæ Trevirenſis ib. 479.

Archidapifer Bohemus 127. Palatinus 475. 479. eorum clypeus, origo fabuloſa 142. 143.

Archiepiſcopi regionarii 402.

Archimareſcallus Saxo 475. 479.

Archiofficia Imperialia ambulatoria 141. Archiofficiales Imp. conſtituuntur 475. 479.

Argenti ſignandi ratio 34. 35. 38. 74.

Aridităs terræ 128.

Arnoldi Bav. Ducis mors 16.

Artolfus Archiep. Rhemenſis 67.

Aſtricus *vide Radla.*

Auguſtæ Vindelicorum Synodus 90. a Laidulfo vaſtatur 94. baſilicam incendunt Hungari 100.

Auguſtinus Abbas S. Pauli Romæ 359. 360.

Auri ſignandi ratio 34. 35. 38. 74.

Auſtria limes Epiſcopatus Prag. 228. incrementa capit 308. 309.

B.

Bagenus Bulgarorum Rex 342. 343.

Barnabas comes viæ S. Adalberti 272. 433.

Bavari ſollicitant Hungaros 9. 17. 96. latius ſe explicant 10. Ottoni ſuppetias ferunt adverſus Hungaros 100. cæduntur a Bohemis 243. in eligendo Duce libertas 483. 484.

Bavaria invaditur ab Hung. 8. 48. limes Epiſcopatus Prag. 228.

Baubin caſtrum 32. 33.

Beel Hung. condit Welwar 31.

Belbog Slavorum Deus 404.

Beltis certa roſarii formula 395.

Benedictus Papa eligitur 132. 133. Hammaburgum raptus moritur 143. confirmat erectionem Epiſcopatus Prag. 214. 215. Piligrino confirmat jura In Morav. 239. *Monachus* Ord. S. Bened. viæ comes S. Adalb. 272. 370. tranſit ad Hung. 426. una aſſumtus in Poloniam 428. 433. 434. capitur a Pruſſis 436. 445. a S. Romualdo ad Poloniam miſſus 275.

Berauna, ad eam terræ motus 440. 441.

Berengarius ſe Ottoni ſubdit 90. 91. capitur. Babenbergæ moritur 143.

Berka Franc. poſtremus hujus ſtirpis, ejus merita, Mœcenas Hagecii in latinum transferendi 497.

Berkiani ſtirpe Hovoræi 496.

Bernhardus Dux Sax. Archimareſcalli munus ſuſtinet 312.

Bertholdus Dux Bav. eligitur 16. cædit Hungaros 43. moritur 65.

Betularum mons argentifer 59. 63. 64.

Bilina fluv. 290.

Bilinenſis regulus ſe dedit 31.

Bladimarius *vide Wladibogius.*

Blohanſſius legatus Boleslai 156. 158.

Bober fluv. 221.
Bobra rivus 92. 93.
Boda fluv. ad quem Hungari cæſi 9. 17.
Bohemi bello laceſſuntur ab Ottone I. 4. violant Thancmari legatos 4. cæduntur ab Hermanno, cæduntur Ekkehardum 5. vaſtantur 25. hoſtes Saxonum 26. in auxiliis Ottonis adverſus Hung. 100. cæduntur Hungaros 104. cæduntur ab illis 107. colunt ultra Danubium 228. vaſtant Citicenſem Epiſcopatum 297 non fuere complices ethnicorum Slavorum 299. ob eorum vitia epiſcopatum deſerit S. Adalb. 386. repetunt illum 408. redire volentem non recipiunt 416. 425. eligunt Wladibogium 483. revocant Jaromirum & Udalricum 500. inſurgunt rurſum in Boleslaum Rufum ib. *ethnicorum* implacabile odium adverſus Chriſtianos cives 24. 28. per auri fodinas diſpertiuntur a Boleslao 32. bellum denuo minantur Boleslao 64. eorum iniqua molimina & tumultus 200. 201. 231. 235. 210. 288. 312. 313. 316. 317.
Bohemia invaditur ab Hungaris 68. a Moravis 92. 94. vaſtatur ab Ottone 134. 314. 318. in eam expeditionem ſuſcipit Otto II. 238. 255. excommunicationi ſubjecta a S. Adalberto 249. calamitatibus ob id premitur 366. 374. 407. 408. benedictione impetrata abundat imbribus 250. *Subregulus* Bohemiæ auxilia petit ab Ottone 6. expellitur a Boleslao 7. *Duces* nunquam Ducatum in beneficium recipere ſoliti 484. *ethnici* ſignavere jam argentum & aurum 35. *Rex* Elector factus 475 479. *limites* ſub Boleslao Rufo omni parte arctantur 486. 487. *ſaltum Boh.* vicini Germani occupant 487. *Nobilitas* non ceſſit Imperiali 497.
Bohumilus an fuerit primus Abbas Inſulanus 258.
Boltzdiekus Studenic. dynaſta 199.
Boleslavia *vetus* conditur, Romæ æmula 1. 3. 4. hic clades ab Ottone accepta 5. eccleſia locupletata a Wrabſtiis 15. militem huc deducit Boleslaus 77. peregrinatur Boleslaus 190. S. Adalbertus 257. obſidetur hic Boleslaus 77. ſepelitur 163. erigendus Epiſcopatus 144. 148. *Nova* conditur 211. 212. 213.
Boleslaus I. cogit populum ad condendam Boleslaviam 1. Bratromilum renitentem obtruncat 2. cæditur ab Ottonis exercitu, cædit eundem 5. 7. 16. 25. ei reſiſtunt Moravi 10. 11. fovet inteſtinum bellum Ottonis 18. expeditionem adverſus Satecenſes ſuſcipit 20. 21. fruſtra apud eum queruntur Satecenſes 23. Pragenſes Boleslaviam commigrare jubet 24. plura indigniora ei afficta 25. 29. Sorabos in partes ſuas allicit 25. indigne cladem ethnicorum Prag. accipit, Pragenſes obſidet 28. deducit militem Boleslaviam 29. recipit diſperſos Hungaros 31. ſuadetur illi pax, condit eccleſiam Brundufii, diſpertit ethnicos 32. cudit auream & argenteam monetam 32. 33. 34 35 36. 37. 38. 73. 82. 84. 85. tributum Ottoni cum aliis Slavis negat 35. liberalis in peregrinantes 42. Teinenſe prædium amplificat, condit palatium, aucupatur civium gratiam 44. reſuſcitat aurifodinas 59. obſides dat Ottoni 60. pacem meditatur 61. 65. 70. meditatur erectionem epiſcopatus in Boh. 63. 144. 147 156. 158. ex fodinis magnos proventus percipit 64. 72. ciet adverſus Hung. exercitum ib. Famis culpam in eum refundunt proceres 66. duobus exercitibus obviam it Hungaris 68. cædit illos 69. obſidetur ab Ottone Pragæ 75. 76. pacis conditiones init 78. 79. tributum annuum denuo promittit ibid. 80. condit Pragæ domum monetariam item Wiſſehradi turrim 81. 82. exſolvit votum per Strachiquatem 83. 84. pœnitentia illius 85. offertur ei argenteus equus in mineris inventus 88. fugat Moravos 92. quietus 93. 94. 97. Ottoni fert ſuppetias adverſus Hungaros 100. 101. adverſus Slavos Aquilonares 106. 114. cædit & capit Lele Ducem Hung. 104. 105. cæditur illius exercitus ab Hung. 107. adverſus Hung. aciem mittit, cædit, 112. 113. 115. 116. Curimenſes ſe ei ſubdunt 118. adornat expeditionem in Moraviam 123. 126. vocatur Ratisbonam 127. 131. 133. adverſatur mandatis Ottonis 131. ſuadetur illi ſubmiſſio 135. Ottoni adverſum proficiſcitur, ſubmittit ſe, equinari miniſterio addicitur 135. 136 137. non fuit Archidapifer Imp. 142. 143. adeſt Quedlinburgi apud Ottonem 143. filiam deſponſat Miſeconi Pol. 145 condit Divi Vitii Eccleſiam 144. consecrari eam facit 146. mittit legationem Romam pro erigendo Epiſcopatu 156. 158. datur illi facultas a Papa 170. 171. mittit duas legiones Miſeconi in auxilium 176. 177. moritur 162. 165. 168. 169. Num Regis titulum geſſerit 80. 81.

Bo-

Boleslao II. puero inſtillatur odium ethnicorum 64. 65. obſes Ottoni datus 76. ſuccedit patri in Ducatu, conditor 20 eccleſiarum 163, impetrat licentiam erigendi epiſcopatus 164. 170. 182. fundat monaſterium S. Georgii 172. 393. Ditmarum deligit primum Epiſcopum 178. peregrinatur Boleslaviam 190. Proſſecæ condit templum 191. 192. venatur in ſilva Scharka 196. periculo liberatur a S. Mathia 197. ethnicos exterminare meditatur 209. eos cædit 210 211. Boleslaviam cum templo condit 211. Quedlinburgi apud Ottonem 217. erigit epiſcopatum Prag. 182. 214. votum vovet pro filio infirmo 229. adhæret Henrico Duci Bav. 233. 237. domat Zatecenſes, cædit 235. 236. Vinariam citatur 237. 238. ad eum confugit Henricus Bav. Dux 242. 243. cædit Ottonis exercitum 243. capitur ab Hincone de Dohna 244. cum Henrico exercitum in Auſtriam deducit, reconciliatur Ottoni 255. 256 fundat cœnobium Inſulanum 258. 260. 455. liberaliter habetur ab Ottone 261, illi fidelis 262. comitia agit 263. 264. adjutor Miſeconi in educenda Oda ex monaſterio 298. ab Henrico rurſum in ſocietatem vocatur 302. intereſt Henrici placito, ad eum confugit Henricus, quem cum exercitu in Saxoniam comitatur 303. ejus miles capit urbem Miſniam 311. 312. intereſt Comitiis Quedlinburgi, non ſuſtinuit munus Archidapiferi ſub Ottone 312 Chriſtianos cruce ſignat 313. in ethnicos ſeverus 317. Mittit S. Adalbertum Veronam ad Ottonem inveſtiendum 184. privilegio illum & Miladam donat 185 188. S. Adalbertum repetit 322. 241. 248 ſpondet illi porro obedientiam nomine omnium 251. diffidet cum Meſicone 335. 348. hoſtes verosimillime Tugumiri 336. 337. conflictum parat, cum exercitu Theophaniæ Imp. pacem facit 348. 349. vaſtat terras Miſeconis, compeſcit verbis Luticios fœderatos 350. 351. ſupprimit ſuperſtitiones ethnicorum in monte Petrzin 355. 361. obviam procedit S. Adalb. 368. 369. Ottoni auxilium fert 371. fundat Monaſterium Brevnovienſe 372. 373. munificus denuo in illud 380. invadit Poloniam 382. 384. paralyſi perculſus 406. 408. cum Miſecone magnæ ſimultates 407. a paralyſi relevatur 408. Boleslaum Pol. bello laceſſit 409. Cracoviam illi eripit 410. quiete agit 411. non fuit author perſecutionis adverſus fratres S. Adalberti excitatæ 423. novi epiſcopi optionem permittit Ottoni 430. 431. perperam confuſus cum Boleslao Polono 443. morituri ſalutaria verba ad filium & teſtamentum 446. 447. 448. moritur 449. 451. 453.

Boleslaus III. naſcitur 107. in expeditione cum Ottone III. 406. pro patre infirmo adminiſtrat Ducatum, ejus gratiam aucupantur Wrſſovecii 406. hoſtis Slawnikianorum 420. 409. 423. verba morituri patris ad eum 446. 447. 448. ſuccedit patri 449. Raſi nomen obtinet 454. ejus fratres Jaromirus & Udalricus, non filii 454. 455. perficit Inſulanum monaſterium a patre cœpeum 456. 465. mittit Cracoviam 456. 457. cunctatur, cæditur illius exercitus 458. pacem facit cum Polono 459. 465. degener filius Boleslai Pii, crudelis 472. Jaromirum fratrem eviruchizat, Udalricum in thermis ſuffocari jubet 473. matrem & epiſcopum Pragenſ. in exilium agit 475. Ekkihardum candidatum Imperii adverſus Ottonem tuetur, eo interfecto ſimulat ſe amicum Ottonis 481. inſurgit adverſus eum populus Ducatuque illum exuit 483. fugit ad Hezilonem Marchionem, ab eo capitur 486 dimittitur ſolius vitæ ſpe, ad Boleslaum Polonum tranſit, a quo in Ducatum reſtituitur 501. 502. ulciſcitur hoſtes ſuos, qui cum Ducatu exuerant, generum ſuum Wrſſovecium ipſe jugulat, ob quod nova ſeditio populi 502. 503. Cracoviam invitatur a Polono, excœcatur, remittitur in Bohemiam, 476. 477. 503. 504 Perperam ejus plures uxores tribuuntur 502. eo regnante limites Boh. multum arctati 486. 487. 488.

Boleslaus Chabry Pol. Dux naſcitur 177. 241. 242. in auxiliis Ottonis Imp. 371. cum patre invadit Bohemiam 382. fit Dux 383. 385. magnæ inter eum & Bohemum ſimultates 407. fratres ſuos regno expellit, ſibique ſoli Ducatum vindicat 409. ad eum tranſit S. Adalbertus 424. munificus in S. Brunonem Bonifacium 425 perperam confuſus cum Boleslao Bohemo 444. cum Stephano Hung. Rege quidpiam diſſidii habet ib. involat Cracoviam 456. 457. 458. cum eo pacem facit Bohemus 459. ſumma magnificentia Ottonem excipit 468. trecentis lorieatis eum donat 861. donatur ei Caroli M. ſolium ib. diadema illi paratum, datur Stephano 464. an in Regem coronatus fuerit 469. 471. invadit Sileſiam 475. invadit Budiſinam, Miſniam, ſimulat ſe amicum Henrici Bav. Ducis 481. eundem Regem ſuſ-

ſuſpicit 482. deſicit ab eo, conſpirat cum Hezilone ib. ad eum confugit Boleslaus Rufus, reſtituitur ab eo in Ducatum 501. 502. invitat Boleslaum Boh. fraudulenter Cracoviam, eum excœcat 476. 477. 503. 504. Pragam invadit, Bohemiam & Milziam occupat 504. 222. ſubjectionem & homagium ab eo petit Henricus Rex, reſiſtit 505. 506. munit caſtra in Boh. 506. adjungit ſibi Hezilonem, mittit ei auxilia, quæ capiuntur 507. ad eum confugit Hezilo & Bruno frater Ottonis 508. Miſniam invadit, pagum Glomaci vaſtat 508. ejus uxores 502. ſub eo Archiep. ſcopatus primum in Polonia erectus 227. conditor eccleſiæ S. Laurentii in monte Pragæ 363.

Bonifacius monachus Brewnov. tranſit ad Hungar. gladio ibidem percutitur 426.

Borowsko conditur a Moravis 95. 96. 99.

Boyslavus militiæ Boh. Dux adverſus Moravos 123.

Bozo Ep. Merſeburg. author cantici Kyrie eleiſon inter Slavos 181, conſecratur 189.

Bracteati primi a Wladislao Rege excuduntur 83.

Brandeburg Tugumirum Principem ſuſcipit 57. conſtituitur hic epiſcopatus 71. vaſtatur epiſcopatus 299. expugnatur 356. 357. Otto cum exercitu huc venit 371. Marchio Archi-Camerarius 475. 479.

Brandeys caſtrum ædificatur 29. conditur eccleſia 32. 33. præſidium accipit 112. 113. *Silva* victoriæ monumentum 236.

Bratromilus orator populi a Boleslao obtruncatur 1. 4.

Bratrzimilus bellidux Boleslai cædit ethnicos 210 212.

Brewnovienſe monaſterium 282, fundatur 369. 371. 372. 373. eccleſiæ dedicatio 365, juſſu Pontificis fundatum 368. fundatio roboratur diplomate, bulla, & anathemate 377. 390. primum monaſterium Virorum ord. S. Bened. in Boh. 455. 456. donationibus augetur 380, 381. poſt diſceſſum S. Adalb. ex eo dilabuntur plerique Monachi 426. major eccleſia poſterius condita 375, diverſa privilegia ejusdem 390.

Bruno epiſc. mittitur ad Geizam de tractanda pace 207. *Epiſcop. Auguſtenſis* ſociatur Heziloni adverſus Henricum Regem fratrem ſuum 507. confugit in Boh. ad Boleslaum Pol. 508.

Bruno Bonifacius *Sanctus* Biographus & conſodalis S. Adalb. 379. 396. 425. frater Eliſabethæ Abbatiſſæ ad S. Georg. 396. accipit pallium Archiepiſcopale 493.

Brüx clades hic Ottonis 5.

Brzena uxor Boleslai liberatur a febribus ad tumulum S Wencesl. 27.

Brzetislaus Boleslaviam amplificat 4. majorem eccleſiam Brewnovii condit 375. corpus S. Adalb. incorruptum reperit 462. 463

Brzimota eremicola viridis montis 250. 370.

Brzomilus mittitur Cracoviam pro auxiliis 458.

Budiſſinæ urbis origo 118. portio Bohemiæ 483 invaditur a Boleslao Polono 481.

Bug fluv. Pol. 224. 225.

Bulgariæ magna plurium Slavicarum nationum prima ſedes, a qua oriundi Bulgari *Europæi*, Ruſſique 173.

Bulko Dux Hung. ſuſpenditur 103. 104.

Burchardus Suevorum Dux ſuppetias fert Ottoni adverſus Hung. 100. *Marchio Auſtr.* 204. *Miſnenſ. epiſc.* conſecratur 189.

Burgundiam invadunt Hungari 8. 9.

Butka Zarecenſis hiſtoriographus 59.

C.

Calceus S. Adalberti hodie ſervatus 268.

Caldarium clypeus Boleslai & Bohemiæ 137. 138 141. 363.

Calvo monaſterium invaditur a Bohemis 297. Polono inde uxor educitur 298.

Carinthia invaditur ab Hung. 69.

Carinthii cædunt Hungaros 48. 49. 69. 70.

Caroli M. corpus levatur 417. vigilantia ejus in accuratione monetæ 448. ſolium donatur Boleslao Pol. 461.

Caſimiriæ ſolitudinem occupant S. Adalberti ſocii 398. 401.

Caſſinum venit S. Adalb. 352.

Cediburus frater Miſeconis cædit OdonemMarch. Miſniæ 206.

Cereviſia venalis permittitur rurſum Pragenſibus 340. 341.
Ceſus epiſco. Ottonem diſcrimini eripit 281.
Chazari magnam Bulgariam occupant, a quibus nomen Chazariæ invenit 174. S. Cyrillus illis Chriſtum annunciavit ib.
Cheb fluv. Egra 218.
Cheynow 289. 291.
Chirotheca S. Adalberti Libicii reliſta, altera & tertia 267. 268.
Choticslaus eccleſiam honori B. Pratibiſlavæ condit 53.
Chriſtannus *vide Strachykwas.*
Chriſtinus viæ comes S. Adalberti 272. 433. 370 tranſit ad Hung. 426.
Chudenicii veſtigia pedum S. Wolfgangi 193. 194.
Chyrzin vicus 108.
Cidrici pagus Slavicus 206. 207.
Cimmeriam Boſphorum incolunt Slavi Ruſſi 174.
Circipanos debellat Otto cum Boleslao 106.
Cirin caſtellum ad quod Boleslaus Pol. exercitum cogit 508.
Citicenſis epiſcopatus vaſtatur a Bohemis 297. 298. 299.
Clementi Abbati Brewnov. conceditur a Papa poteſtas relaxandi anathema S. Adalberti 340. 341.
Clericorum conjugia graviſſime conciliis prohibentur 264 265.
Colinii obſidetur Boleslaus 76. 77.
Commemoratio in Miſſa medio ævo 394.
Comnenii MS 70.
Conradus Salicus Imp. a pluribus e Clero & Ducibus electus 478. *Rex Burgundiæ* veriſimillime pater Hemmæ 452. 453. *Dux Suevorum* Archi-Camerarii munus ſuſtinet 312. *Dux Lotharingiæ* ſuppetias fert Ottoni adverſus Hung. 100. 102. 105. captivos Hungaris eripit, cadit 101.
Conſtantinus Porphyr. callet linguam Slavicam 61. bene meritus de hiſtoria patria, moritur 122.
Coſmæ & Damiani eccleſia prope Pragam 257. 259.
Cracovia cenſetur inter limites epiſcopatus Prag. 217. 225. Archiepiſcopatus 227. capitur 382. 385. 409. in ea prædicat S. Adalb. 424. eo uſque fines Ducatus protulit Boleslaus Pius 448. eripit Boleslaus Polonus 457. 458. erigitur hic epiſcopatus ib. 461. 463. huc invitatur Boleslaus Rufus, capitur, excæcatur 475. 476. 504.
Cranam fugit Hezilo, incendit 507.
Creſcentius ſocius converſionis S. Adalb. 433.
Cremena civitas 243. 244.
Crovati pagus Slavicus in Boh. 221.
Crucum per compita ſtatuendi initia 313. 314.
Cuculla monaſtica 358. 359.
Curimenſis ager vaſtatur 98. ab Hungaris illis imminet periculum 99. auxilia illis mittit Boleslaus 107. abhinc fugiunt Hungari 113. gratulantur Boleslao de victoria 118. alteri Principi parent 119. exornant urbem ib. Ducum ſeries ib.
Cyliæ caſtra 468. 470.
Czarnicium oppidum Sileſiæ 476. 480.
Czarlaviam ab Hung. defendit Boleslaus 69.
Czechi veteres urbium & caſtrorum ſtructuras defugiunt 2. 4.
Czechus fruſtra vindicatur 175.
Czemislava uxor Boleslai Rufi 449. 502.
Czernobog mons, in quo idolum quodam nomine 404.
Czizova caſtrum 32.
Ctiradius 197. 198.

D.

Daciane pagus Slav. 219.
Dæmonio arripi idem ſignificabat quod lethalem paralyſim 334. 335.
Dalimilus primus prolator fabulæ de caldario 138. *Horbogius* minoris exquirendis dat operam 88 89.
Dani domantur ab Ottone 71.
Dantiſci plures baptizantur a S. Adalb. 434.
Daſchkabat ſilva Moraviæ 140.
Daubravca nubit Miſeconi Duci Pol. 145. converſionis mariti præcipua auctor 148. 149. 158. 159. 160. filii Boleslai mater 177. 241. erectionem epiſcopatus Prag. ſuadet 217 225. condit templum honori S. Wenceslai 145. moritur, ſepelitur Gneſnæ 251.

243. defenditur adversus Cosmam 253. 254. 255 non erat velata ib. 159 161.
Daudleb 289. 291.
Deblinum capit Boleslaus 123.
Dedi Comes ductor Bohemorum in episcopatum Citicensem, ejus progenies, comitatus 297.
Demotimus morbus idem quod lethalis paralysis 334.
Denarii veteris valor 380.
Deodatus *vide Radla.*
Deuca Rex Hung. moritur 440.
Dietmarus episc. primus Prag. venit Pragam 177. 282. eligitur in episcopum 178. 179. 180. consecratur ib. ejus pastoralis sollicitudo 234. sub eo sacre militiæ arma assumit S. Adalb. 277. moritur 283. 284. 285. 286. ejus mors adversus obtrectatores defenditur 285. 286. confusus cum Brandeburgensi hujus nomini 182. 185. *Episc. Brandeburg.* 71. 182. 185. *Historici* minus attenta lectio 500. 502.
Divislaus suadet Boleslao aurariarum refusicitationem 58.
Dobrohorsky, scriptor Boh. 14. 15.
Dobromirus regulus Sarcæ metu fugit in Bav. 21.
Dodilo Brandeburg. episc. exhumatur a Slavis ethnicis 299.
Dohna Hinco capit Boleslaum 244.
Dolislaus ex posteris Styrsæ 14.
Domazlice *vide Tusta.*
Dominica dies consecrationibus ecclesiarum destinata 147. *Lætare* memorabilis apud Polonos ob eversionem idolorum 145. 150. 151. 152. 153. *Passionis* itidem ob similem ritum memorabilis 151.
Drastow vicus 136.
Duchezowius scriptor Boh. 13.
Dudelinus Episc. Brandeb. 189.
Dudo Havelberg. Episc. 189.
Duellandi veterum ritus 20.
Drzewicz expugnatur 123.
Dunajec fluv. 226.
Dzrewana Dea Slavorum 150.

E.

Eberhardus Dux Carinthiæ 69.
Ecclesia Christi per ædiculam repræsentatur in denariis Boh. 38.
Edith M. Ottonis uxor moritur 60.
Egidius *vide Ægidius.*
Egilolphus Archiep. Salisburg. 11.
Ekkihardus Dux militiæ Ottonis cæditur a Boh. 5. 7. *Marchio Thuring. & Misn.* subjicit sibi Milzaviam 904. fit Marchio 311. restituit Thiddagnum episcopum Prag. sedi suæ 473. candidatus imperii, ejus partes amplectitur Boleslaus Rufus, fit ejus miles, gerit se pro Rege, occiditur 473. 481.
Electores Imperii instituuntur 475. 478. 479.
Elisabetha de Querfurt Abbatissa S. Georgii 326. 395. soror S. Brunonis 396.
Emmæ diversis Regibus & Ducibus in matrimonium datæ 452.
Emmerami Sancti monasterium episcopio Ratisb. subjectum 323.
Episcopus investiendi ritus 180. ab Imperatoribus fieri solitus; origo illius 292.
Equus argenteus in mineris reperitur 38. 89.
Ernestus Marchio Austr. sociatur Heziloni adversus Henr. Regem, ejus Comitatus vastatur 507.
Extundatio 128. 474.

F.

Fames per Boh. ex neglecta agricultura 66. 474. 124. evanescit 67.
Familiarum nobilium insignia ambulatoria 141.
Feyarwar tenditur ab Hungaris 99. deseruntur Hungari 116. diruitur, rudera donantur Curimensibus 118.
Fischhausen oppidum 411. 412. 434.
Fleischbank silvæ Turiensis locus 140.
Flopan miles a Boleslao Boh. explorator missus agminis Theophaniæ Imperatricis 349.
Franci ferunt auxilia Ottoni adversus Hung. 100.
Francia invaditur ab Hung. 8. 9.
Fridericus Imper. a pluribus e Clero & Ducibus electus 478.
Frodoardus historicus moritur 162.

G.

Gallias invadunt Hungari 8.

Gaudentius sanguine & spiritu frater S. Adalber. ejus individuus comes 264. 280. 272. 398. 352. 354. 433. 434. 428. missam postremam S. Adalberto celebrat 435. capitur a Prussis 436. de redimendo corpore S. Adalberti sollicitus 445. fit Archiepiscopus Gnesnensis 398. 401. 402. 449. 454. refert cilicium sanguine conspersum S. Adalberti 463. ad eum invisunt quinque S. fratres 275.

Geiza fit Dux Hung. pacem cum vicinis meditatur 207. promotor rei Christianæ 208. removetur ex Mellicensi monte 43. ab Episcopo Moraviæ verosimillime baptizatus 246. facta illi visio de S. Adalberto 306. liberaliter suscipit Papatem Radlam 427. ad eum scribit S. Adalbertus 432. 433. moritur 439 440.

Genius malus cultus 153.

Gentilitia arma & nomina posteriora seculo X. 15.

Georgii Sancti monasterium fundatur Pragæ 164 172. 173. privilegio donatur 185. 188.

Gerardus Sanctus congressus S. Adalberto in Italia 294. *Laureacensis Archiep.* resuscitat jurisdictionem in Moraviam 11. 12. 61. 62. *Præpositus Divi Viti Pragæ* 68.

Gero Marchio orientalis cum Slavis bellum gerit 26. 34. 35. 61. 120. interficit 30. Principes Slavorum 57. Rhetre urbem expugnat 114. 134. moritur 155.

Gichan Dux Hung. Welwarium urbem condit 108. 109.

Gilopiæ auraria exuberant 59. 60. 89. 440. 441.

Gisla uxor S. Stephani 305.

Gizera fluv. 210. 212.

Glazium 12. 289. 291.

Glomaci pagus vastatur 508.

Gnenin *vide Brtix.*

Gnesnæ struitur ecclesia B. M. V. 145. an fuerit S Adalb. Gnesnensis Archiepiscopus 402. 415. ejus corpus huc defertur 445. peregrinatum huc venit Otto Imperator 460. Archiepiscopatus erigitur 461.

Godefridus Francus bello Boh. cedit 243. *Dux Meraniæ* 69.

Gœrlicense territorium 221.

Gorislava uxor Wladimiri M. Ducis Russiæ 287.

Grabæorum familia, eorum clypeus vetustissimus primus cognitus 109.

Græcus ritus in Boh. jam sub S. Wencesl. exspiravit 175. 364. *Græcos* lacessit Otto 282.

Gregorius V. fit Papa 414. reditum S. Adalberti probat 415. Electores instituit 477.

Guntherus fit episcopus Ratisbon. 49. moritur 50.

Gutensteiniorum origo 123.

Gylas Hung. Dux 109.

H.

Hartheburga Henrici Aucupis conjux 254.

Hassiam invadunt Hungari 9.

Havelburch vastatur a Slavis 299.

Helena Russiæ Ducis vidua baptizata 125.

Hemma uxor Boleslai Pii filium parit 107. infirmum filium devovet S. Udalrico 229. regio sanguine prognata 451. 452. 453. ejus nomus 33. 37 451. a filio Boleslao in exilium mittitur 473. revocatur, iterum expellitur 500. 501.

Hemmildis filia Boleslai Rufi 452. 503.

Henricus Auceps bello lacessit Bohemos 4. donat S. Wenceslao Moraviam 10. exercitatus in ludis 19. leges ludorum sub eo expoliuntur 20. Tugumirum apud se captivum detinet 55. velatam ducit uxorem 254. ex ejus sorore genitus Slawnik 202.

Henricus II. Imp. prius Dux Bavariæ candidatus Imperii 481. eligitur in Regem Germ. 478. 481. ei se submittit Wladibogius 483. causæ 484. 486. Hezilonem spe vana Ducatus Bavariæ lactat 483. 484. ad eum Jaromirus confugit 501. non favet Boleslao Rufo ib. a Boleslao Polono usurpatore Bohemiæ petit homagium, mittit ad eum frustra legatos, Hezilonem socium Poloni aggreditur 506. thesauro suo spoliatur, spoliatores obsidet, capit, Hezilonis castella invadit 507. 508. proprietates illius, dispertit, expeditionem in Milzaviam indicit.

509. conſanguineus Slawnicl 202. Hovora ab eo Imperiali nobilitate donatur 493.
Henricus VI. a pluribus e Clero & Ducibus electus 478.
Henricus Dux Bavariæ, ejus tutor Boleslaus 18. ſubjicit ſe Ottoni, moritur 106.
Henricus II. fit Dux Bav. 65. 107. debellat Hungaros 65. 66. ei obſervandus traditur Boleslaus 75 76. accipit Marcam Veronenſem & Aquilejenſem 91. fert ſuppetias adverſus Hung. 100. inſurgit adverſus Ottonem 233. adhæret illi Boleslaus & Miſeco 237. coronari ſe ſuſtinet 234. 237. Ottonem ſolio deturbare nititur ib. conciliatur eidem ib. capitur 238. exuitur Ducatu, e cuſtodia elapſus ad Bohemiam fugit 242. 243. Auſtriam occupat 255. 256 iterum reconciliatur Ottoni 256. captus in exilium mittitur 260. e cuſtodia dimiſſus rurſum Boleslaum & Miſeconem in partes ſuas trahit 302. Ottonem puerum rapit, ejusdem tutelam ſibi arrogat, imperium ambit 302. Rex proclamatur 303. alios Principes Germ. hoſtes experitur, convertit ſe ad Boleslaum, ab eo in Saxoniam cum exercitu inducitur ib. obſidetur Magdeburgi, pollicetur extraditionem Ottonis pueri, pacem facit 304. 311. Archidapiferi munus ſuſtinet 312. ei educandus traditur Udalricus 315. 316. intercedit pro erectione epiſcopatus Prag. 214. de Hungaris triumphat 351. auxilium fert Ottoni 371.
Henricus minor fit Dux Bav. 261. 288. *Auguſtanus epiſcopus* fœderatus Henrico Bavaro 255. 256. mittitur in exilium 260.
Herimannus Ottonis bellidux adverſus Boh. 4. 5. 7.
Heroldus Archiep. Salisburg. 117.
Hesko vicus 489. 494.
Hezil Dux Carentanorum Archipincernæ munus ſuſtinet 312.
Hezilo Marchio Orientalis Comes de Swinfort conſpirat adverſus Henr. Regem 482. ambit Ducatum Bav. ſpe vana lactatur 483. 484. Boleslaum Rufum ad ſe confugientem capit, dimittit 486. 501 adjungitur Boleslao Polono, a quo ei mittuntur auxilia, Erneſtum & Brunonem in partes ſuas trahit 506. 507. caſtella illius invaduntur 507. Cranam fugit, munitionem incendit ib. 508. confugit ad Boleslaum Pol. in Bohemiam ib. ejus proprietates diſperrit Otto 509.
Hieronymus Prag. Biographus S. Romualdi Lithuanorum Prædicator 403.
Hillibardus Halberſtad. epiſc. 255.
Hlawacz Dux militiæ cadit 108.
Hnievſa percuſſor S. Wencesl. prædium Wrahby accipit in præmium, delirat 13. 15. 16.
Hoico Comes Præfectus datus puero Ottoni 304.
Horimirus 63. 64.
Hoſtivid Dux Curim. exulat 118.
Howora præfectus venationum Jaromiri 489. eum periculo deliberare quærit 493. 490. capitur a Wrſſoveciis, appendi jubetur arbori ib. commendat Hrziweczio uxorem ſuam & proles, tubulo venatorio auxilium quærit, deliberatur a Pragenſibus, præmiis donatur 492. nobilitate etiam Imperiali 493. 496. 497. variæ familiæ Bohem. ex ea ſtirpe 496.
Hrabodogus Wrſſovecius interficit Proſtivojum Sacerd. 362.
Hrobicze Silva 126.
Hrobka vetus nomen Neo-Boleslaviæ 211.
Hrziwecz Ducalis Præfectus venationum conſpirat cum Wrſſoveciis adverſus Jaromirum, ei appendendus traditur Howora 489. 490. lapſus arbore crus frangit, ab Howora eadem quercu ſuſpenditur 491.
Hugo Citicenſis epiſc. conſecratur 189.
Hungari irrumpunt in Saxoniam, annus verus irruptionis 7. 8. 9. ſollicitantur a Bavaris 9. 7. 31. cæduntur 17. 18. cremant Sennonas 10 ex Galliis redeunt 17. pacatiores eſſe occipiunt 40. removentur ex Moravia & Auſtria 43. 44. 48. 61. 309. cæduntur a Bavaris 43. Bavaris bellum inferunt 48. vaſtata Moravia Bohemiam invadunt 64. cæduntur ab Henr. Duce Bav. 65. 66. irrumpunt in Boh. & Morav. 68. cæduntur 69. 70. 91. 94. 96. graſſantur per Auſtriam, Carinthiam, Italiam 69. 70. conducuntur a Bavaris 96. legatos mittunt ad Ottonem ib. mittunt auxilia Moravis, cædunt Bohemos 98. urbem Feyerwar condunt 99. Invadunt Bavariam cæduntur ab Ottone 100. 101. tres Duces ſuſpenduntur 101. 102. multi ex clade Ottoniana ſuper-

perſtites 103. denuo cæduntur a Bohemis 104. 112 Multum attriti quieſcunt ib. 105. 110. cædunt Bohemos 107. Bohemiam occupant, infeſtant Auſtriam 108. 110. cæduntur a Boleslao 112. 113. denuo, & Bohemia exturbantur 116. in eos nova expeditio 123. eligunt Geizam 207. Chriſtianæ fidei initia accipiunt 208. invadunt denuo Auſtriam 262.

Hungaria in eam epiſcopi Laureacenſis jurisdictio 239. Moravienſis 246. 247. ad eam venit S. Adalb. 423. 424. item Anaſtaſius cum ſuis monachis 426. eriguntur epiſcopatus 464.

Hyems aſperrima 236.

I.

Jarobogius Palatinus Boleslai 190. 192.

Jaropulkus Dux Ruſſiæ 384.

Jaromirus filius Boleslai II. 315. præſens morti patris 446. 449. non fuit filius Boleslai III. 450. 454 evnuchizatur a fratre 473. fugit in Bavariam, ibidem, comnendatur pro ſucceſſore 476. cur poſtpoſitus Wladibojo 485. eligitur in Ducem 488. 494. fraudulenter a Wrſſoveciis ad venationem pellicitur 489. nudatur veſtibus, ludibrio habetur, impetitur ſagittis, divinitus protegitur 490. 498. Hovoræ fidelitate periculo liberatur 491. 492. multis præmiis Hovoram afficit 492. 493. templum & monaſterium honori S. Joannis Bapt. in loco periculi erigit 493 revocatur in Boh. 500. in Ducatum elevatur 501. iterum expellitur 502.

Idola Slavorum in profluentem dejiciendi ritus 151. 152. 153.

Iglavienſe jus montanum primum omnium 69.

Imperatorum electio a pluribus uſque ad ſæc. XII finem facta 478.

Ingelheimii ſynodus 67. 71. 111.

Innocentius Papa relaxat anathema S. Adalb. 340 341.

Inſulani cœnobii principia 258. 260. 282. 455 poſterius Brevnovienſi ib. 456. conſummatur a Boleslao III. 456. 465. ejus Chronicon 467. Monachi ſequuntur S. Adalbert. 398. 400. in Polonia eremum incolunt 398.

Joannes *Baptiſta Sancti*, periculo liberat Jaromirum 489 490. 494. 495. in ejus honorem eccleſia erigitur 493.

Joannes Papa XII. mittit legatos ad Ottonem 127 illum coronat 130. ſimultas ejus cum Benedicto VI 132. 133. erigendi Pragæ epiſcopatus dat licentiam 164. 165. 172.

Joannes XV. ab eo S. Adalbertus repetitur 368. 369. bulla roborat fundationem Brewnovienſem 390. 391. 392.

Joannes Rex Boh. primus aurum literis ſignat 34. *Archiepiſc. Ravennas.* conſecrat Ottonem 300. *Epiſcopus Moraviæ* 39. 62. *Monachus* viæ comes S. Adalberti 272. 370. tranſit ad Hung. 426. 433. a S. Romualdo ad Poloniam miſſus 275.

Jordanus primus epiſcopus Polonorum 161. 189.

Irminſul idoli dejecti dies anniverſarius 153.

Iſaac viæ comes Sancti Adalberti 272. 370. 433.

Iſingrinus epiſcopus Ratisbonenſis 11. moritur 49.

Italiam vaſtant Hungari 9.

Judæi Chriſtianis Boh. contra ethnicos auxilio ſunt, ſynagogam Pragæ impetrant 399. vetuſtiſſimus ſepulchralis lapis eorum 405.

Izera flumen 13.

K.

Kamb caſtrum, quo ex Boh. fugit Otto 244. 218.

Kizo eripit Brandeburg 357. 371.

Klatovia ditio Udalrici muris cingitur 473. 474.

Klatovienſes baptiſmo abluuntur 198. 199.

Klatowsky Joannes ſubleſtæ fidei hiſtoricus 199.

Klipta ſcriptor Boh. 88. 89. 126. 127.

Kochanus Wrſſoveciis ex eccleſia rapit adulteram mulierem, capite damnat 387. excommunicatur a S. Adalb. ibid. 388. præcipuus author excœcationis Boleslai Rufi 476. item Jaromiro intentatæ mortis 491 eum ficca confodit 388. ringitur ſociorum ſuorum ſupplicio 493.

Koſtelez eccleſia in qua locantur comites Romani Sancti Adalberti 370. transferuntur Brewnovium 375. 376.

Krana civitas 244.

Kra-

Kraſſata militiæ Boh. Dux invadit Poloniam, capit Cracoviam 382. obſidetur a Polono 383. 385. 404. 409. dedit ſe 457. 458.
Krotislaus Palatinus Boleslai 190. 192.
Krumau civitas 214.
Krumlovium an Cromena Ditmari 243.
Krupna mons argentifer 59. 60.
Krutina mons 51.
Kuttenbergenſes fodinæ 60.
Kwietniczium 92.
Kyrie eleyſon hymnus vetus 178. 181. 251. 253

L.

Labkowicz vicus 108. 109.
Laboch obſident Hungari 69.
Lambertus primus Abbas monaſterii Inſulani 260 456. 465. *epiſc Friſing.* 11.
Laureacenſis epiſcopus pallium obtinet, ejus jura in Moraviam 11. 61. 154. 239.
Laurentii Sancti templum conditur Pragæ 141. 362. 363.
Laurentius monachus Biographus S. Wenceslai 379.
Lazius mons metallifer 63. 64.
Lele Dux Hung. 103. cæditur, capitur a Boleslao 104. 105.
Lemuzi provincia Boh. 220.
Leo Pſeudo Papa 133. *epiſcopus* palatii 418. *Abbas* S. Alexii 353. 359.
Leopoldus Marchio Auſtriæ protendit fines 308. 309. moritur 397.
Letny ſupra Pragam 28.
Levigradecz 286.
Lhotice vicus 98. 99.
Libicium natale ſolum S. Adalberti 200. 203. Slawnici caſtrum 278. 289. ſepultus hic Slawnik & uxor ejus 290 292. 313. chirotecam hic reliquit S. Adalbertus 267. 269. obſidetur 420. hic ſepulti fratres S. Adalb. 422.
Libuſſæ vaticinia de aurifodinis 58. 59. caſtrum exuſtum 98. 99.
Libutius epiſc. ad Ruſſiam mittitur 125.
Lichtenburgenſes ſtirpe Hovoræi 496.
Licicaviki Slavi ſuperantur 100.
Licum fluvium tranſeunt Hungari 100. 101. 105 redeunt per eundem 103.
Lidoslavus cedit ethnicos 399.
Lippæi Proceres ſtirpe Hovoræi 496.
Lipnicenſis ager metallifer 72. 73. 88.
Litomislium 289. 291.
Liutomericii provincia Boh. 220.
Liutolfus filius Ottonis ad Italiam tranſit 91. rebellat patri 93. 94. conducit Hungaros 96, ſubmittit ſe patri 97. pugnat cum Slavis 106. moritur 114.
Lomnicium capit Boleslaus 123.
Lotharingiam vaſtant Hungari 8. 9.
Lotharius Imper. a pluribus e Clero & Ducibus electus 478.
Lubocz vicus 362. 364.
Luczane provincia, vide Satecium.
Ludi equeſtres 19. 20.
Ludovici Pii tempore ludorum equeſtrium leges 20.
Luitiicii vaſtant Brandeburg. *epiſcopatum* 299. 357. infenſi Chriſtianis 313. fœderati Boleslai 336. 331. 348. compeſcuntur verbis ab eodem 350. 351. eorum converſionem meditatur S. Adalb. 435.
Luitpoldus Marchio Auſtriæ fines protendit contra Hungaros 308. 309.
Luſatia dotis nomine data Miſeconi 149.
Luſiki Slavi ſubduntur 120.

M.

Maganus theſauro Henrici Regis erepto obſidetur capitur 507.
Magdeburgenſis epiſcopatus erigitur 130. 172. 181.
Magdeburgum inferuntur reliquiæ S. Mauritii 128. abhinc Pragam vocatæ Moniales 173. huc mittitur ad ſcholas S. Adalbertus 204. 205.
Majolus Abbas congreſſus S. Adalberto 294.
Malegow ſilva ad Lubocz 364.
Manſo Abbas Caſſinenſis 352.
Manus e nubibus protenſa Deum notavit 86. 87.
Marchia orientalis *vide Oſterichia.*
Maria *vide Mlada.*

Maria Thereſia Auguſta munifica in Proſſecen ſem Eccleſiam 192.
Marinus legatus Pontif. 67. 71.
Martini S. monaſterium in Hung. cœptum a Geiza, completum a Stephano Rege 427. 444.
Marzana Dea Slavorum 150.
Matthæus viæ comes S. Adalberti 272. 370. 433.
Mathias S. periculo liberat Boleslaum, ejus honori templum conditur 197. 198.
Mathildis mater Henrici Ducis Bavariæ 65.
Matrimonia fidelium cum infidelibus adhuc permiſſa ſæc. X. 160.
Mautern celebratur ſynodus 296.
Melnicii domus monetaria, dotalitium reginarum Boh. 33. 451.
Mertela capitur, diruitur 507.
Meſico *vide Miſeco.*
Michael fit. epiſc. Ratisbon. 27. 49. 50. intereſt ſynodis 68. 90. 117. 128. 130. 189. in auxiliis Ottonis adverſus Hungaros, ſauciatur 102. conſecrat Eccleſiam Divi Viti 146. 147. obnititur erectioni epiſcopatus Prag. 172. moritur 203.
Milada filia Boleslai I. fit Monialis 103. 109. 170. impetrat erectionem epiſcopatus Prag. 163. 164. 170. 171. 172. fit Abbatiſſa S. Georgii 170. 176. 393. non fuit Græci ritus 175. ei privilegium dat Boleslaus 185. moritur, an titulo Beatæ gaviſa, ejus corpus levatur 394.
Milaveczium vicus 272. 273. 275. 276. 419.
Milzavia regio 221. 222. eam invadit Boleslaus Pol. 504. in eam expeditionem indicit Henricus Rex 509.
Mindenſe territorium vaſtant Hungari 9.
Miſeco Dux Pol. bellum gerit cum Gerone Marchione 120. conciliatur Ottoni 134. Quedlinburgi apud Ottonem 143. ſuadetur ei fides Chriſtiana 144. ducit Daubraveam uxorem 145. 254. 255. fit Chriſtianus 150. 151 158. 159. 160. idola evertit 145. pellices ſeptem illi fuere 149. erigit epiſcopatus 161. 162. duas legiones ei in auxilium mittit Boleslaus ſævus 176. debellat Wigmannum 176. 177. naſcitur illi filius 177. bellum gerit cum Marchione Miſnenſi 206. ad Ottonem II. evocatur 217. 237. 238 vulneratus in brachio ſanatur interceſſione S. Udalrici 229. adhæret Henrico Duci Bav. cædit Ottonem Bavarum 266. rapit monialem ſibi in uxorem 298. 299. 254. ab Henrico rurſum in ſocietatem vocatur 302. intereſt ejus placito 303. conciliatur Ottoni 311. intereſt Comitiis Quedlinburgi, auxilia fert Ottoni 312. 314. diſſidet cum Boleslao Boh. 335. ejus terras hereditarias invadit 336 petit adverſus eum auxilia a Theophania Imp. 348. ab eo terras repetit Boleslaus 349. terræ illius vaſtantur a Boleslao *ibid.* 350. fert auxilia ad expugnandum Brandeburg 356. 357. bello Ruſſorum impeditus 371. Bohemiam invadit 382. 383. 384. moritur 371.
Miſeco filius Boleslai Pol. in expeditione contra Slavos cum Ottone 406. 456. 457. 458. 459. regium nomen ambit 471.
Mlada *vide Milada.*
Miſnenſis epiſcopatus erectio 68. epiſcopatus fines 222. 223. 224.
Miſniam contendunt Hungari 31. donatur Wratislao Regi Boh. 262. *urbs* a Boleslai Boh. milite capitur 304. redditur 311. 312. invaditur a Boleslao Pol. 481.
Miſtelbachii celebratur ſynodus 296.
Miſtvi Obodritorum Dux 299. intereſt Henrici Regis placito 303. 320.
Moguntinus Archi-Cancellarius Germ. 475. 479.
Moneta Boleslai cuditur 32. 34. 35. 38. 73. 74. 82. 84. 85.
Mons ferreus Monaſterium Hung. conditur 427.
Monſterberga 12.
Moravi Boleslao ſævo reſiſtunt, latius ſe explicant 10. 11. invadunt Bohemiam, foſſores opprimunt 92. 94. 95. accipiunt auxiliares Hungaros 98. contra eos expeditionem ſuſcipit Boleslaus 123. 126. 127.
Moravia donata S. Wenceslao 10. ſubjicitur Boleslao 11. Laureacenſis Epiſcopi in eam jurisdictio 11. 12. 61. epiſcopus fit Silveſter 39. Num Ratisbonenſi ſubjecta 40. 63. 154. 155. removentur ex ea Hungari 43. 48. 61. 65. vaſtatur ab Hungaris 64. 68. epiſcopatui Pragenſi incorporatur 214. 215. ejus fines 227. 228. peculiarem accipit epiſcopum 238. 239. 245. ſuos olim proprios habuit epiſcopos 239. 240. Epiſcopus arbiter in proceſſu criminali Moguntiæ 245. reunitur Pragenſi 294. 295. 296. limites arctantur

488. Rex Suatopluens 80. 81. Suatobojus, Moymirus 92. 93.
Moymirus Dux Moraviæ 93.
Mrazek incentor turbarum Satecii 236.
Mure ſilva & mons 228.
Mysliborus pro reducendo S. Adalb. Romam legatus miſſus 248. 249.

N.

Nacon Dux Slavorum 106.
Naſſa aurea clypeus Wrſloveciorum 489. 494.
Nehodi arx 112. 113.
Neklanka turris Wiſſehradi 83.
Neklaſovina mons 107. 109. 115.
Nemci urbs Sileſiæ a Germanis condita capitur a Boleslao 121. 124. 349. 350.
Neratovice vicus 257. 259.
Netolicz 289. 291.
Nicephorus Græc. Imp. invitat Suatoslaum adverſus Bulgaros 174.
Nilus Abbas Velehradenſis 352. 353.
Nimpſch *vide Nemci.*
Niſſa fluvius 221. 289. 290. 291.
Nix ingens 128.
Notharius epiſc. Leodienſis cum S. Adalb. Roma redit 416.

O.

Obodritorum Slavorum Dii 404.
Obſides qui? 60.
Oda uxor Miſeconis e monaſterio rapitur 298.
Odo Marchio Miſnenſis bellum gerit cum Miſecone 206. ejus ditio 207.
Oheb mons 69. 70.
Olegus Dux Ruſſiæ 382. 384.
Olga *vide Helena.*
Olgus Rex Moravorum 70.
Oppatovicenſe Chronicon 342. 343.
Opoczieczne vicus 95.
Oſſa flumen Pruſſiæ 410. 412.
Oſſek caſtrum 289. 290.
Oſterichia intacta ab Hungaris 8. ex ea removentur Hungari 43. 69. eam crebro infeſtant 110. *vide Auſtria*
Oſtrovienſe Monaſterium *vide Inſulanum.*
Otto I. Imp. cædit Bohemos, cæditur, redit in Saxoniam 4. 5. 6. ejus electio 6. 18. fugat Hungaros 8. cædit 9. 17. ſollicitat ad defectionem Moravos 10. bellum ejus cum Bohemis per 14. annos item inteſtinum 16. adverſus eum concitantur Hungari 17. per gladiatores litem definiri jubet 19. cædit Boleslaum & cæditur 25. ejus bellum cum Slavis 26. ei rebellant 34. tributum quoque negat Boleslaus Boh. 35. ſupprimit Henrici factionem 44. inſtituit epiſcopum Ratisbon. 49. 50. ſubjiciunt ſe illi Slavi 57. 58. Boleslai obſides accipit 60. cum eo pacem meditatur Boleslaus 61. 65. 70. diſcit linguam Slavicam 61. Danos domat 71. obſidet Boleslaum & ad deditionem cogit 74. 75. 76. pacis *conditiones* cum Boleslao initæ 78. 79. perit Bohemiam. 91 *rebellat* ei filius Liudolfus 93. Slavam concubinam habuit 97. cædit Hungaros 100. 101. adverſus Slavos aquilonares pugnat 106. 113. 114. 117. 120. 124. ad eum legatos mittit vidua Ruſſiæ Ducis 125. vocat Boleslaum Ratisbonam 127. 131. 133. coronatur Romæ 129. 130. expeditionem adverſus Boleslaum ſuſcipit 132. 133. cauſa expeditionis, tributum 233. ei rurſum promittitur 79. conciliatur Miſeconi 134. vaſtat Bohemiam 134. 135. ſubmittit ſe illi Boleslaus *ibid.* 136. coquinari miniſterio illum addicit 136. 137. moratur in Italia, Romanos domat 138. 143. 158. ad eum legatio mittitur pro erigendo epiſcopatu Prag. 156. 158. Ditmarum inveſtit annulo & pedo 178. S. Adalbertum 184. 186. 187. Miſeconi cum Odone pacem imperat 206. mittit legatum ad Geizam Ducem 207. evocat ad ſe Quedlinburgum Boleslaum 217. confirmat erectionem epiſcopatus Prag 214. moritur 215.
Otto II. Imp. coronatur 127. in conſortium Imperii adlectus 216. in erectione epiſcopatus Prag. partes tulit 214. inter ipſum & Henricum Ducem oritur diſſenſio 233. eidem in poteſtatem tradit ſe Abraham epiſc. 234. expeditionem ſuſcipit in Lotharingiam *ibid.* in Bohemiam 238. 239. 243. Henricium Ducatu exuit 242. ejus exercitus

tus difficulter elabitur 243. iterum expeditionem in Boh. ſuſcipit 255. conciliatur ei Henricus 256. captum Henricum in exilium mittit 260. ad eum inviſit Boleslaus, Henricum Minorem conſtituit Ducem Bav. 261. pugnat cum Saracenis 266. 280. 282. coronatur Romæ 280. 282. lintre vitam ſalvat *ibid.* 283. 292. Veronæ placitum celebrat 293. exauctorat Thiedricum Marchionem 300. donat S. Adalberto paramenta ſacra 301. moritur 300. 301. 302.

Otto III. Imp. eligitur in Regem Germ. 127. conſecratur 300. 310. donat paramenta ſacra S. Adalberto 302. 417. peregrinatur 310. 311. conciliatur ei Boleslaus & Miſeco 311. puer rapitur ab Henrico Bav. 302. extraditur matri 304. Quedlinburgi celebrat Curiam 312. 356. vaſtat Bohemiam 314. 315. 319. expeditionem in Slaviam ſuſcipit, cui Miſeco auxilium fert 314. Brandeburgum movet exercitum, pacem facit 371. vaſtat terras Slavorum 406. eidem queritur Zobiebor S. Adalberti frater *ibid.* nepotem ſuum inſtituit Rom. Pontificem 414. ungitur in Imperatorem *ibid.* reditum S. Adalberti urget *ibid.* ad eum Moguntiam venit S. Adalbertus 416. Corpus Caroli M. levat 417. confeſſionem deponit S. Adalberto 419. inveſtit Strachiquatem 438. in Italia agit 443. miraculis S. Adalberti invitatur ad Poloniam 444. 460. 468. Rufi nomen gerit 454. a Boleslao magnificentia ſumma excipitur 461. uxor laſciva perperam ei affingitur 467. 470. Electores Imperii inſtituit 474. 477. ejus ſigillum *ibid.* 478. 479. moritur 480.

Otto IV. adhuc a pluribus epiſcopis & Ducibus electus 478.

Otto Sueviæ fit Bavariæ Dux 242. expeditionem in Boh. ſuſcipit 255. 256. Patavium obſidet 255. cæditur a Miſecone, fugit e bello Saracenico, moritur 266. 282. 283. 288.

Otto Illuſtris Dux Saxon. 202.

Ottocarus II. confirmat fundationis Brewnov. literas 378.

Ottova fluvius aurifer. 33.

Ottricus Vir doctus Præceptor S. Adalb. ad Aulam Ottonis aſſumitur 270. 277. moritur *ibid.*

Overenkerken vaſtatur ab Hungaris 9.

P.

Palatinus Archidapifer 475. 479.

Papas *vide Radla.*

Paralyſis a veteribus peratrox dæmonium exprimebatur 434. 435.

Pardubitz in torneamento 40. 41.

Patavienſi eccleſiæ Moravia ſubjecta 12. *vide Laureacenſis.*

Patavium obſidetur 255. 256.

Pauli S. monaſterium Romæ 359. 360.

Paulini S. corpus Romam defert Otto 310. 311.

Peſtis 110. 126.

Petrzin mons ſuperſtitione infamis 355. 361.

Philippus Imp. adhuc a pluribus epiſcopis & Ducibus electus 478.

Piligrinus epiſcopus Patavienſis 193. revocat S. Wolfgangum 194. jura ſua in Moraviam reſuſcitat 239. ab eo Geiza Hung. Dux non baptizatus 247. ſynodum celebrat in limitibus Moraviæ 296.

Piſna, ad eam caſtra metatus Otto II. 243. nundinas iſthic die Dominico celebratas reprehendit S. Adalbertus 368.

Poborane provincia 221.

Podivinus S. Wenceslai pediſſequus laqueo appenditur 30. 45. humi defoditur, prodigia ad ejus tumulum 46. num publice cultus 46. 47. translatus ad cœmeterium Divi Viti 48. 53.

Pokorzinus Præpoſitus Divi Viti 380. ſynodum cogit de eligendo novo epiſcopo 429. 431.

Polonia convertitur ad Chriſtum 145. idola in profluentem conjecta 150. 151. epiſcopatus erigunter 145. 153. 161. 227. 461. epiſcopatus Pragenſis ad eam protenſus 224. 225. in ea eremum quinque S. fratres colunt 274. 275. invadit eam Boleslaus 382. Otto III. peregrinationis cauſa accedit 460.

Pomuk poſterius Nepomuk dictum 370.

Praga, ei excidium minatur Boleslaus 24. in Prætorio excipitur 32. domus monetaria 33. 81. 82. palatium novum 44. 45. obſidetur Boleslaus 74. 75. 76. 77. 78. urbs ædificatur 355. ſuperſtitio ethnicorum in monte Petrzin 56. 361.

S. Joannis Bapt. ecclesia conditur 467. eam invadit Boleslaus Pol. 504.

Pragenses Christiani cædunt ethnicos 28. ethnici novas turbas cient, cæduntur 399. laboranti Jaromiro auxilio mittuntur, 489. eum periculo liberant 491. coctores cereviliæ solvuntur anathemate 340. 341.

Pragensem episcopatum meditatur Boleslaus 144. 147. 153. 154. 155. 156. erigitur. 213. 214. 215. 216. 130. 164. 170. 171. 172. 216. amplitudo illius 217. fines 218. 219. 220. 221. 222. 223. sejungitur ab eo Moravia 238. 245. 246. 248. reunitur illi Moravia 294. 295. 296. *Episcopus* Romæ in synodo 183. arbiter in processu criminali Moguntiæ 245. auctoritatem habet religiosos & nova monasteria admittendi 348.

Procui avunculus Stephani Regis 443. 444.

Profik conditur templum 191. 192.

Prostislaus Ducalis Cubicularius 184. 186.

Prostivojus Sacerdos occiditur 362. perperam Græco ritui addicitur 364.

Przemislai annales 58. 59.

Przetowli a paganis vapulat S. Adalbertus 201. locum execratur 203.

Przibislava velata 255. pium furtum committit in sacris lipsanis Divi Wenceslai 53. 54. 55. 56. moritur, prodigiis clara 51. 52. num cultu publico celebrata 52. 53. transfertur Pragam 53. alia hujus nominis Jablonæ mortua, monasteriumque ejus honori conditum 51. 52. 53.

Przibramenses fodinæ 64.

Prussensis Archiepiscopus S. Adalbertus 402. 403.

Prussiam adit S. Adalbertus 410. 433. insurgunt in eum terrigenæ 434. 435. occidunt 436. 411.

Psovane provincia 220.

Puchhaim Dapifer Austriæ 142.

R.

Radegastus Slavorum idolum evertitur 114.

Radla Papas educator, magister, & pater spiritualis S. Adalberti 131. 306. idem qui Tata, Deodatus, Anastasius & Astricus 344. 345. 346. 428. assistit S. Adalberto in baptismo Stephani Hung. 307. fundat monasterium Tata in Hung. 342. 344. 346. 347. comes individuus S. Adalberti 347. 352. deserit Romæ S. Adalbertum 304. fit monachus *ibid.* pro revocando S. Adalberto mittitur Romam 367. 368. fit Abbas Brewnovii 375. 377. ad petitionem illius auget fundationem Boleslaus 380. secundo discessu S. Adalbertum sequi refugit 388. abeuntem increpat, pœna ob id divina 389. obsessus in Libicz suadet pacem Slawnikianis 420. 425. transit in Hung. cum monachis suis 424. 426. a Geiza liberaliter excipitur 427. plurium monasteriorum Abbas 428. Colocensis episcopus *ibid.* ei scribit S. Adalbertus & ad se vocat 432. 433. mittitur Romam, Stephano impetrat Regium diadema & episcopatuum erectionem 464.

Rainvoldus Abbas S. Emmerami 323.

Ratisbona capitur a Luidolfo, obsidetur ab Ottone 94. se dedit 97. suspenduntur *ibidem* 3. Hung. Duces 103. coronatur hic Henricus Bav. Dux 234.

Ratisbonensi episcopo num subjecta fuerit Moravia 12. 63. num nulli Metropolitæ subjectus 50. exercet jurisdictionem in Boh. 154. 155.

Ravennæ Synodus 172.

Rech Præpositus Divi Viti 377. 379.

Reginæ dictæ filiæ Regum 451.

Rezne fluv. 218.

Rhedarii ab Ottone debellantur 114.

Rhetra Slavorum civitas expugnatur 114. delubro celebris 404.

Rigdagus Marchio orientalis 297.

Rixneri torneamentorum liber fabulosus 19. 40.

Robertus Archiep. Mogunt. consecrat Ditmarum Prag. 180.

Robertus nullus fuit Archiepiscopus Gnesnensis 402. 415.

Rodulfus Rex moritur 9.

Romualdus S. Benedictum & Joannem ad Poloniam mittit 275. ab eo non fuit susceptus S. Adalbertus 360.

Ronovienses stirpe Hovorzi 496.

Rosarii initia 394. 395.

Rossa urbs 283.

Rotbojus ethnicorum Prag. militiæ Dux cæditur 399.

Rudigerus de Peklarn orientalis Comes 8.
Ruſſis annunciavit S. Cyrillus Chriſtum; oriundi ex Bulgaria Magna 173. iidem qui Tauroſcythæ 174.
Ruzen vicus 362. 364.
Rymboſſii fodina 59. 60.
Rzip mons, in eo condita eccleſia a Boleslao Pio 413.

S.

Salisburgenſis Archiepiſcopi Suffraganeus Ratisbonenſis 50.
Samoslaus ethnicorum Prag. militiæ dux cæditur 399.
Saracenorum cum Ottone bellum 266. 280. 283. 284.
Satecenſes evocantur adverſus Hungaros 111. eos peſſumdare meditatur Boleslaus 209. bellum parant, cæduntur 210. 236. domat Boleslaus 235.
Satecium limitaneum caſtrum & urbs Boh. 5. Boleslaus adverſus eam expeditionem ſuſcipit 21. premitur exactionibus 23. caſtrum munit Boleslaus Polonus 506.
Saturni colendi ritus traductus ad quasque gentes 152.
Saxo Archimareſſallus Imp. 475. 479.
Saxonia invaditur ab Hungaris 8. 17. 18. hoſtes habet Slavos 26. eam perterret Wigmannus 97.
Schaba Dux Hung. ſuſpenditur 103.
Scharka Silva 196. 198. amazonum Bohemicarum una hujus nominis 197. conditur iſthic eccleſia 197.
Schwamberg in torneamento 40. 41.
Selpuli pagus Slav. 349.
Senonas urbem cremant Hungari 9.
Septemviratus Imperialis inſtitutio 477. 478. 479.
Siccitas ingens 240. 241.
Sigefridus Comes occidit Ekkihardum 481.
Sileſia *vide Zlezane.*
Silveſter Papa moritur 469. 471. fabula de eo perſtringitur *ibid.* 472.
Silveſter fit Moravorum epiſcopus 39. 40. 62. 63. moritur 154.
Slanenſem regionem occupant Hungari 108.
Slavata Wilhelmus ſacellum condit 295.
Slavi belligerant cum Ottone 26. 34. 106. 124. rebellant 35. carent literis ante SS. Cyrilli & Methudii ætatem 35. 59. 173. ſubdunt ſe Geroni 57. fiunt Chriſtiani 71. impetuntur ab Ottone 106. 113. 114. 117. 120. 130. eccleſias ædificant *ibid.* vaſtant omnia in Saxonia 299. 300. *Principes* ad lebetes portandos damnantur 139. *Dii* 400.
Slavia in eam expeditionem ſuſcipit Otto III. 314. 318. 319. Saxones 381.
Slawnik pater S. Adalberti Vir potens 111. 200. nepos S. Henrici 202. amplitudo ſui Principatus 289. 291. nonniſi 7. filios habuit 422. moritur 278. 289. 290. ejus laus *ibid.* 279. 289. ſepultura 290. corpus Pragam transfertur 292. vindicatur 318.
Slawnikianæ familiæ colliſio cum Wrſſoveciis 387. 406. 422.
Sorabos in partes ſuas allicit Boleslaus 25.
Spitigneus novam condit Divi Viti eccleſiam 55.
Srnobog mons munitur 399. 404.
Stechna prædium Ducalis venatoris 496.
Stephanus Hung. Rex naſcitur, baptizatur a S. Adalb. 304. 305. 306. 307. confirmatur in fide 342. ad eum denuo venit S. Adalb. 424. ſuccedit patri 439. cum Polono de limitibus diſſidet 443. bellum gerit cum Teutonicis 444. Papatem Radlam Romam mittit, impetrat diadema & facultatem epiſcopatus erigendi 464.
Stephanus presbyter committit pium furtum cum Przibislava 54.
Sternberg in torneamento 40. 41.
Stoſſek militiæ Boh. Dux Hungariam invadit 123.
Strachiquas filius Boleslai Sævi 162. idem qui Chriſtannus ſeu Chriſtianus 166. 167. 168. obſes datus 76. mittitur ad monaſterium S. Emerami 83. venit Pragam 320. 223. 337. mittitur Romam pro revocando S. Adalb. 367. 368. ſubſcriptus in literis fundationis monaſt. Brewnov. 377. offertur ei a S. Adalberto epiſcopatus 320. 321. detrectat 322. 324. ambit 438. 439. ſuſcipit 327. 328. inter conſecrationem ſuffocatur a dæmone 327. unde hæc hiſtoria perperam enata 332. 333.

334. 361. Non fuit author Paſſionis SS. Ludmillæ & Wenceslai 54. 55. 328. 329. 330. 331. 332.
Strachowsky condit eccleſiam in Scharka 198.
Stranow prædium donatur Styrſe 13. 16. 210. 212.
Strela invaditur a Boleslao Pol. 508. 481.
Strigonienſis Archiepiſcopus num fuerit S. Adalbertus 403. 415.
Stroſſeticz legatus mittitur Romam 156. 158.
Strzezyslava mater S. Adalberti 111. 200. 202. an ſoror, an filia Boleslai 202. 318. moritur, laus illius 313. 314. 318. 319.
Strzizka uxor Jaromiri, cœleſte oſtentum illi factum, præcavet periculo mariti 489.
Styrſæ percuſſori S. Wenceslai datum prædium Stranow 13. 15. abſorbetur a terra 14. 15.
Suatobojus Dux Moraviæ 92.
Suatoplucus Rex Moraviæ Sorabis in Saxonia imperavit 80. 81.
Suatoslaus Dux Ruſſorum ad Cimmerium Bosphorum coluit 174.
Sudislaus Dux militiæ Boleslai 69.
Suevi in auxiliis Ottonis 100.
Suevia invaditur ab Hung. 8.
Suirava amnis 289. 291.
Sura Hung. Dux ſuſpenſus 103.
Surina amnis 289. 290.
Swinfurd obſidetur, capitur 508.

T.

Tata *vide Radla.*
Tata monaſt. Hung. a Radla conditum 307. 342. 344. 346. 347. 354. 427.
Tatri montes 226. fines epiſcopatus Prag. 227. 449.
Tauroſcythæ iidem qui Ruſſi 173. 174.
Teinenſe prædium ædificatur 44. 45.
Tetinenſes Ethnici primarii authores tumultuum 399.
Thancmarus rebellat Ottoni 16. 17. occiditur 18. legati ejus a Bohemis violantur 4.
Theophania Imp. liberalis in S. Adalbertum 338. 339. ab ea auxilium contra Boleslaum Boh. petit Miſeco 348. exercitum mittit 349. moritur 357.
Thiddagus Monachus Corbejenſis Boleslao paralytico medicam opem fert 408. eligitur in epiſcopum Prag. 430. 431. 432. 441. 442. conſecratur 439. 442. 443. ejus fervor in epiſcopatu 440. mittitur in exilium, reſtituitur 473. partem ſuæ diœceſis tam in Polonia quam Hung. amittit 463. 464. commendatur ei Abbas Inſulanus 465.
Thiedricus epiſcopus Ottonem diſcrimini eripit 283. *Marchio* orientalis 298. crudelis in Slavos 106. 299. exauctoratur 300.
Tiſtovius mons argentifer 63. 64.
Tobola fodina dives auri 59. 440.
Tolenzanos debellat Boleslaus cum Ottone 106.
Torneamenta poſteriora ſæc. X. 19. 20. 40.
Toxus Hung. Dux 103. infeſtat Auſtriam 110. moritur 207.
Trebgaſt caſtrum 218.
Trebowane provincia 221.
Tremoniæ clades Hungarorum 9.
Trevirenſis Archi-Cancellarius Italiæ 475. 479.
Trzebuſſna mons metallifer 63. 64.
Trzemeſno primum corpus S. Adalb. depoſitum 445.
Tugocz Silva 218.
Tugoſt Silvæ Herciniæ pars 140.
Tugumir Princeps Slavorum Helveldorum 57. fraude Slavos ſubdit Ottoni 57. 58. 61. 97. veroſimilius fuit frater Drahomiræ 336.
Tulnæ celebratur Synodus 296.
Tus Silva 139.
Tuſta urbs 136. 139. 140.

U. V.

Vaag fluv. Hung. 226. 228.
Vaga fluv. Polon. provincia 226.
Vagio Dux militiæ Boleslai 262. Miſniam capit 303. 304.
Valdſteiniæ ſtirpis origo 19. 20.
Valliluca monaſterium 352. 353.
Varta fluv. Polon. 206.
Vartenbergiæ ſtirpis origo 18. 19.
Udalricus S. Epiſcopus Auguſtanus obſidetur ab Hungaris 110. moritur 228. ejus interceſſione ſanatur Dux Polon. Miſeco 229. Boleslaus Boh.

votum

votum facit pro filio ægroto apud ejus tumulum *ibid.* ejus reliquiæ Pragæ 230.

Udalricus filius Boleslai 230. 450. 454. traditur in aulam Henrici Bav. 315. 316. 450. præsens morti patris 446. 449. ejus vitæ insidiatur frater Boleslaus Rufus 473. fugit in Bavariam *ibid.* cur postpositus Wladibojo 485. revocatur 500. iterum expellitur 501. 502. ejus numus 37.

Velatæ mulieres olim quæ ? 254.

Veliz mons 498. in quo Wrssovecii Jaromirum Ducem arbori alligatum sagittis impetiere 490. erigitur hic monasterium ord. S. Bened. & templum 493. fuit solum Præpositura suffraganea Insulano monast. 497. 498.

Velvarium conditur 30. 108. 110. capitur 112. 113. 116.

Venceslaus *Sanctus* ejus verus Martyrii annus vindicatur 6. 17. 18. ei donatur Moravia 10. numus in memoriam amputatæ auriculæ excusus 37. miracula ad S. ejus exuvias 41. 42. 43. 208 maxilla aufertur 54. 55. ejus incorruptio 55. 56 struitur ejus honori templum in Polonia 145. Prosfectæ 191. Sanctus agnitus statim post mortem a sede Pontif. 172. ecclesiam Divi Viti condidit 146.

Venceslaus I. Rex Boh. 479. *filius Boleslai* Pii in juventute mortuus 107. 449. 453.

Veronæ Otto celebrat placitum 293.

Vestalium ritus Straminea corpora de ponte præcipitandi 152.

Vestphaliam invadunt Hungari 9.

Vichingus episcopus Moraviæ 245.

Vichmannus offenditur Ottoni 4.

Vigmannus perterret Saxoniam 97. conducit Slavos 117. adversus eum duas legiones mittit Boleslaus 176. 177.

Vilhelmus Archiepisc. Mogunt. 97.

Vilhelmus complex Henrici obsidetur 304.

Villico Præpositus ecclesiæ Divi Viti 338. testis energumeni liberati 287 comes viæ S. Adalberti 352. eum Romæ deserit 354. fit monachus 379.

Villigisus Archiep. Mogunt. ejus processus criminalis 245. consecrat S. Adalbertum 184. 293 Ottonem III. 300. Strachiquatem 327. 438. 439. vindicatur a calumnia *ibid.* 332. reditum S. Adalberti urget 367. 408. 414. 415. Synodum Aquisgrani celebrat 367.

Vilini 176.

Vilzorum Principes 30. occiduntur 57.

Viridis mons 250. 252

Visscheradi cuditur moneta 32. 33. 34. gazophylacium ibidem 59. 72. huc se Boleslaus recipit 78. turris Boleslawka conditur 82. 83. argenteus equus spectandus exponitur 88. 89.

Visundus episc. Sebonensis 11.

Vitanus dynasta Studenicensis 198.

Viti *Divi* ecclesia Pragæ, in eam transfertur corpus S. Wenceslai 26. consecratio ejusdem 27. 146. 147. consecrationis memoria in numis 35. 85. eam magnifice condit Boleslaus 144. 145. fit episcopalis sedes 165. isthic sepelitur Ditmarus episc. 183. huc nudus pedes concedit S. Adalbertus 185. energumenus liberatur 287. demolitur eam Spitignæus, novam condit 55. ad cœmeterium illius transfertur corpus Podivini 48. item corpus B. Przibislavæ 53.

Vitichindus moritur, ejusdem laus 121. ejus interpolator 18. ejus minus accurata intellectio 6.

Vizzidrog Slavorum Dux 299. 320.

Vladibogka uxor Wladiboji 499.

Vladibojus Polonia expulsus apud Boleslaum Boh. asylum quærit 409. 410. in Ducem Boh. eligitur, Henrico Regi se submittit 483. 484. 505. moritur, notatur a potatione 499. nostris ignoratus 500.

Vladiki in Comitiis resistunt Boleslao I. 2. pacem suadent 31.

Vladimirus Dux Russiæ uxorem Boh. habuit 287. baptizatur 320. irrumpit in Poloniam 382. 384.

Vladislaus Rex primus excudit bracteatos 83.

Vlastislavia direpta 31.

Vlcos debellat Boleslaus cum Ottone 106.

Ungerus Posnanienfis episcopus 401. excipit Ottonem Gnesnæ 460.

Vok Comes Boh. moritur 182.

Volcoldus episc. Mishensis redit in episc. 311. innotescit Boleslao Boh. 312. episcopales functiones peragit Pragæ, paralysi percutitur 360. 361. 333. diuturna ejus infirmitas *ibid.*

Wol-

Wolfarius Ottonis miniſterialis 418.
Wolfgangus S. Hungaris Chriſtum prædicat 193. 194. vix unquam fuit in Bohemia 193. 194. 195. fit epiſcopus Ratisbon. 204. admittit erectionem epiſcopatus Prag. 214. 215. 217. in ſolitudinem ſe recipit 237. ejus prophetia 395. mors 397. cultus, reliquiæ *ibid.* paraphraſis 286.
Vormatiæ Rhenum tranſeunt Hungari 8. 10.
Vorſa conſtituitur Sateeii præfectus 21. 22. emungit populum, occiditur 23.
Voytiech *vide Adalbertus.*
Vrabſtiorum divina pœna 13. 16. genealogia, pietas 15.
Wracen epiſcopus Moraviæ 245. 248. 295. 296. veroſimillime Geizam Ducem Hung. baptizavit 246. 247.
Vrahby vicus donatur Hniewſæ 13. 15.
Vratislavienſis epiſcopatus 227.
Vratislaus Rex Miſniam dono accipit 262. *Dux* fundator templi S. Georgii 173.
Vrativojus Decanus S. Viti 268.
Urbium prima inſignia 474.
Urſus inſequitur Boleslaum Pium. 196.
Vrſſovecii Proceres 262. adultera hujus ſtirpis rapitur ex eccleſia, decollatur 386. 387. excommunicantur a S Adalb. 387. aucupantur gratiam Boleslai Rufi 406. auctores crudelitatis in fratres S. Adalberti exercitæ 420. inſidiantur Boleslao 476. 477. 480. infenſi Jaromiro & Udalrico 485. 486. antiqua ſtirpe geniti omnium potentiſſimi 488. eorum clypeus 489. 494. Ducale nomen ambiunt, Jaromirum in venationem pelliciunt 489. ludibrio habent, ſagittis impetunt, Hovoram ſuſpendendum Hrziweczio tradunt 490. a Pragenſibus obruuntur, capiuntur, ſecuri percutiuntur 491. 493. 495. gener, Boleslai ex hac ſtirpe cum plerisque aliis occiditur 502. eorum colliſio cum Slawnikianis 387. 406.

Z.

Zamoſt vicus 210. 212.
Zdiarenſes montes 92.
Zdislava Beata ex Berkarum familia 52.
Zechi veteres confines Ruſſorum 174.
Zedlicane provincia 219.
Zelenka vicus 201. 203.
Zemanomislus Dux Pol. moritur 144 148.
Zeyza provincia 218.
Zittavienſe territorium 220.
Zlezane pagus Slavicus 221. *invaditur ab Ottone* 121. 124. 134.
Zobiebor natu maximus frater S. Adalb. in expeditione contra Slavos Ottoni queritur perſecutiones familiæ ſuæ 406. ſequitur Miſeconem in Poloniam 407. abfuit ſub eædem fratrum ſuorum 421. 422. ſua fuga odium Boleslai Boh. exacuit 422.
Ztir fluv. Polon. 224. 225.
Ztoignew Dux Slavorum cadit belli 106.
Zucha marca 207.
Zwikoſſius Dux militiæ Boleslai 107. cadit belli 108.

Errores obiter notatos emenda.

p. 7.	tuæ	lege	ſuæ.
p. 31.	ſuperſtities		ſuperſtites.
p. 43.	Millicenſi		Mellicenſi.
p. 87.	folſos		falſos.
p. 114.	Rhæram		Rhetram.
p. 126.	fuam		ſuam.
p. 265.	elimandis		eliminandis.
p. 294.	dies		diesne.
p. 334.	ciucumſtantiarum		circumſtantiarum.
p. *ibid.*	ſyniope		ſyncope.
p. 343.	Bajonum		Bayenum.
p. 345.	Thurczius		Thuroczius.
p. 434.	Friſchefras		Frishehaf.